FRATRIS DOMINICI SOTO SEGOBIENSIS THEOLOGI

ORDINIS PRAEDICATORVM

Ad sanctum concilium Tridētinum

De natura & gratia.



Cornelio Francescucci

Venetijs Apud Iuntas. Anno Domini.

M D XLVII

INDEX SENTENTIARVM QVAE IN HOC OPERE continentur. Quod tu tamen circunspecte lector ad formam tabellæ quæ in calce appendet, exige, & emendatum cura. Numerus indicat folium: a. faciem primam. b. uero secundam.

E

F

Iustificationis

Finis.

ERRORES LVTHERANI. XXXV.

qui in hoc opere reprobantur.

1 QVod peccatum originale secundum propriam rationem culpæ manet in baptizato. 35.b.

2 Quod idem peccatum prohibetur illo præcepto decalogi. Non concupisces, ibidem. Sed latius. 40.b. & infra.

3 Quod Deus peccatum originale, dum remittit, non tollit. 38.b. & 171.b.

4 Quod propter carnis concupiscentiam petimus in oratione dominica, dimitte nobis debita nostra. 41. b.

5 Quod effectus peccati originalis sit uacare metu Dei, odium eius, & his similia. 45. a.

6 Quod non est liberum arbitrium, sed omnia de necessitate absoluta eueniunt, ut dixerat Vuiclephus. 51. a.

7 Quod omnia a solo Deo in nobis fiunt, siue bona, siue mala ex necessitate, ibidē.

8 Quod liberum arbitrium sit figmentum in rebus, & titulus sine re, ibidem.

9 Quod Deus cogit nos ad peccandum. 62. a.

10 Quod Deus sit tota causa operum nostrorum, nihil nobis agentibus. 65.

11 Quod omnia opera, quæ fiunt in peccato, sunt peccata. 70. b.

12 Quod omnia præcepta tenemur ex charitate seruare, alias impletio ipsa est peccatum. 83. a.

13 Quod nulla est dispositio ad gratiam. 93. b.

14 Quod sola fide iustificamur: reliqua uero opera liberrima sunt, neque præcepta, neque prohibita: cum cæteris annexis. 110.

15 Quod paruulis ante usum rationis necessarius sit actus fidei. 132. b.

16 Quod non requiritur actualium pœnitentia tanquàm dispositio iustificationis. 148. a.

17 Quod peccata actualia dum iustificamur non ita remittuntur, ut tollantur, sed id tantum quod non imputantur. 171. a.

18 Quod nulla inhæret nobis iustitia, per quam simus formaliter iusti: id est accepti Deo, sed tantum ea per quam, facimus opera inchoatæ & imperfecte, iusta. 174. a.

19 Quod in prima iustificatione omnes efficimur æqualiter iusti. 175. b.

20 Quod iustitia nobis inhærens non est ita perfecta, ut per ipsam simus uere amici Dei. 176. b.

21 Quod uerbo solo euangelico opus est ad salutem. 112. b. & 187. a.

22 Quod homo sola iustificante fide implet totam legem. 188. a.

23 Quod iustus a uinculo legis liberatus est, ibidem.

24 Quod nulla est uirtus nisi, fides: neque ullum peccatum præter infidelitatem. 190. b.

FRATRIS DOMINICI SOTO SEGOBIENSIS, ORDINIS PRAEDICAtorum. De natura & gratia.

Liber Primus.

Ad S. Patres Tridentinæ Synodi nuncupatoria Præfatio.

VTinam hoc ab aquilone excitatũ incendiũ ſacroſancta œcumenica, & uſquequaque legitima Tridentina Synodus, non uiolentius ac periculoſius eccleſiam Dei peruaſiſſet, quam cui facile iam ſit occurſum iri. Non enim tunc adeo me temere in medium proripuiſſem, quoad meam mecum reputaſſem inopiam, tenuitatem cõſuluiſſem, quid denique ferre ualerẽt humeri, habuiſſem exploratum. At cum tot iam ex partibus conflagrare chriſtianorum orbem attoniti conſpiciamus, tanquam inde multas diſſiluiſſe ſcintillas, ut uix fiat reliquus angulus ullus, qui non iam iam flammam accepturus effumet, nihil ſane aliud quam operæpretium duxerim, ſi citra delectum pro ſua quiſque uirili, & quo fuerit diuinitus talento donatus, uel tumultuario obuiam properantes, opem feramus omnes. Vt ſi qua parte hominũ iam medullas exedit, ac cineſecit corda, illud reſtinguere nõ ſufficimus, ſaltem ne latius emicare, ſcintillareque pergat, demus operam. Hi uel maxime qui de hac re conſcripti huc ſumus. In hoc enim meam etiam exiguitatem ad uos Patres ſanctiſſimi deſtinauit Cæſar, ſiquod uobis forte qualecunque obſequium poſſem impendere. Quod ſi, ut ſummo iure chriſtiani tenentur, ita huius ſacri ordinis dicto audiẽtes omnes eſſent, ſatis nimirum haberẽt, conſulta ueſtra ſanctiſſima audiſſe, quibus obedienter parerent. Nam quid eſt, quod œcumenico concilio, legitime, tum indicto, tum congregato obiectari queat? Vbi ſecundum ſpiritum ſanctum tres ex primoribus ſacri ſenatus reuerendiſſimi legati præſident, digni

Lutheranorũ incẽdiũ late patet.

equidem, qui uices uicarij Christi fungantur. Quibus duo quoq; alij eiusdem ordinis Cardinales, & clarissimi, et ijdem sapientissimi assidēt. Quo christianorum principes, cum sanctis antistitibus, oratores etiam suos delegarunt. Quo deniq; terrarum undiq; cuiusq; gradus ac dignitatis ecclesiasticæ iustissimus ac consultissimus coactus est numerus. At uero est inter Patriarchæ illius Lutheri errores hic unus, omniū causa & fomentum, uniuersorūq; adeo pestilentissimus, ut nullum definiendis terminandisq; fidei controuersiis publicum iudicē admittat, cuius sit authoritati & iudicio ab omnibus christianis auscultandum. Isq; Lutheranis eousq; insedit animis, ut post triginta annos inducijs, conuētibus & colloquijs cum eis insumptos, animos iam modo, anteq; in concilio cōparerēt, despōderint, infandaq; arma sumpserint, contra parentem patriæ sacram Maiestatem, contra ecclesiā Dei, contra ueritatem euangelij. Videte proh dolor spectatissimi patres, quo unius hominis obstinata cæcitas tandem euaserit. Et quod maius est, magisq; indolendum miraculū, nunq; errores ulli tam tenues, exilesq;, seu uitæ sanctimoniam, seu doctrinā spectetis, progenitores & patronos habuere. Quoniā neq; ouina saltem pelle obtecti, neq; ita multum arte instructi. Et tamē ut nulli unquam in perniciem magis christianæ reipublicæ extiterunt, nulli minori negocio tam late diffusi sunt, tanq; animos nō modo indoctæ plebis, uerū procerum & principū occuparunt germanorū. Reuera gentis, cum rebus clare gestis toto orbe celebratissimę, tum etiā, si non hanc plagam accepissent, religionis sanctimonia christianissimæ. Nisi miraculum non est, ubi tam est in prōptu naturalis causa. Docēt licere, quod lubet. At fratres admonere institui, nō irritare: nam charitas nō agit perperam. Quos eodem mecū sanguine regenuit Christus, eadem oēs charitate amplector. Veritatem euangelicam alijs congratulor, quod agnoscant, alijs, ut non diutius ignorent, opto, a Deoq; immortali imprecor. Eo præsertim, quod utinā nostri non fuissent perditi mores, legumq; dissipationes, unde occasionē isti nacti sunt tantæ discessionis. Etenim quæ res nauigiū Petri in has ade-

Lutheri error.

Lutheranorū arma.

Lutherani non adeo potentes.

Hæresū causæ.

git caucates, nostrorum est malorum procella. Et nisi hanc prius sedatam curemus, ne quicquam patres amplissimi rerum, quam patimur perturbationem, componere, & quibus iactamur, hæresum fluctus cōpescere nitimini. Tametsi potuissent aduersarij personarum errata, citra iniuriam publicæ fidei taxare. Qualescunq; enim fuerint priuatorum hominum mores, legumq; abusus, tamen ueritas fidei, omni procul dubio, uera est. Nam diuina, firmaq; adeo et sancta est, & cui ullo ex odio uel prętextu contraire, nefandum impietatis scelus est. Quo ergo ad initium, unde digressus sum, redeam, quanquàm non quinq; ego talenta, nec reuera duo acceperim, quæ amplis usuris (iuxta euangelium) duplicare ualeā, at tanta mihi uisa est horum temporum necessitas, ut meticulus me nonnihil commouere cœperit, ne forte uel unum, quod secundum meam tenuē uirtutem receperim, in terram iam nunc defodiam: quod nequitiæ mihi detur in die domini. Hanc ob rem post tā multos, eosdēq; præclaros uiros, qui a nobis hos annos triginta cum istis feliciter conflixere, opusculum ego hoc de natura & gratia adornabam: meditatus si quid forte mea ualeret opera in hanc publicam causam conferre. Porro autem haud prorsus simili argumento eundem titulum inscripsi, quem aduersus Pelagianos fecit Augu. Ille enim in libro de natura & gratia imbecillitatē duntaxat, inopiamq; intenderat demonstrare læsi, uulneratiq; liberi arbitrij: cui proinde necessaria omnino esset gratia Christi. Ego uero Reuerēdissimi antistites, quo quintæ, sextæq; consultissimis sessionibus uestris quæ sunt de originali peccato, & de iustificatione, ceu quandā apologiam circūscriberem, altius rem statui repetere & proferre latius. Ita enim cōtrouersias, quæ nobis cum Lutheranis sunt, explicatius disertum iri iudicaui, si non eas præcise, uerum & materias uniuersas, quæ quoquo pacto huic negocio inseruire possunt, ex ordine tractarem. Nempe si in uniuersum disquirerem, quid in officijs humanis natura nostra cum generali influentia Dei efficere ualeat: quidq; deinde sit, quod absq; speciali fauore et auxilio gratiæ nequeat. Idcirco naturam nostram in quatuor status

Nomen operis.

Argumētum.

& habitus distinguendã duxi. Sane ut hominem in puris naturalibus mente excogitatũ, in originali iustitia reuera cõditum, in culpã inde collapsum, ac deniq; in gratiã postea restitutum depingerem. Sed tñ in tres affines libellos distributio est operis. Quorũ priori, qui est de trãsgressione hominis, tres priores status expediuimus. In altero qui est de iustificatiõe, causas uniuersas, ac deniq; modos reconciliationis humanæ elucidauimus. In tertio deniq; de facultate iustificati hominis & certitudine gratiæ postremas disputatiões adiecimus. Vt primus sit ueluti quintæ sessionis cõmentarius: reliqui uero, sextæ. His nãq; deliberatis, pleniter intelligere possumus, & unde fuerit homo suo libero arbitrio deiectus, & quo fuerit deinceps diuina gratia reuocatus. ¶ Cæterũ stylo et ratione procedẽdi ac disserendi non admodũ sumus scholasticã formam aspernati. Tametsi haud nesciam, quod sit scholasticorũ nomen lutheranis inuisum & infame. Nã quid non inde isti ab initio designarunt, ex quo bellum hoc ecclesiæ inferre cœperunt? Porro ut quosq; hominũ ordines plurimũ metuebant, ita eosdem, quo eorũ aduersus se authoritatem defringerent, maximis cœperunt insectari odijs, conuitijs proscindere, & maledictis acerrime incessere: atq; adeo quasi suspectos hostes e suis colloquijs cõgressibusq; abigere. Hac de causa scholasticos theologos, uelut publicã perniciem, exibilant. Quoniã, ut in fabula est Demosthenis, nõ possunt pecuarij canes, quod gregis sint propugnatores, non esse lupis inuisi. Atqui si superis placet, acsi essent ipsi, qui iura deberent ponere orbi, ita sunt inter catholicos multi, qui eos audientes, quæstionarios posthabent, philosophiã abijciunt, & solis uolunt linguarũ ferculis conuiuium instrui: utpote quarũ cognitione et subsidio arbitrantur absq; Theseo per se posse, cum sanctorũ patrum, tum etiã sacræ paginę adire uolumina. Cui profecto malo (id quod corã uestra sanctitate in publica synodo declamaui) nisi obuiã publicitus occurratis, & uniuersitates melius sibi & bono publico consultum properent, totum breui christianum orbẽ errores ebullire dolebimus. Quid ni? Vt quisq; impensissime studet trilinguis euadere, tanq; fabuloso

Margin notes: Distributio. — Stylus scholasticus non est aspernandus. — Lutheranorũ uafricies. — Scholastica Theologia immerito abijcitur.

illo fonte proluisset labra, ita maxima authoritate inter sacrorũ mystas Trimegistus prodit. Nihil sane est, quod huic meæ infacundiæ prætexere uelim. Nanq; & ingenue fateor alia me ratione studia instituisse, quàm ut linguas accuratissime excolerem: & si alterum optandum foret, mallem in præsentiarum spiritum christiano propinquum, quàm eloquentiam Ciceronianæ proximam mihi dari. Neq; uero diffiteor linguarum peritiam & cultum, cui nostro æuo diligẽtius incumbitur, sacris intelligendis biblijs magno usui esse: id cuius nos. 2. de doct. christ. admonet August. Verum hoc tamen uicissim persuasum contendo, quod uti oculus ophthalmia laborans non protinus cerebro eruitur, sed collyrijs propter eius optimam usuram curatur, ita sit res scholastica amputanda: nempe & a sophismatum quidem nugis, & a metaphysicorum uanis portentis repurganda, quibus est sordibus apud nonnullos authores indigne fœdata: detur tamẽ summa opera, ne penitus depereat, sed instaureť potius. Nisi plurimos uolumus, habere nomen: rarissimos tamẽ, re esse theologos. Non adeo expressa extat in S. Patribus ratio hæc per quæstiones disputandi, at cum fuerint summi philosophi, planum est peripateticam hanc formam nouisse. Quæ sane quãuis non erat inter enarranda eloquia sacra, necessaria, nihilominus apud Augustinum & alios crebro se exerit. Et quando post illam ætatem fuisset in scholas theologorum recepta, ecquid eius negocium est, si uia, ratione, & modo instituatur, nisi ut fides per hanc artem saluberrima (quod ait 14. de trini. August.) gignatur, nutriatur, defendatur & roboretur? Nam quæ potest perspicacior esse, commodiorq; ratio interpretandi, cum sanctorum dicta, tùm maxime sacrorum eloquia, quàm dum locus unus in quæstionem mittitur: unde, materia subiecta ex suis causis explicata, uerus depromitur sensus? Veluti est apud S. Thomam, S. Bonauenturam & reliquos perspicere. Est enim homo rationale animal, qui nulla idcirco ui magis, uiaq; pollet, ad eruendam undecunq; ueritatem, atq; ex suis causis deducendam, quàm ratiocinatione & discursu. Atq; adeo, ut rerum cau-

Linguarum peritia necessaria.

Schol. theo. repurganda.

Patres philosophiã docti fuere.

Aug. 14. de trini.

Homini ingenita est ratiocinatio.

sas, naturasque disquirat, consequentia iudicet, conciliet contraria: incognitum denique quiduis ex penitissimis latebris in lucem prodat, nulla re magis adiuuatur, quàm congressibus, si ordine fiant, cæterisque scholasticis exercitijs. Adde quod naturā fides, non (ut isti autumant) auersatur: sed certe perficit. Quapropter uicaria se luce mutuo perfundunt. Nempe ut plurima nos fides erudiuit naturæ secreta, philosophis ante inaccessa, sic uicissim & intelligendis explicandisque mysterijs fidei plurimum cognitio rerum naturalium ancillatur. Eo potissimum, quod præter illa diuinorum arcana, cætera omnia, nempe quæ ad leges, quæ ad uirtutes & uitia, quæ ad officia humana, contractus, necessitudinesque hominum attinent (quæ sunt cuncta in republica christiana cognitu maxime necessaria) soli sunt scholastici, à quibus discutiuntur et pertractātur. Quorum rationes magna ex parte philosophia subministrat. Sed aiunt philosophorum semper scholas hæresum fuisse officinas. Haud equidem diffiteor, dum fides in cunabulis infantiam agebat. Tunc enim quæ res erāt supra, easdem scioli contra naturam iudicabant. Hinc Arrius, Sabellius, & id genus monstra prodiere. Hac de causa apud priscos orthodoxos male audit philosophia. Attamen nisi fuissent inter eos, qui philosophos ex ipsa etiā philosophia euincerēt, uix beluas illas sacris testimonijs, quæ in sinistrum sensum ab illis detorquebant, superassent. Philosophos. n. fuisse necesse erat, qui explicarent, ut non esset demonstratio, quā Arrius inuictissimam cēsebat. Nempe quod si indiuidua essentia est pater, eademque filius, pater sit persona filij. A philosophia falsus fuit Berengarius, qui negabat accidentia sacramēti esse sine subiecto, quia repugnare allucinabatur ipsi eorum naturæ: quo nunc etiam Germanorum permulti tenentur errore. Sed uera philosophia est, quæ edocet, minime id repugnare. Si fieri posset, ut nulli essent pseudo philosophi, qui hæreses progignerent, nulla forte in hunc usum, necessaria esset philosophia, quæ hæreticorum ausum retunderet. Verū quod est (authore Paulo) necesse hæreses esse, tam necessarium existimauerim, philosophiam inter theologos conso-

Fides, naturæ pfectio.

Philosophia quā doque nocet, sed rursus pdest.

1. Cor. 11.

uendam esse, qua sint, iuxta uerbum Petri, paratiores ad satisfactionem omni poscenti rationem de ea quæ in nobis est spe. Est enim naturalis philosophiæ munus, supernaturalia fidei mysteria, non quidē demonstrare (quippe quæ ex solis sint diuinis testimonijs recepta) sed tamen explicare, & contra philosophos asserere: dum eorum eneruat defringitque argumenta: ostendens, nihil aduersus nos euincere. Vnde & Paulus episcopū admonet, ut fidelem habeat sermonem, quo potens sit exhortari doctrina sana, & eos, qui contradicunt, arguere. Et sane August. quanto sua dialectica & philosophia maius exhibuit ecclesiæ negotiū, dum erat manichæus, tanto fuit ei postea aduersus hæreticos utilior. Theriacam, philosophiam censete circunspectissime senatus, quæ earundem medetur uiperarum morsibus, ex quarum conficitur carnibus. Et quo semel finiam, quinam linguas, quàm Germani excultius poliuere? Qui Augustino & id genus patribus legendis plus temporis insumpserunt? Qui pluries sacram paginam reuoluerunt? Quid ergo restet illis causæ tam plurium errorum, quàm quod theologiam scholasticam neglexerint? Ex cuius ignorātia omnes dimanasse, facile erit rem perpendenti conijcere. Profecto simul, apud eosdemque cœpere, & linguarum cultura, et scholasticæ rationis contemptus, & hæresum turba. Nescio uiri patres quo me longius, quàm putaram, surripuerit dicendi calor. Boni tamen pro uestrā clementia consulite: quoniam paucioribus effari nequiui, scholasticis tractationibus de medio sublatis, quàm rei timeam theologicæ. Ne uos tamen uiri sacri hac mea inepta proloquendi prolixitate diutius obtundam, hoc qualecunque munusculum accipite, perspicite, castigate, & pro summa authoritate uestra reformate. Nam cui alij quàm uobis ecclesiæ lumina, uestrorum apologiam decretorum nuncuparem? Agite ut cœpistis. Obsequimini spiritui sancto. Honori apostolicæ sedis, ubi sanctissimum ecclesiæ caput residet, consulite. Familiæ uestræ, christiano inquàm orbi, sanguine Christi seruato, prospicite: qui intēta in uos ora tenet, expansasque manus: ut hanc, quæ reliqua est, fidei scintillam

1. Petri. 3.

Philosophiæ munus.

Tit. 1.

Philosophia theriacæ cōparatur.

Quę fuerit cā lutheranis errādi.

excitetis, Christianos principes audite, hoc a uobis obnixe flagitātes, qui de hac causa sedetis iudices, Zelus, officiumq; inuictissimi Cæsaris haud p uos sanctissimo suo fine defraudetur. Qui non modo in hanc eādem causam, fortunas omnes, exercitus, regna utiq; exposuit, sed quo fidem suam, quā Christo obstrinxerat, liberaret, uitā in castris, prodigiosis armis, iaculis utiq; sulphureis obiecit. Vt sit eius fama, ad gloriam diuini nominis, sempiterna. Nanq; si hoc loco christianam rempublicam relinquitis, cum neq; fides in tanto periculo durare diu, neq; mundus, ea extincta, possit esse superstes, in timorē nos certum conijcitis, ne hæc tā late patens discessio, ea sit ipsa, de qua scriptum nobis curauit Apostolus, prænuntiam fore appropinquantis rerum finis.

Zelus Cæsaris.

De nominibus, natura, & gratia. cap. 2.

SAne uero de natura & gratia disputationē instituentibus operæpretiū primum est, res horū nominū exponere. Naturæ enim uoce, in præsentiarū facultatē designamus naturalē liberi arbitrij ad bene agendū: atq; nomine gratiæ, auxiliū, donaq; nobis diuinitus suffecta ad ea officia, quibus ineundis, & perficiendis natura nō sufficit. Vbi hoc animaduertendū est, quod influxus, cōcursusq; Dei generalis, quāuis sit diuinæ maiestati spontaneus, ac uolūtarius, ad uniuersalē pertinens prouidentiam, tñ quia in ipsa statim rerum cōditione, ita cū rerum natura concurrere pepigit, ut res sineret (quod ait. 3. de trin. August.) suis motibus naturalibus agere, inter causas naturales annumeraē: quasi sit naturæ debitus. Vt enim Dei fuerit misericordia, naturas rerū ex nihilo condere, uerūtamen suæ singulis uirtutes & qualitates debenē: cælis nimirū lux: homini, ratio & sensus: alijsq; alia. Et pari ferme ratiōe, concursus ille generalis debitus est, quādiu durauerit, uniuerso. Quocirca ubi aiunt, & philosophi, & theologi, solē a natura illuminare, cælos naturaliter circunferri, ignem suapte natura exurere, atq; his similia, nomine naturæ efficientiam Dei generalem complectuntur: sane qui non solum dat unicuiq; formā essendi, agendiq; uirtutem: sed uniuersa tum sustinet, ut sint, tum

Concursus Dei generalis.

Aug.

tum mouet,ut agant. Quæ autem homo illo adiutus modo nequit,illa,aut naturæ repugnant suæ,aut supernaturali auxilio obtinet.Atq; hoc nuncupatur auxiliũ gratię:quasi non naturæ debitum,sed gratuito collatum. Qua nimirũ phrasi utitur Apostolus,ubi ait.Ei qui operatur,merces non imputatur secundũ gratiam,sed secundum debitum.Quasi opera quæ ita sunt in nostro arbitrio posita,ut solo influxu generali Dei ualeamus perficere,nostra ipsorũ sint,de quibus proin de nobis,ceu de proprijs meritis,debetur merces.Itaq; si misericordiã Dei spectes,hãc rerum machinam,cum ex nihilo effingẽtis,tum continenter sustentãtis,naturalia cũcta agnosces,opera esse gratiæ.At uero ubicunq; gratiã in sacra pagina,in Paulo præsertim legimus,tali nomine donũ uenit,naturæ ipsi præter suum debitum superlatũ cælitus ad agendũ opus supnaturale.Nãq; naturalia munera, licet nõ sint debita personę,quasi ipsa meruerit,sunt tñ modo quodam debita naturæ:supnaturalia uero,nec personæ, nec naturæ : & ideo simpliciter dicuntur gratię.Huius deniq; discerniculi indiciũ accipe. Naturale & miraculosum e regione opponũtur: ubi autem Deus naturalibus causis influentiam illam subtrahit uniuersalem (uti olim fecit & soli gradum sistenti, & babylonico igni nihil lædenti pueros) miraculũ censetur:est ergo influentia,illa naturalis causa. De auxilio uero speciali aliter loquimur. Nã qđ aliorũ Deus misereat̃,alios uero induret, non miraculũ reputamus, sed incõprehensibile iudiciũ eius. Hoc ipsum Aug.agnouit,uti pleraq; omnia,quæ in argumẽtũ huius operis excogitari possunt. Quẽ propterea nimirũ, si ferme unicum coryphæũ identidem huc simus,præ cæteris patribus accersiri . Sicuti & ex scholasticis crebriorẽ sumus consulturi diuum Thomã,qui reliquis copiosius de hisce rebus,limatiusq; disserit.Ille super Psal.144.Quędã, inquit,est Dei gratia,qua Deus fecit , seu creauit nos. Altera,qua refecit,seu redemit nos.Et Paulopost.Pelagius Deo quidem tribuit,quia est:& in hoc recte sentit:sibi uero,quod iustus est:et in hoc sua sentẽtia ipsum fallit.Hęc Aug.Eo enim pręcise intellectu fatebat̃ Pelagius gratia Dei nos iustificari , quod uires naturales aiebat esse gratuito nobis ingenitas : non tamẽ

[Marginal notes: Auxiliũ gratiæ. — Paulus Rom.4. — Iosu.10. — Dani. 3. — Aug. coryphęus in argumẽto de natura et gratia]

Aug. in epistola quinque episcoporum ad Innocentium.

quod praeter illas indigeremus nouo auxilio gratiae. Id quod acrius reprehendit idem Aug. in epistola quinque episcoporũ ad Innocentiũ, quae est. 95. his uerbis. Etsi quadam non improbanda rõne dicitur gratia Dei, qua creati sumus, ut nõnihil essemus, nec ita essemus aliquid, ut cadauer, quod nõ uiuit, & arbor, quae non sentit, aut pecus, quod nõ intelligit, sed homines, qui & essemus, & uiueremus, & sentiremus, et intelligeremus: & de hoc tanto beneficio creatori nostro gratias agere debemus: unde merito, & ista, gratia dici põt, quia non praecedentiũ aliquorum operũ meritis, sed gratuita Dei bonitate donata est. Alia est tñ qua praedestinati uocamur, iustificamur, glorificamur. Et de hac, inquit, quaestio erat cum Pelagio, quando compellebatur, ne diceret, gratiam secundũ opera nostra & merita dari. Et in epistola ad Sixtũ. 2. quae est ordine. 105. Cum ab istis, inquit (scilicet pelagianis) quaerit̃ quã gratiam cogitaret Pelagius, quando anathematizabat eos qui dicunt gratiam Dei secundũ merita nostra dari: respondent, cogitasse ipsam humanã naturam in qua cõditi sumus. Neque enim antequam essemus, mereri aliquid poteramus, ut essemus. Sed abijciatur (ait) a christianorum cordibus ista fallacia: nam omnino non istam gratiam commendat Apostolus, qua creati sumus, ut homines essemus, sed qua iustificati sumus, ut homines iusti essemus. Ista est enim gratia per Iesum Christum dominũ nostrum. Etenim Christus nõ pro nullis, ut homines conderẽtur, sed pro impijs mortuus est, ut iustificarentur. Hactenus Aug.

Aug. in epistola ad Sixtũ

Collectio de nomine gratiae.

Colligamus ergo, quod quamuis naturali beneficia, gratiae etiam nomenclaturã habeant, ubicunque tamen simpliciter de gratia habetur sermo, nisi contextus aliorsum peculiariter diuerterit, beneficium Iesu Christi seruatoris nostri subauditur, in nostram nobis salutẽ impensum. De qua ait Paul. Gratis estis saluati per fidẽ, & hoc nõ ex uobis: Dei enim donum est. Unde & si aliqua speciatim ab effectu sortiatur nomen, ut nuncupetur gratia gratificans, seu gratum faciens, omnis tamen gratia a priuatione praecedentis causae tale sortitur nomen: nempe quod non ex debito, sed gratis donet̃. Quo & Paulus alludit, ubi e regione opposuit. Nõ imputat̃ secundũ gratiam, sed secundũ de-

Paulus Ephe. 2.

Gratiae nomen.

Pau. Roma. 4. & xi.

bitum. Et iterum. Si gratia, nō ex operibus. Alioquin gratia iam non est gratia. Et talis est oppositio naturæ & gratiæ, de quibus hanc adorimur tractationē. Quæ uero res sit gratia, lib. 2. commodius examinauimus, cap. 3 ¶ Quo aūt in litem nos insinuemus, quam lutherani nobis intendūnt, duo semp ecclesiæ Dei extiterūnt de nostra iustificatione contraria pericula. Porro alterum ab ijs, qui in gratiam Dei, diuinūq; honorē iniurij, libero arbitrio, nostrisq; operibus plus iusto cōcesserunt. Quos Paulus apl's sæpe & sæpius pudendi euincit erroris, & ueluti qui sint in Deū impudenter cōtumeliosi, ita de illis ubiq; pronunciat. Hunc errorē post annos quadringētos famosus ille Pelagius resuscitauit. Alterū uero ab ijs iniectū est ecclesiæ periculū, qui gratiæ Dei intantum deferebāt, ut liberū fere arbitriū tollerent: dicentes, Deū in nobis iustitiā sine nobis operari. Ideoq; sola nobis opus esse fide, qua misericordiā Dei apprehendamus. Cætera uero opera haud esse necessaria: dicente Paulo. Arbitramur hominē iustificari per fidē, & nō ex operibus, et hoc genus q̄plurima. Contra quos (uti ait Aug. de fide & opibus) Petrus & reliqui apl'i scripsere, eosdēq; proinde appellat Petrus deprauatores epistolarū Pauli, ut lib. 2. ca. ult. explicatius enarrabimus. Inter hos autē scopulos sacrosancta mater ecclesia, aura spūs sancti aspirata, ita liberū arbitriū astruit, ut ei tā infirmo et egeno necessariā iudicet gratiā Dei. At uero ita uicissim gratiā extollit, ut liberū arbitrium sublatū nolit, sed coopatiōe nostra opus esse uelit in iustificatiōe, et opibus deinceps nostris, quibus iusti iustificemur adhuc. Igit' Martinus Lutherus inter errores alios, quos multorū generū disseminauit, non modo in hanc secundā partē, a Pelagio diuersam, inclinauit, sed accessionē prægrandē fecit. Eo enim usq; per peccatū primi parētis prosternatam uult naturam nostram, & uiribus exhaustam, ut nulla nobis inde fuerit reliqua libertas ad bonum. Vnde innumera confingit monstra, de peccato originali, de libero arbitrio, deq; iustificatione, & operibus nostris. Vt hæc autem ex suis causis dilucide expenderentur, materias omnes de natura & gratia pertractare constituimus: ut ubi quisq; incideret locus aduersus lutheranos, illic eundem luculētius discutere-

Duo de iustifica. extremi errores.

Pelagius

Aug. de fi. et ope. ca. 14.

Ecclesiæ catholicæ sententia.

Martinus lutherus.

mus. At uero cum extrema prænotione medij plurimum innotescant, tam supernaturalis felicissimusq; status gratiæ, quàm culpæ etiã miserrimus habitus ex naturali nostra conditione quàm maxime dignoscitur: & ideo non aliud q̃ idoneum me inde dicendi initiũ inuenisse arbitratus sum, si quatuor homines, quos paulo ante dicebã, statibus, & qualitatibus differentes, ob oculos primũ omnium posuissem. In quibus toto opere patefacerẽ, quousq; natura nostra proprijs uiribus in morum cultura progrediatur: & ubi, nisi auxilio gratiæ peculiarius suffulta, deficiat. Erit aũt ferme operis scopus & thema, duorum saltem librorum, dilucidatio huius uerbi, quod symbolum, insigneq; est Christiani. FIDES, QVAE PER CHARITATEM OPERATVR. Nametsi de hac uoce inter nos conueniat & aduersarios, nimirum fide iustificationem fieri, quæ per charitatem operatur, re differt nihilominus plurimum. ¶ Sed hoc præterea in uestibulo statim disputationis nostræ censuimus admonendũ. Nempe quod in omnibus controuersiis distinguenda ea sunt, de quibus citra iniuriam fidei, uarie diuerseq; sentire cuiq; liberũ est: utpote quæ in opiniõibus uersari permittit ecclesia catholica, ab his de quibus disceptatẽ, an sint scripturis canonicis dissona, nec ne. Id profecto a quo (ut pace utrorũq; dixerim) aduersarijs forte minus, sed neq; nostris satis cautum est. Nam lutherani quamcũq; doctrinam in aliquo forte doctorum nostrorum offendãt, ac si tota schola apud nos theologorum eam pro fide sustineret, ita acriter impetunt & oppugnant, suisq; populis persuadere student, eam esse fidem nostram. Cum tamen complures earum nullius probabilitatis apud graues doctores inter nos habeantur. Contra nonnulli ex nostris opinionem quãlibet suæ familiæ adeo mordicus propugnant, acsi ex illa conuicta periculum immineret orthodoxæ fidei. Nõ ergo ubi de fide agitur, plebem opinionibus et placitis huius aliusue scholæ uexemus. De quibus satis fuerit intra gymnasia disputare. Verum quæ ad Christi fidem attinent, ea penitus sint, quæ cum modestia & charitate discutiamus: quoad misericordia Dei unius sit nobis confessio fidei, eidemq; pareamus ecclesiæ. Vbi, qui prius esse haud quaquam potest,

Quatuor hominũ status.

Thema operis.

Distinguẽdum est inter ea quæ sũt fidei, et ea quę sunt in opiniõe.

futurus est discordiarum finis. Quod si cuiuspiam sententiã doctoris (quod sæpissime est necessariũ) probare magis usu uenerit, admonitos faciamus lectores, suasionem esse humanam, non diuinam persuasionem.

De homine in puris naturalibus mente conceptho. cap.3.

IGitur licet nunquàm fuerit, nec ex lege posita esse possit extra culpam & gratiam in mera sua natura creatus, & relictus homo, cõcipere illum tamẽ animo & effingere nihil uetat, clarioris disputationis gratia. Faciamus itaq; imaginando, ut homo hunc in modum naturalis à Deo sit creatus: utpote rationale animal, absq; culpa & gratia, & quouis supernaturali dono. De homine huiusmodi, qualem penitus philosophi agnouerunt, tria meditari possumus. Primum quod cum suapte natura inter angelos & inferiores creaturas medius sit, atque adeo ex anima rationali & corpore constans, duabus polleret partibus & uirtutibus, sensu scilicet & ratione. Nomine sensus, philosophorũ more, partem totam sensilem nuncupamus: id est cognoscitiuã & appetitiuam: sicuti & rationis uocabulo, partem rationalẽ: ut intellectum cum uoluntate. Ita enim Arist.2. Ethi. dissecat in homine partes binas, eam uidelicet: quæ est rationis compos, atq; sensilem alteram, brutam utiq;, atq; rationis expertem, quæ (ut.1. politic. docuit) rationi obedit: non quidem seruitio despotico, uti seruus domino, qui cum non sit sui iuris, nõ habet renitendi facultatem (hoc enim pacto sola corporea membra inseruiũt animo) sed obsequio politico & regali: uti ciuis paret principi, utpote in cuius est arbitrio, non illi obtemperare. Ex his consequens palam fit, luctam illam, cuius meminit Apost. ad Gala. ut caro concupiscat aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem, esse homini a natura ingenitam: sane quæ ex his diuersarijs partibus innascitur. Igitur quid nomen cõcupiscentię (quod in subsequentibus crebro recurret) significet, ex naturali hominis potentia (nisi rectius dixerim impotentia) uenandum est. Vt hic adnotare incipiat sapiens lector, quàm sit philosophia naturalis sacris literis, ac rebus fidei intelligendis admi-

[Margin: Prima cõsyderatio de homine in puris naturalibus.]

[Margin: Arist.2. Ethi.]

[Margin: Cõcupiscẽtia carnis aduersus spiritũ.]

[Margin: Sensualitas.]

niculo. Etenim cum pars sensitiua, uim utranque comprehendat, porro cognoscitiuam & appetitiuam, appetitus tamen solus est, qui inter theologos nomen habet sensualitatis. Sumitur enim hoc nomen a sensuali motu, ut. 12. de tri. ait Aug. eo quod sensualitas hominem extra rationis metas ad sensibilia, quæ ad corpus pertinent, tum pelliceat, tum etiam concitet. Sicuti a suo actu denominatur potentia, ut a uisione uisus. Mouere autem non tam proprie competit cognoscitiuæ potētiæ, quàm appetitiuæ. Cuius rationem perquàm docte

S.Th.in 1.p.q.81. subijcit S. Tho. q. 81. in. 1. p. Idcirco quod cum operatio apprehensiuæ perficiatur in receptione obiecti, appetitiuæ uero in eo quod inclinatur & fertur in obiectū, illa, quieti; hæc

Cōcupiscentia. uero assimilatur motui. Atqui & si appetitus hmōi in duas a philosophis dissectus sit partes: primā quidē cōcupiscibilē, qua in ea propendimus, quæ cōueniunt, eaq; renuimus, quæ nobis aduersantur, alterā uero irascibilē, qua resistimus obsistentibus, & his quæ deterrent, ne conuenientia prosequamur, totus nihilominus animalis appetitus, nomē habet concupiscentię. Ex eo, quantū conijcio, quod pars cōcupiscibilis, fundamentū est & finis irascibilis. Nunq; enim aggredimur tristia & ardua, nisi propter ea quæ nos amica delectant. Ut nunquàm quis hostem aggreditur ira, nisi quia in eo nocet, quod cupit in pace possidere. Est ergo cōcupiscentia, seclusa

Secunda consyderatio. etiam Adæ, et iustitia, et culpa, nobis natiuus morbus, genuinumq; malū, ut ca. 13. infra latius executi sumus. An uero ex peccato aucta fuerit, nihil modo definimus. ¶ Secundum q̄d de homine illo consyderare licet, est, quod cū esset animal rationale, polleret utiq; ratione ac libero arbitrio: secundū illud

Eccli. 15. Eccli. 15. Fecit Deus ab initio hominē, & reliquit eum in manu consilij sui. Est nanq; homo suapte natura ea ratione ad imaginē Dei factus, quod intellectu pollet, atq; memoria &

Imago Dei. uoluntate. Trinā enim S. Patres speculantur in homine diuinā imaginē: nempe creationis p̄ naturam, recreationis per gratiā, & glorificationis per beatricem illā uisionem patriæ.

Damas. Unde Damas. Quod secundum imaginē (inquit) est, intellectuale significat, & arbitrio liberū, quod est p̄ se potestatiuū. Hæc ille. Est etenim illud ad alius imaginē expressum, quod

non solum cætera mēbra, uerum faciē eius exhibet, & repræsentat: facies aūt & uultus Dei, mens eius est, & uoluntatis libertas. Ob idq;, cum reliquū creaturarū uulgus, quippe quæ esse tantum habeant, aut sine mente uitam, uestigium Dei sit penitus (ut impressio pulueris, quæ pedē, non faciem refert) homo post angelū, est, qui suapte natura faciem Dei, utcunq; repræsentat: iuxta illud Psal. Signatum est super nos lumen uultus tui dñe. Id quod Gene.1. explicate significatur, ubi ait Deus. Faciamus hominem ad imaginem & similitudinē nostrā, et præsit piscibus maris, et uolatilibus cæli. Ac si dixisset. Hominem faciamus, qui iudicio, uti nos, præstet, & arbitrij usu ualeat: atq; adeo cum sui, suarumq; actionum dominiū habeat, pecoribus, cæterisq; rebus ratiōe carentibus perinde dominetur. Vnde S. Tho.1.p.q.96. omnia, inquit, animalia sunt homini naturaliter subiecta. Primo quia inferiora sunt propter superiora. Secūdo quia superiora sunt, a quibus debent inferiora gubernari. Et tertio propter uniuersalem omnium prudentiam, quæ uiget in homine. Hæc ille. Haud tamen subinde cogitatio quempiā subeat, eam fuisse Deo causam condendi hominis ex animo & corpore, ut mundi colonus esset, cæterisq; animātibus, et rebus inanimis præficeretū: qm̄ non propter mundum homo, sed mundus propter hominem, ꝙ late patet, fabricatus est. Id quod Arist. & principes philosophi, natura magistra, perdocti sunt: & nos inter enarrādum locum illum Pauli, quod inuisibilia Dei per ea, quæ facta sunt, conspiciuntur, fusius elucidauimus. Cū enim, authore in de diui. no. Dionysio, bonum suapte natura sui sit ipsius diffusiuum, duas Deus substantias sui capaces statuit effingere, cum quibus diuinam suā felicitatem cōicaret: sane ut eas suiipsius amore & cōspectu bearet, quibus est ipse beatus. At ꝓpter incorporeum angelum, nullo opus fuerat corporeo mundo, sed solum propter hominē: cuius proinde seruitium est, quātacunq; est cælorum, astrorum, & elementorū moles, ex hisq; mystorum numerosissima supellex. ¶ Tertia ergo fuerit de nostro isto physico homine consyderatio. Nempe duos esse hominis fines: alterum qui suæ commēsuratus est naturali uirtuti, & facultati, siue qua parte ad intel-

Psal.4.
Gene.1.
S.Th.1. p.q.96. arti.1.
Non hō propter mundū, sed mundus propter hominem.
Angelus et homo
Tertia consyderatio.
Duplex finis hominis.

lectum spectat, siue qua pertinet ad uoluntatem: alterũ uero, qui eius uirtutem excedit. Intellectus naturale obiectum in hac uita est ens, uel quod sensibus obiectum est, uel quatenus per abstractionem a sensibilibus conspicitur. Ratio quam in promptu ipsa suggerit natura, est, quod cum anima nostra sit actus corporis, necesse est nostram cognitionẽ à sensu inchoari, & intellectu perfici. Vnde est axioma illud Arist. Nihil est in intellectu, quin prius fuerit in sensu. Quocirca cum intellectus potentia sit immaterialis, potens est ex præsentatis effectibus ad supernas, spiritualesq; causas contemplãdas mentis oculos erigere. Hoc autem & perparũ ad præsentem rem pertinet, & erit forte legentibus insuaue, aliarum rerum auidis. At quatenus ad humanã uoluntatem, liberumq; attinet arbitrium, (id cuius frequens futura nobis est mentio) animaduertẽdum est, quod cum homo sit rationale animal, finis eius naturalissimus est operari semper secundũ rationẽ, id est, omnia agere propter honestũ, quando, & ubi oportet, secũdum prudentiæ regulas, a ratione præscriptas. Suorum autem finis officiorum in hac uita, est, pax, tranquillusq; status reipublicæ. Est enim homo politicum animal, natum in societate uiuere, ob idq; suapte natura in hoc propensum, ut ea se ratione gerat, primum respectu sui, mox respectu familiæ, ac demum respectu ciuium, qua ratiõe pax in republica, charitas, & beneuolentia perpetuo constet. Hunc penitus finem philosophi naturales speculati sunt. In hunc positæ sunt ciuiles leges, ordinesq; & magistratus in republica constituti. Nec solum astruimus, agere secũdum rationem, natiuum esse homini: ueluti auibus, uolare: natare, piscibus: terrestribusq; animalibus, gradi. Hæc enim non sunt fines, sed opera media, quibus consequuntur finem, puta uictum, ut uiuant. Sed dicimus, finem esse, & scopum, in quem nos natura produxit. Sicuti natura rei grauis est, moueri ad centrum: leuis, sursum ferri: solis, illuminare: ignis, exurere. Nec ista est propositio, quæ persuaderi opus habeat, sed postulatio, quam dicunt dialectici, quæ ex ipsa diffinitiõe hominis statim liquet: Hoc enim ipsum pollet, animal rationale, q̃d animal in hoc natum, ut ratione uiuat. Veruntamen ita est munus hoc nobis

Obiectũ intells.

Axioma Aristo.

Naturale est homini operari secundum rationem.

Homo animal politicũ.

bis innatum a natura, ut tamen sensualitas nobis sit impedimento, ne semper id præstare possimus, ad quod nati sumus. Nam, ut in prima consyderatione dicebamus, appetitus qui suopte ingenio præter rõnis iussum impetu fert in sua obiecta, aut rationem post se præcipitat, aut negotium, molestiamq; illi facessit renitenti. ¶ Sed hic quispiã merito pcontetur. Si natura sensualitatis est, cõtra rationem agere, & sensualitas ipsa in natura inest penitus hominis, cur nõ dicamus perinde naturale esse homini, agere contra rõnem, atq; agere secundum rõnem? Ratio cõspicua est, & manifesta. Nãq; cum operari secundum rationem competat homini ratione formæ, a supremoq; eius gradu, unde sortitur speciem: agere autem contra rationem, obtingat ratione materię, nempe ab infimo gradu, cõmuni sibi cum brutis (quod est sensitiuum) merito illud iudicať esse ei simpliciter naturale, hoc uero naturale secundum quid, id est, secundum sensualitatem, simpliciter autem contra naturam. Tametsi, esse corporeum, mortalem, sensitiuũ, et talia, licet prædicentur rõne materię, quia tamen nihil præ se ferunt contra rationem, simpliciter enunciãtur de homine. Atqui & in Paulo reperitur ẽt genus hoc loquẽdi: ubi ait. Si autem quod nolo, illud facio, iam nõ ego operor illud, sed qđ habitat in me peccatũ. Id enim mali, qđ succũbente rõne, uolentes facimus, dicimur simpľr nos facere, ea autem illecebra, quæ renuẽte uolũtate, est in cõcupiscẽtia, haud nostra est propria, sed ipsius sensualitatis. Quã propterea supra non appellauimus bonum naturæ, sed malum eius, & uitium, & morbũ: ut infra ca. 13. explicatius liquebit. Qua etiam de re, uirtutes omnes, etiam secundum philosophos, ut author est Aug. 14. de ci. dei, & S. Tho. 12. q. 71. sunt secundum naturã hominis: uitia uero uniuersa, contra naturam. Vnde. 4. ca. de diui. no. Dionysius. Bonum (inquit) hominis est, secundum rationem esse, malum autem, præter rationem. Et hæc de illo fine hominis, qui uiribus naturæ nostræ commensuratur. Est ueruntamen finis nobis alter, uirtutem, uiresq; naturæ nostræ longius exuperans, quàm ut à nobis possit, uel cognitione, ne dum re ipsa pertingi. Id con-

Dubitatio.

Rom. 7.

Aug. 14. de ciuit. Dei.

Diony.

Finis naturæ nostræ excellẽs.

ſiſtit in Dei ſumme amati per facialem uiſionem cōprehen-ſione. Hæc eſt enim (inquit ueritas ipſa) uita æterna, ut co-gnoſcant te Deum uerum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum. Quod eſt, ut te in hac uita fide cognoſcentes, ſpe appetāt, cha ritate excolant, quibus te tandem officijs deamatum uidēdo comprehendant. Eſt nãq; uiſio, præmium fidei: iuxta illud. Videmus nunc per ſpeculum in enigmate, tunc autem facie ad faciem: eademq; ſimul eſt, quæ ſpem terminat, comprehē-ſio. Nam ſic currite inquit, ut comprehendatis. Quare ut iu-ſtus hic ex fide uiuit, ſane dum ſpe eorum quæ uiſurus eſt, iu-ſta operatur, ita & beatus uiſione illic uiuet, dum conſpectu ſperati amatiq; Dei ſatiabitur. Atq; adeo, ut uita hic æterna à cognitione Dei exordium ſumit, ita & illic cognitiōe perfi citur. Sed non eſt hic locus concertandi, utro in actu beatitu-do conſiſtat. Eſt ueruntamen uterq; intellectus, ſcilicet, & uo luntatis, neceſſarius: quod ſatis in præſentia nobis eſt.

Viſio beans.

Iuſtus ex fide uiuit.

Quænam officia homo in puris naturalibus præ-ſtare poſſet. cap. 4.

PEr hæc communita nobis uia eſt, ad inueſtigan-dū, quid homo ille naturaliter poſſet, quidq; mi-nime, ſi auxilio eſſet gratiæ deſtitutus. Hoc enim propoſitū nobis eſt de ſingulo hominis ſtatu diſ-ſerere. Quod per tres hic concluſiones, ex præfatis tribus con ſyderationibus appendentes, conſtabit facile. Prima. Poſſet tunc ille homo ſolo generali auxilio Dei ſuffultus, & unã pri mam rerum conditricē cauſam noſſe, & ea quæ naturale ius de officijs, uirtutibusq; humanis docet, tum pernoſcere, tum etiam quandoq; uſu & more præſtare. Neq; uero eſt, ut ueli-mus in præſentia concluſionem hanc ex omnibus ſuis cauſis demonſtrare. Nam cum de hoc homine, quem fingimus, ni-hil, uel in ſacra pagina, uel apud S. Patres ſcriptum ſit, com-modius elucidabitur cap. 20. ubi de homine in originali cul-pa, eadem altius repetenda eſt nobis quæſtio. Modo inte-rim ſatis fuerit, rationem naturalem ſubijcere. Quæ quãtum ad cognitionem, talis eſt. Natura eſt effectarū rerum, ut ſuas quæq; cauſas repræſentent, ingenitumq; eſt homini (ut pau-

Prima cōcluſio.

lo ante dicebamus) ex præsensis effectis causas rimari: qua ratione sunt causæ. Cum ergo Deus prima sit rerum omnium, quas sentimus, causa, et supremus finis, poterit homo ad eius notitiam per hæc uisibilia promoueri. Attamen consyderādum est, quod cū Deus nihil agat in rebus, quatenus trinus, sed quatenus unus (quoniam ut dictum est à theologis, opera trinitatis indiuisa sunt extra) nō cognoscitur ex rebus inquantum trinus, sed inquantum una summa causa, & finis, unde omnia dimanant, & quo omnia, suo quodq; modo & ordine, appetitu tendūt. Et hoc est quod ait Apostolus inter obiurgādum philosophos. Quia quod notum est Dei, id est, acumine naturali de Deo est cognoscibile, manifestum est illis. Deus enim illis manifestauit. Et quod loquatur de manifestatione per lumen naturæ, plane liquet ex eo quod sequit̃. Inuisibilia enim ipsius à creatura mundi, p̃ ea quæ facta sunt intellecta cōspiciunt̃: sempiterna quoq; eius uirtus & diuinitas. Hæc enim sunt, quæ de Deo per creaturas patefacit naturæ radius: nēpe, ut sit unus, sempiternæ uirtutis, sapiens, bonus, & cætera quæ hæc mundi machina mole sua, ordine, & pulchritudine, confitetur de illo & prædicat. Cæli enim enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annunciat firmamentum. In quibus proinde philosophi naturales Deū opt. maximum speculati sunt. Neq; id tm̃ de Deo agnouere, sed cuncta propter hominem esse, & moueri, hominē uero propter primam causam, quę est summus omnium finis. Et ideo causæ illi supernæ obedientiam, & rebus bene gestis cultum ab homine deberi. Atq; eadem luce naturali discernere homo ille potuit inter bonum, & malum: honestum, & turpe: illaq; prima uitæ humanæ elementa notissima cernere. Id facias alijs, quod tibi uis fieri: idq; ne facias, quæ neq; uelis tibi. Poteratq; demum nosse hominem esse animal politicum, officiaq; subinde alios alijs debere, quibus pax, trāquillaq; respublica inter eos consisteret. Ex hoc priori mēbro cōclusionis de cognitione, consequens & alterum fit. Sane quod ualeret homo ille in puris naturalibus, quauis originali, seu iustitia seu culpa semota, solo nutu generali Dei, opus aliquod

Deus agit inquātum unus.

Rom. 1.

Psal. 18.

Notitia philosophorū de Deo.

Secūdū mēbrū cōclōnis

honestum quandoq; efficere, & quod esset (ut aiunt) moraliter bonum. Enimuero cognitio rerum agibilium nõ est, à natura sua, nisi propter opus, ut 2. Ethic. author est Aristo. ergo si potens erat homo ui intellectus iudicare bonum honestũ, poterat etiam et illud per uoluntatem nonnunq; amore prosequi, & more præstare: saltem quatenus ordinatur in finem a natura pręscriptũ. Item homo (ut paulo ante dicebamus) natura sua est animal rõnale, id est, aptum natum secundũ rõnẽ uiuere: ergo põt id quandoq; ui, & uiribus naturæ suæ consequi. Est enim psuasu impossibile, uires inesse sensualitati expugnãdi rõnem, nullã tñ suppetere uirtutem a natura homini, ut ratione uicissim superet sensualitatẽ, cũ hoc maxime (ut dicebamus) naturale sit homini, illud aũt contra suã naturã.

Arist. 2. Ethi.

2. Ratio.

Hanc præmeditationẽ substernimus aduersus illos (quorũ caput fuit Gregorius arimi.) qui inficiant, posse hominẽ absq; auxilio speciali Dei, uel cognoscere sufficiẽter, uel efficere bonum opus morale: propterea quod necessariũ sit, ut referatur in Deum, qđ fieri nequit naturaliter. Hoc est enim hominũ haud oculate distinguentiũ inter finem naturalem, & finẽ supernaturalẽ hominis. Idem enim auribus exhibet, opus moraliter bonum, qđ opus bonum cõmẽsuratum naturali fini, id est, quod fit tãtum propter honestum. Nã honestũ ipsum, nisi mala circunstãtia uestiat, suapte natura, uirtute refertur in Deum. Præsertim quia potest naturaliter actu ẽt in ipsum referri, quatenus ex creaturis põt naturaliter cognosci esse ultimus finis naturalis: qđ operi moraliter bono satis est. Miraculum enim esset, quod facultas adesset naturalis rebus cæteris tã inanimis, q; animantibus obtinendi suos ipsarũ fines, & tñ dignissimo animalium homini, non suppeterent à natura sua uires, ut certo in moribus præscripto fine quandoq; potiretur. Sane uero Paulus eo facit philosophos inexcusabiles, quod cum Deũ cognouissent, non sicut Deum glorificauerunt: igiť propterea fuerunt inexcusabiles, quod si opera moraliter bona (ut ius naturæ ostendebat, eiusdemq; erat facultas) fecissent, Deus tunc specialiori fauore & auxilio illis succurrisset, quo illos sibi reconciliaret. Sed sunt nobis hęc la-

Gregor. Arimin.

Opus moraliter bonũ

tius cap. 20. differenda, & ideo supersedendum est hic, ubi tãtum iacimus fundamenta naturalia. ¶ Supponimus huic tamen cõclusionem secundã. Non quiuerat homo ex puris naturalibus, totum naturę bonum pficere, id est, ubicunqꝫ opus esset, bene moraliter agere. Atqui huius se ratio ꝑtinus profert. Nã cum homo (ut dictum est) etiã in puris naturalibus in continuo esset duello sensualitatis aduersus rõnem, necesse esset rationem, non quidem semp, sed tñ sæpe succũbere hosti, nisi diuinitus suppetias haberet. Nec solum ꝑpter sensualitatis pugnã, uerum et propter imbecillitatem corporis, quod licet obediat obsequio despotico, tñ fatigatur, & lassum non potest ad nutum parere rationi. Quocirca posset homo unũ aut alterum præceptum naturæ seruare, non quidem ut amicitiam Dei commereret̃ (de qua re statim dicturi sumus) sed quantum ad substantiã operis, ut per bonum opus morale peccatum euitaret. Sed neqꝫ id posset frequenter, ut cap. 22. sumus latius expressuri. Atqui experimentum huius latissime patet in ijs, qui sunt extra gratiam Dei, et potissimum in infidelibus, qui a numime deserti, per uniuersa uitioꝵ præcipitia corrunt. ¶ Tertia deniqꝫ conclusio & assertio de nostro isto homine est hæc. Neutiqꝫ poterat, ẽt si nulla præcessisset culpa, uel naturali acumine intellꝰs apprehendere, uel suis uiribus assequi summũ illum, felicissimumqꝫ finẽ, ad quẽ creatus est. Assertio hæc facilis est, quæ ratione naturali demonstret̃. Finis enim ille extra, supraqꝫ oẽm lineã est, & ordinem naturę conditæ: eo qđ Deus infinitus sit, omnis autẽ creatura, limitata, ab illaqꝫ adeo pfectionis abyssũ infinitum distãs. Vnde (quod ad cognitionem attinet) sicuti sensus ad uniuesalium cognitionẽ & spiritualium non protendit̃, eo quod sit potentia materialis, & idcirco inferioris ordinis, ita nullus creatus intellꝰs, utpote qui finitus sit, imensam illã substantiã põt p se, qualis ipsa est, cognoscere. Et (ut angelũ interim mittamus) de homine pspicacior ratio est. Nã cum non possit nisi p sensibilia ad diuinã cognitionem conscendere: & sensibilia hęc, nõ nisi quatenus unus est, Deũ ipsũ nobis ostendãt, non põt homo naturaliter Trinitatem, & quæ sunt psonaꝵ propria

Conclusio. 2.

Conclusio. 3.

(in quibus cognoſcendis ſumma illa felicitas poſita eſt) mentis intuitu cernere. Quinimmo neq; anima corpus exuta, neque incorporea intelligentia: eo quod ſint limitatæ uirtutis.

Eſa. 64. Veritatis huius firmũ teſtimonium eſt in Eſaia. A ſeculo nõ audierunt, neq; auribus perceperunt: oculus non uidit Deus abſq; te, quæ præparaſti expectantibus te. Cum enim humana omnis notitia rerum, aut diſciplina per auditũ, aut inuentione per uiſum acquiratur, & comparetur, ſignificantiſſime explicuit Propheta, ꝙ non ſit humanæ facultatis, diuinæ illius ſubſtantiæ conſpectus. Sed ne quis cõminiſceretur, poſſe hominẽ uel animo illã contemplari, adiecit diuinus Apoſtolus.

1. Cor. 2. Neq; in cor hominis aſcenderunt, quæ præparauit dominus ijs qui diligunt illũ. Quod ille dixerat, expectãtibus, expreſſit hic per, diligentibus. Dilectio enim proximum eſt, iuſtumq; æternæ felicitatis meritum, ſi modo gratia Dei præueniatur. Subdit uero, nobis autem reuelauit Deus per ſpiritum ſanctum. Sane ut admoneret, id, quo per naturam ſubuehi non ualemus, numine nobis obuenire.

Philoſophi non cognouerũt ueram felicitatem.

Porro hæc cauſa philoſophis fuit, ut cum ſumma ingeniorum culmina longiſſimo uſu & arte percoluerint, ſummamq; hominis felicitatem fuerint tam improbe perſcrutati, tamen id tantum aſſecuti ſunt, quod practica quidem beatitudo in uſu uirtutũ, ſpeculatiua uero in ſubſtantiarum contemplatiõe ſeparatarum collocaretur. At qualis nam eſſet contemplatio illa futura, neq; ſunt uſq; ſuſpicati. Vnde Apoſtolus de Chriſto.

1. Timo. 6. Rex, inquit, regum eſt, & dominus dominantium: qui ſolus habet immortalitatem, & lucem inhabitat inacceſſibilẽ, quã nullus hominum uidit, nec uidere poteſt: ſcilicet naturaliter. Propterea enim appellat illam lucem inacceſſibilem, quia ſoli immortali Deo eſt peruia, & illis, quos ipſe immortalitate donauerit. Quod ſi cognitio illius inacceſſæ lucis, ubi finis noſter actionumq; noſtrarum ſcopus abditus eſt, nequaꝗ nobis eſt naturaliter poſſibilis, & homo, niſi ſcopũ nouerit, nullum illuc intendere, referreq; poteſt officium: ratiõe naturali colligitur, non eſſe in hominis facultate poſitum, ut ineffabile illud præmium ullis poſſit officijs, aut rebus geſtis prome-

teri. Quantacunque ergo homo ageret naturaliter bona opera, nullum tamen esset quoquo pacto meritum, uel amicitiæ uel gloriæ Dei. ¶ At uero obuiam hic forsan nobis quispiã ueniat, quod felicitas illa suprema, finis sit potius noster dicendus naturalis, quàm supernaturalis. Finis enim naturalis cuiusque rei est, in quem appetitus naturalis propēsus tendit: appetitus autem naturalis noster inclinatur & fertur in illam inęstimabilem felicitatem, quia illucusque quiescere non potest: ergo est finis noster naturalis. Sunt in schola etiã S. Thomę, qui super. q. 12. primæ partis distinguunt, quo modo finẽ illum appetat homo naturaliter. Nam si homo, aiũt, consyderetur in suis naturalibus ante lumen fidei, falsum est: quoniã neque põt naturalr̃ cognosci, neque appetitus ferri in incognitum. Si tamen consyderetur perfusus lumine fidei, scopum illum indicantis, tunc uerum est, humanum appetitum continuo illuc naturaliter intendere. Isti ueruntamẽ huc ferme declinant, quod sit finis ille supernaturalis. Etenim si non põt ab homine concupisci ex suis naturalibus, nisi præhabita cognitione supernaturali, potius censetur supernaturalis finis, quàm naturalis. Et tamen non eneruãt efficaciam argumenti. Nam quàuis (ut terminis scholarium utamur) nequeat homo actu elicito cupere illum finem, nisi præuia cognitione fidei ipsum reuelantis, si tamen appetitio accipiatur pro inclinatione ipsa, & põdere naturali (quemadmodum graue, dũ quiescit, appetit centrum mundi) profecto appetitus naturalis omnium hominum, etiam illorum quibus lux fidei nondum illuxit, suapte natura illuc ferr̃. Cuius firmum testimonium est, quod quãtocunque potiatur homo optato bono in rebus conditis, nullibi tamen quietus est, esseue potest, quoad æterna illa uisione fruatur. Vnde confessio illa Augustini in mentem uenit. Fecisti nos domine ad te, & inquietum est cor nostrum, donec perueniat ad te. Profecto ita censeo, quod finis ille simpliciter sit nobis naturalis. Neque definierim finem naturalem esse illum, quem possimus naturaliter assequi, sed illum, quem appetimus naturaliter. Et quamuis nõ ualeamus naturaliter pernoscere, illud esse summum bo-

An felicitas cælestis sit nobis naturalis.

Caietanus.

Aug.

Sentẽtia authoris

num,quo beandi,satiādiq; sumus,inquietudo tamen ipsa humani animi, nullibi citra illum statum requiescentis, fidem abunde facit,illum esse finem nostrum naturalem. Alias nullus esset ultimus finis appetitus humani:quod esset dictu absurdum.Inest ergo nobis a natura appetitus in genere ad bonum,ueluti est in materia appetitus ad formam. Attamē differt,quod materia sub nulla quiescit forma,quin aliam appetat:animus uero noster nullo contentus est bono, citra illud summum:in quo tandem requiescit. Huius uidetur esse opinionis Scot.in quarto.d.49.q.10.ubi ait quod appetitus naturalis semper & perpetuo & summe fertur in summam beatitudinem in particulari:licet actu elicito id non possit citra supernaturalem cognitionem. Et eadem est (ni fallor) sententia S.Thom. eadem. q.12. citata, articulo.1. ubi ait,quod inest homini naturale desiderium cognoscendi causam,cum intuetur effectum:& ex hoc admiratio in hominibus consurgit.His enim uerbis edocet,pspectis effectibus,naturale desiderium nostrum excitari intuendæ in se causæ. De illa enim cognitione per essentiam erat illic sermo. Et.3.contra gen.ca.50.multis confirmat. inane esse desideriū naturale,nisi Deū homo uidere posset.Quin adiecerim ego desideriū illud naturæ nostræ,quod in prologo metaphysicæ agnouit Aristo. ubi ait.Omnis homo naturaliter scire desiderat,illic omnino expletum iri (ut est in Propheta)ubi apparuerit gloria Dei.

Scot. | S. Tho.1. p.q.12. | Aristo.1. metaph. | Psal.16.

Vt ergo rem concludamus, haud negandum est, finem illum esse nobis naturalē respectu appetitus,sed est nihilominus,si assecutionem eius spectes, supra uires naturæ nostræ. At uero est aduersus hanc sententiam argumentum minime debile.Nemini unquam natura ad finem aliquem appetitū ingenerauit,cui non simul sufficeret organa & potiūdi facultatem,ut oculate cernere est in animalibus , ubi sua sunt cuiq; fini & operi destinata membra. Vnde Arist.in.2.cæli.Si haberent inquit,cælestes orbes uim progressiuā, natura dedisset eis organa opportuna.Cum ergo homo a natura non habeat uirtutem,& potestatem promerendæ,adipiscendæq; illius beatitudinis,consequens fit,ut neq; habeat naturalē appetitum

Argumentū. | Arist.2. cæli.

petitū. Alias hominē fecisset præ inferioribus creaturis truncum & mācum, atq; adeo peius cum eo egisset Deus, q̄ cum cęteris. Ad hoc aūt facile respondet, magis exinde effulgere celsitudinē humanæ naturæ: quod cū nulla possit esse natura creata, quæ ulla sit proportione ad assequendam felicitatem illā, quæ exuperat oēm sensum: nihilo secius angelica & humana ad imaginē Dei conditæ, illū haberēt pro fine ultimo: & ubi natura nostra deficiebat, illic pręsto esset nobis Deus, paratissimus subuenire, nisi nosipsi renuerimus. Porro si uerum est dictum Arist. 3. Ethi. q̄d ea quæ p amicos possumus, p nos quodāmodo possumus, nō est cur non dicamus, nos ēt posse & amicitiam cum Deo inire, & eius perfrui conspectu: siquidem tā nobis Deus prōptus est, per Christum seruatorē nostrū suppetias ire. Neq; illud Aris. in lib. de cælo, cōtra nos facit: tū quia non dicit, q̄d si orbes cælestes haberent inclinationē ambulādi, haberent organa. Sed si haberent uim: in nobis aūt non est abūde uis ad beatitudinem illā, sed inclinatio: tū ēt quia ipse nihil de mysterijs fidei supnaturalibus nouit. Igit̄ ut dictoꝝ epilogū faciamus, qui cām originalis iustitiæ inspicere optat, qui hominis lapsi orbitatem, & impotētiam qui gratiæ deniq; necessitatē in sua radice ppendere, hæc tria asserta de hoīe in puris naturalibus ante oculos constituat. Nēpe q̄d nudæ naturæ hominis potestas est, quauis semota culpa et gratia, p generale auxiliū, bonum aliquod in genere morū naturale facere: q̄m animal est rōnale: non tñ ualet diu in eiusmodi bono durare, quin sæpe cadat, ppter pugnā sensualitatis, & corporis imbecillitatē. Nihil tñ prorsus pōt, uel facere, uel uelle, uel cogitare, quod sit meritū amicitiæ aut gloriæ Dei, ppter infinitā eius excellentiā. Quin uero tertiū hoc fundamentū, q̄q̄ rōne hac naturali supra nixi sumus fulcire, maioris tñ est certitudinis, quàm rō ulla naturalis. Ob idq; cuiuscunq; sit ratio pōderis, hoc tñ fixum est christianis & firmū, tanq̄ fides catholica. Puta q̄d in diuinū consortiū nemo, nisi gratuita eius bonitate, admittit̄: iuxta illud Nemo pōt uenire ad me, nisi pater meus traxerit eū. Et gratia estis saluati p fidem, & hoc non ex uobis: Dei enim donū est. Et id genus plurima, quę ca. ul. 2. lib. copiosius cōgesta dilucidauimus.

Rñsio.

Arist. 3. Ethi.

Epilogus.

Christianorꝫ cōfessio.

De statu hominis, in iustitia originali. cap.5.

EX his facilis gradus est ad illum felicem statum intelligendũ, in quo fuit conditus primus homo. De quo primum omniũ concors est, tam priscorum patrum, quàm posterorum theologorum sententia, creatum fuisse in iustitia originali: an uero fuerit creatus in gratia, & amicitia Dei, non ita conuenit inter omnes. Vnde consequens fit, ut neq; de ratione ipsa & diffinitione originalis iustitiæ consentiant uniuersi. Sunt enim inter theologos, qui negant angelos fuisse creatos in gratia, & pari coniectura, primum hominem. Hæc sententia placuit Guillielmo altisiodorensi, & Hugoni de S. Victore lib.1. de sacra. p. 6. Eandem secutus est Alex. de ales. 2. p. q. 96. Et Bonauen. & Scotus. d. 29. lib. 2. Et Marsil. eo. lib. q. 16. & alij. Sunt uero contra, quibus pars affirmatiua magis probatur. Quorum fuit antiquus Præpositiuus, & S. Thom. 1. p. q. 95. Duran. lib. 2. d. 20. & alij minime pauci. Et plane existimo fuisse opinionem August. Scot. ergo & reliqui suæ classis aiunt Adam in sola originali iustitia fuisse creatũ, absq; gratia gratum faciẽte. Sed S. Tho. & reliqui in ea sunt sententia, ut credant in gratia & iustitia fuisse conditum. Quinimo iustitiam illam ita a gratia pendere, ut fuerint uel inseparabiles, uel forsan (ut postea explicabimus) rem unã eandemq;. Primũ autem, qui rationem originalis iustitiæ dilucide nosse cupit, respiciat oportet ad duos illos defectus, quos proximo capitulo, in nuda natura hominis exponebamus. Primus enim erat, quod in ordine ad finem, qui commensuratus est naturæ nostræ, scilicet, operari secundum rationem, pateretur homo ille permagnam difficultatem: tum propter concupiscẽtiam, ad malum decliuem: tum propter infirmum, & imbecille corpus. Secundus defectus erat, quod per nullum opus naturale, quantumcunq;, & qualecunq; genere suo esset, cõmereri posset amicitiam Dei. Authores ergo prioris opinionis, separantes iustitiam a gratia, constituunt iustitiam originalem, tantum esse sanitatem naturæ, aduersus priorẽ defectum, gratiam uero debuisse, aiunt, recipi in illo statu sicuti in nostro, per auxiliũ Dei, homine cooperãte. Sed S. Tho. ait,

Duę opiniões de primo statu hominis.

Rõ origi. iustitiæ.

utrunque beneficium hominem suscepisse in sua conditione: et ad operandum secundum rationem, & ad uitam æternam promerendam. Igitur nomine iustitiæ originalis, secundum utranque opinionem, non uenit specialis uirtus, quæ inter cardinales adscribitur, unicuique suum tribuens: neque uero talis iustitia, quali nunc iustificamur, quæ est gratia remissiõis peccatorum. Sed iustitia originalis, est rectitudo quædam totius hominis: nempe corporis ad animam, & appetitus sensitiui ad rationem. Quæ uerbo illo Eccles. 7. designatur: ubi scriptum est. Fecit Deus hominem rectum. Nempe ut sensualitas nullam rationi molestiam inferret, neque corporea membra defatigarentur, ubi uellet illis homo uti: atque adeo ratio nunquam interturbata, cõtinenter esset Deo intenta. Et quoniã per Originem iustitia illa, tum recepta fuit Adæ, tum etiam transfundenda erat in posteros, originalis dicitur. Qua modo ratione cõtraria culpa, originalis quoque appellatur. Differt tamen inter præfatas opiniones, quod secundum Scotũ & suos, iustitia non faceret rationem esse ita Deo intentam, quasi esset homo per illam ad amicitiam Dei subleuatus: hoc enim munus est proprium gratiæ: uerum eatenus intenta, quatenus in Deum naturaliter fertur natura nostra. Vnde Scot. donum inquit, illud iustitiæ non oportet fuisse principium meriti: sed erat comparatione ad gratiam excedens, & excessum. Excedens quidem, quia per illud firmius uoluntas coniungebatur Deo, quam per gratiam: siquidem nullam patiebatur molestiam a sensualitate, nec grauedinem a corpore. Gratia uero simpliciter est excellentior, eo quod ipsa coniungit fini, ut bono supernaturali, & ut supernaturaliter per meritum attingendo: non sic donum iustitiæ: quod tantum coniungebat illi bono, ut conuenienti, & delectabili. Hæc Sco. At S. Tho. in illo uerbo Eccles. 7. Fecit Deus hominẽ rectum, agnoscit integram rectitudinem, sane qua Deo homo subiectus esset per gratiam, ideoque uires inferiores rationi, & animo corpus. Hæc sunt in præsentia paulo fusius, tũ sacrorum elogijs, tum rationum probabilitate perpendenda. Atque illud quidem prius, quod commune est Patribus omnibus & theologis: nimirum de iustitia originali. Nullus

Eccles. 7

Vnde dicitur originalis.

Discrimen opinionũ.

Scot.

S. Tho.

Vix aptus est locus de iustitia originali. Gen. 1. et 2.

enim in diuinis eloquijs apertus uidetur esse locus, non solũ quo possit cõstitui iustitia illa originalis, uerum, quo mentio fiat illius aliqua. Cum ergo quæ super naturam sunt, ex sola sacra scriptura sint stabilienda, uidet̃ iustitia illa absq; ullo firmamento conficta. De hominis nanq; creatione, id penitus legimus, quod effecerit eum Deus, ad imaginem, & similitudinem suam, & quod posuerit eum in paradiso uoluptatis: imago autem & similitudo, ex ui sensus literalis, id tantum adfert intelligentiæ, quod fuerit rõne, & libero arbitrio insignitus: paradisus autem uoluptatis, ad uitam prorsus corporeã pertinebat. Igitur cum natura brutæ sensualitatis sit, prę ter rõnem, prętercp modum ullũ, impetu ferri in sua obiecta, naturacp sit uoluntatis, condelectari sensibilibus uoluptatibus, unde colligitur, quod ita fuerit uel sensualitas refrenata, uel uoluntas ab eius incursione libera, ut in illo statu, summa illa tranquillitate frueret̃ homo. Et eodem ferme modo hæsitabit quispiã de peculiari opinione S. Tho. & aliorum astruentium fuisse ẽt creatum in gratia. Ad hæc nihilominus respondetur, quod q̃uis in sacra pagina non tam extet expressa fides de iustitia originali Adę, q̃ de originali culpa nostra (hãc enim Paulus patenter enunciat ut postea patescet) non tñ caret fundamento scripturę diuinę: iuxta S. Patrũ expositionẽ. Atq; eadẽ testimõia, quibus statuit̃ iustitia originalis, simul et illi sentẽtiæ suffragant̃, quod iustitia, uel fuerit ipsa gratia, uel fuerit eiusdẽ indiuiduus comes: quã ob rem utrunq; una corroboramus. Locus ipse imprimis ex Gene. modo citatus, q̃uis non id forte rigore sermonis, bono tñ intellectu, nõ modo significat hominẽ, cum ratione & uoluntate fuisse creatũ, sed cum ipsis etiã eisdem potentijs inclinatis ad bonũ, & ad Deum ipsum. Etenim cũ Deus uniuersis quę plasmauit, indiderit suiipsius affectũ & inclinationem: atq; adeo omnia fecerit sibi, pro cuiusq; gradu, & modo amica, hominẽ quem ad sui imaginem & similitudinem, suiq; consortij capacẽ efformabat, uero simillimum est, ut produxerit, non solũ cum omni propensione ad se, & absq; ulla declinatione ad malũ (quo secundũ authores primæ opinionis complet̃ ratio iustitiæ originalis) uerum & sibi fecerit amicum, quod ad gratiã

Cõstabilit̃ sentẽtia de iusti. orig.

Testimoniũ primum iusti. ori.

attinet, quã S. Tho. & alij rõni eiusdem iustitiæ adiungunt. Vnde Eccli. 17. Deus inquit, creauit de terra hominem, & secundũ imaginem suã fecit illum, & secundũ se uestiuit illum uirtute, id est, gratia et charitate sui. Et Paulus ad Colossen. 3. Expoliãtes uos ueterem hominẽ cum actibus suis, & induẽtes nouum eum, qui renouatᷓ in agnitionem, secundũ imaginem illius, qui creauit eum. Vbi renouationem per gratiam, appellat renouationẽ imaginis, in qua creatus est homo. At qui ex altero loco paradisi uoluptatis, sumitᷓ etiam argumentum. Cũ enim locus sit inditium locati, paradisus uoluptatis præ se fert, in summa felicitate positum fuisse hominem, quæ extra conspectũ Dei sub cælo esse põt. Talis autem felicitas esse nequiuerat, ubi caro insultaret contra rõnem, sane ex cuius conflictu, non poterat non extare homini, tum periculũ, tum etiam grauis molestia. Tertius locus, atq; adeo in hac causa usurpatissimus, est ille Eccl'es. 7. Fecit Deus hominem rectum, & ipse se infinitis immiscuit qõnibus. Vbi questionum uoce designanᷓ perplexitates omnes, & anfractus huius uitæ, quæ nobis ab ægritudine corporis accidũt. Ex quo colligitur, in ea rectitudine rationis fuisse creatum, ubi nulla esset a sensualitate ꝑturbatio. Quod intelligunt doctores nomine iustitiæ originalis. At uero in expositiõe huius loci incipiunt dissentire supradictæ opiniones. Alij enim dicũt fuisse creatũ rectitudine duntaxat, relata ad finẽ naturalem, quę est operari secundũ rõnem, & ad Deum (ut ait Sco.) tãquàm ad bonũ conueniens, & delectabile. At S. Th. & cæteri interpretanᷓ de perfecta rectitudine, quæ cõplectitur amicitiã Dei. Operępretiũ ergo fuerit uerba S. Th. subijcere. 1. p. q. 95. quæ sunt hæc. Quidã dicunt, q; primus homo non fuit creatus in gratia: sed tñ postmodum gratia fuit sibi collata, anteq; peccasset. Plurimæ aũt sanctorꝝ authoritates attestãtur hominẽ in statu innocentiæ gratiã habuisse. Sed quod fuerit cõditus in gratia, ut alij dicũt, uidetur requirere rectitudo ipsa primi status, in qua Deus hominem fecit: secundum illud Eccl's. 7. Deus fecit hominem rectum. Erat enim rectitudo secũdum hoc, quod ratio subdebatᷓ Deo: rõni uero inferiores uires, & animæ corpus. Prima aũt subiectio erat causa & secundæ &

Eccl'ci. 17.
Colo. 3.
Testimõium scd'm.
Testimõium tertium.
Dissidiũ doctorꝝ.
S. Th. 1. q. 95. ar. 1.

tertiæ. Quãdiu enim ratio manebat Deo subiecta, inferiora ei subdebantur: ut August. dicit. Manifestum est autẽ, quod illa subiectio corporis ad animam, & inferiorum uirium ad rationem, non erat naturalis. Alioquin post peccatum mansisset: cum etiam in dæmonibus data naturalia post peccatũ permanserint: ut Dion. dicit 4. cap. de di. no. Vnde manifestum est, quod & illa prima subiectio, qua ratio Deo subdebatur, non erat solum secundum naturam, sed secundum supernaturale donum gratiæ. Non enim potest esse, quod effectus sit potior, ꝙ causa: unde Aug. dicit. 13. de ciuit. dei, quod posteaꝙ præcepti facta transgressio est, confestim gratia deserente diuina, de corporum suorum nuditate confusi sunt. Senserunt enim motum inobedientis carnis suæ, tanꝙ reciprocam pœnam inobedientiæ suæ. Ex quo datur intelligi, si deserente gratia, soluta est obedientia carnis ad animam, q͛d per gratiam in anima existentem, inferiora ei subdebantur. Hęc S. Tho. Vbi in uerbo illo. Fecit Deus hominẽ rectum. agnoscit gratiam & amicitiam, qua homo cum Deo copulabatur, ex qua reliquæ deriuabãtur rectitudines. Porro autem hoc primum hic notandum est, ꝙ ꝙuis quidam hic interpretes dicant doctrinam S. Thomę nõ esse, quod iustitia originalis fuerit idem quod gratia gratũ faciẽs: sed quod gratia erat radix iustitiæ, forsan alia ęst mens s. Tho. Nẽpe quod iustitia originalis nihil aliud fuerit, ꝙ gratia, maioris hac parte dignitatis quàm gratia nostra: nempe quæ non modo hominem faceret gratum Deo, sed sensualitatem compesceret, & corpus roboraret, in obsequium rationis: ut tranquilla uoluntas subderetur Deo. Idꝙ uidetur esse plane ex sententia Aug. Ex quibus uerbis contendit sic s. Thom. Ex quo datur intelligi, si deserẽte gratia, soluta est obedientia carnis ad animam, quod per gratiã in anima existẽtem inferiora ei subdebantur. Per gratiã, inquit, per eam nimirum, qua ratio subdebatur Deo. Quapropter prima. 2. quod de gratia sentit. q. 110. id & de iustitia originali astruxerat. q. 83. nẽpe quod sit habitus inhærens essentiæ animę. Et. 1. p. q. 95. ait, quod rectitudo uoluntatis in ordine ad Deum, est quasi formale in iustitia originali: rectitudo uero aliarum potẽtiarum, est quasi

Iustitia orig. eadem res, quæ gratia, cõtra Caie.

materiale. Vbi sentire uidetur, eiusdem fuisse habitus, tres illas rectitudines constituere. Ac denique, cum modo nobis in remissione peccatorum nō restituatur iustitia originalis, sed gratia, ipse in 2. senten. d. 32. q. 1. ait, quod restituitur nobis iustitia originalis in baptismo, quoad formale: quod in sententia, perinde est ac si dixisset. Restituit gratia, illam habēs uirtutem, qua nos Deo gratos reddit, non tamē eam, qua uires tunc inferiores submittebat superioribus. Subnotabimus tamen locum cap. sequenti: ubi uidetur, sentire iustitiam distingui a gratia. Obidque nihil moror, fuerintne idem habitus, dummodo fuerint inseparabiles: ita ut quia homo fuit creatus in gratia, fuerit etiam in iustitia: & quia perdidit gratiam, expoliatus quoque fuerit iustitia. Mox aduertēdum est, quod secūdum neutram opinionem, negandum est, quin Adam ante peccatum habuerit gratiam: ut hic adnotat S. Tho. propter plurimas sanctorum authoritates, id attestantium. Sed nō tandum est demum, ut opinio S. Tho. fuerit Aug. Siquidem confirmat suam sententiam illius testimonijs. 13. de ciuit. dei. Et quoniam omnes fatentur eandem fuisse cōditionem angelorum & primi hominis, expresse etiam citat eundem, lib. 12. ubi ait, quod Deus simul erat in angelis, condens naturā, & largiens gratiam. Adde quod de correptione & gratia ca. 10. ubi tractat de rectitudine, qua creatus fuit Adam, æquiparat angelis hominem: dicens, quod sicut illi fuerunt beati, id est, in gratia Dei, antequàm caderent: in qua nisi per liberum arbitrium cecidissent, fuissent per gloriam confirmati, ita Adam creatus fuit in beatitudine, ut posset non peccare, in qua translatus in cælum, fuisset confirmatus, si in illa perseuerasset. Nunquàm autem eum appellasset beatum absque gratia Dei. Et cap. xi. exponens, quomodo iuxta uerbū Ecclesiastes. Fecerat Deus hominem rectum, ait, quod dederat ei bonam uoluntatem: in illa quippe, inquit, eum fecerat, qui fecerat rectum. Bonam autem uolūtatē nusquàm Aug. appellat extra charitatem. Quin uero nomen ipsum rectitudinis, atque adeo nomen iustitiæ originalis, præ se manifeste ferunt gratiam et amicitiam Dei. Nam quis rectus dici potest, nisi qui intentionem in eum habet fixā, qui finis est summus

Iustitia et gratia inseparabiles.

Sentētia Aug. de iusti. ori.

Nomen iustitiæ gratiā significat.

noster. Quæ autem iustitia, nisi in ordine ad Deum, qui prima regula est uitæ nostræ, re uera in sacris biblijs, nulla alia simpliciter censet iustitiæ nomine, nisi qua iusti sumus apud Deum, ut ex Paulo Roma. 4. colligitur. Neq; iustitia originalis quicquàm deterit aut minuit de ratione iustitiæ, sed potius auget: quare & gratiam in se includit. Ad hæc Aug. in enchiridio cap. 104. Primum, inquit, hominem Deus, in ea salute, in qua conditus erat, custodire uoluisset, eumq; opportuno tempore sine interpositione mortis ad meliora perducere, si præscisset perpetuā uoluntatem, in qua factus erat, habiturum. Profecto nomine salutis, absq; ulla dubitatione, intelligit gratiam et amicitiam Dei. Postremus autem locus, unde fides constabilitur iustitiæ originalis, ille ipse est, ubi nos Paulus erudiuit de culpa originali? Estq; argumentum huiusmodi. Primo peccato Adæ, omnes peccauimus, ut habetur Rom. 5. quod de nullo alio peccato, uel eiusdem Adæ, uel aliorum parētum affirmatur: ergo aliquod tunc donum diuinum & beneficium natura nostra perdidit, quod pro omnibus nobis Adam receperat, alias cur magis illo delicto deliquisset tota natura, quàm peccatis alijs: illud autem beneficium, esse non potuit aliud, quàm rectitudo naturæ, & possibilitas non peccandi. Cum ergo causa peccandi, nobis præcipua sit pugna carnis cum ratione, fit, ut homo fuerit creatus absq; illa rixa, ne, cum peccaret, inde prætexeret sibi excusationem. Illud autem beneficium ratione superius dicta, dicitur originalis iustitia. Et confirmatur argumentum: ex eo quod ait Pau. mortem pertransisse in omnes homines, propter peccatum Adæ, in quo omnes peccauerunt: mortis enim uocabulo, omnis corruptio carnis subijcitur: porro uero appetentia sensus aduersus rationem, corruptio quædam carnis est: nulla ergo erat talis ante peccatum. Cum ergo illa sit homini naturalis (ut cap. 3. explicuimus) colligitur, cum dono aliquo supernaturali iustitiæ, fuisse hominem creatum ad comprimendam sensualitatem, continendamq; intra rationis metas. Idem nobis suggerit Pau. Rom. 7. ubi conquestus de conflictu carnis aduersus spiritum, subdit. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? huc nimirum

Aug. | Postremũ testimoniũ. | Confirmatio argumẽti. | Rom. 7.

rum alludens, quod nisi corpus factum esset mortale per peccatum, nunquàm suborta fuisset repugnatio illa carnis aduersus spiritum. Cuius uel illud testimonium est, quod ab ipso statim momento peccati cœpit homo de pudendo motu carnis erubescere. Egregie ergo Aug. confert mortalitatem, & immortalitatem, cum possibilitate peccandi, & possibilitate non peccandi: atq; adeo probat Adam fuisse creatum in iustitia originali, quæ erat possibilitas non peccandi, ex eo, quod habebat tunc possibilitatē non moriēdi. Tractat enim quæstionem hanc expresse de correp. & gra. cap. 10. & duobus subsequentibus, qualis scilicet, fuerit creatus. Et respondet, q̄ sicut est duplex immortalitas, altera, qua poterat homo non mori, altera qua non pōt mori: quarum primam habuit Protoplastus in statu innocentiæ, atq; alteram habituri sumus omnes in gloria: ita est duplex impeccabilitas. Prima, qua potest homo nō peccare, et in illa creatus fuit homo, quando creatus est rectus: altera uero, qua non potest peccare, & illa erit nobis in patria cōmunis cum angelis. Per peccatum autem, ut amisit immortalitatem, ita amisit impeccabilitatē, id est, possibilitatem non peccādi. Et quoniam lucta carnis aduersus spiritum, causa est peccandi, concludit, quòd homo in illo statu nunquàm pateretur talem rixam, sed eam incucurrimus per peccatum Adæ. Eandem ueritatem constituit contra Pelagium hypog. lib. 3. dicens, quod nunc non sufficit homo per liberum arbitrium implere quod uelit. Sed id potuit Protoplastus, cum uoluntas sana erat ante culpam: per quam culpam homo perdidit illam possibilitatē. Et paulo inferius. Deus, inquit, fecit hominem ab initio, & reliquit eum in manu consilij sui. Et subdit. Quid est autem in manu cōsilij sui, nisi in possibilitate liberi arbitrij sui. In manu enim possibilitas intelligitur. Ipsa est prima gratia, qua primus homo stare potuisset, si mandata seruare uoluisset. Et paulo inferius, lapsus autem culpa sua, per propriam uoluntatem surgere non ualuit, nisi manu domini fuisset ereptus. Docet ergo Aug. quod ante datum præceptum, ne ederet de ligno uitæ, donatus est Adam auxilio, quo posset nūquàm peccare, si uellet, alias misericordissimus Deus iniuste posuisset præce-

Mortalitas et immortalitas, posse peccare, posse nō peccare Aug. de corre. & gra. c. 10.

Eccl̃ici. 15.

ptum, cui non erat possibilitas adimplendi. Vbi plane uidet sentire, quod fuerit infusus gratia gratum faciente: nam loquitur de possibilitate implendi meritorie, & faciendi quicquid uoluit: quam ait habuisse in illo statu, & perdidisse per culpam, & modo non posse, nisi per Christum recuperare.

Dubitatio. At meritissimo quicunque hic hærebit animo, de ista possibilitate non peccandi. Si enim intelligatur, quod homo ante peccatum per se poterat non peccare, absque auxilio Dei, falsitas est, ut ipse admonet Augu. loco citato de correp. & gra. cap. xi. ubi de primo homine ait. Nec ipsum Deus esse uoluit sine sua gratia, quem reliquit in eius libero arbitrio: quoniam liberum arbitrium ad malum sufficit, ad bonum autem parum est, nisi adiuuetur ab omnipotente bono. Et paulo inferius. Si hoc adiutorium uel angelo, uel homini, cum primum facti sunt, defuisset, quoniam non talis natura facta erat, ut sine diuino adiutorio posset manere, si uellet, non utique sua culpa cecidissent. Hactenus ille. Si autem illa possibilitas non peccandi, intelligitur per adiutorium Dei, eandem homo habet, dum est in peccato: nam est Deus promptissimus, opem ferre cuicunque uolenti se conuertere. Et ideo quamuis per se nemo possit conuerti, tamen propter eiusmodi possibilitatem ex adiutorio Dei, peccatum est illi, qui non conuertitur.

Responsum. Sed responsio est, quod primo homini data sunt auxilia per modum habitus: itaque ex lege & conditione illius status, in quo Deus eum creauerat, subuentum erat illi, ut sufficere posset absque hoc, quod expectasset nouum subsidium, ad omne bonum, quod uoluisset: uerba sunt in forma Aug. lib. 3. hypog. Et quia ad complendum omne bonum morale, necessaria erat sanitas a morbo sensualitatis: ad complendum autem meritorie, necessaria erat gratia: utrunque recepit Adam, antequam daretur præceptum, per cuius obedientiam, in gratia proficeret. Quare optime Aug. pares fecit in authoritate proxime citata, hominem & angelum, pro sua utriusque natura.

Angelus non indigebat iustitia ori. Angelus enim, quia nec erat in corpore, nec ex partibus constabat contra se mutuo pugnantibus, non indigebat iustitia originali, id est, sanante naturam, sed gratia subleuante ad meritum gloriæ: homini uero utriusque beneficio opus erat. Et ideo ut angelus in gratia creatus fuit, ita & homo in gratia & iustitia. Per peccatum ergo perdidisse

ōem possibilitatem, est perdidisse dona illa. Quare, qui est in peccato originali, non pōt sine nouo auxilio Dei reconciliari. At quemadmodū Adam in sua creatione recepit gratiā & dona, quibus posset implere legem, quā erat suscepturus, ita & qui in Deū conuertitur recipit ab ipso gratiā per Christū ad complendā legem, quā suscipit, ut patet in baptismo. Non tñ qualis fuit in Adam, quia non recipit sanitatem naturæ, quæ nomine iustitiæ originalis exprimit̄, sed manet infestatio sensualitatis. De qua in subsequētibus fusius. Institui paulo pressius hūc locū uersare, tum ꝓpter catholicos theologos, qui ita de iustitia originali tractant ieiune, ut quibusdā appareat, non esse rem adeo certā, tum quia cum protestantes in illo libello imperatorio, in comitijs Ratisponensibus ab illis proposito, initium inde fecissent, quod Adā fuerit creatus in iustitia, et gratia, & altiori cognitione Dei, ꝙ nos habeamus, Eckius ita illud de gratia reiecit, ac si esset contra cōmunem opinionem, & contra Aug. Potuisset enim uir alias non infime doctus, multum de rigore illo censendi remittere. Nam Aug. apertissime loquit̄ pro sententia de gratia Adæ, ut palam fecimus. Et sicubi aliqua dicit, quæ uidentur contra facere, cuncta legitime exponit, dissoluitq; S. Tho. loco citato. Igitur sapienter. S. nostra synodus Tridētina sessi. 5. can. 2. pronūciauit Adā accepisse sanctitatē. (idest gratiā) et iustitiā. Rationem uero authores aduersę opinionis, unicā hanc pro se adferunt: nempe quod sit congruens unicuiq; rei, ut suum quæq; finem, per suam assequatur operationem. Et ideo tam angelus, ꝙ primus homo ꝑ propria opa liberi arbitrij debuit se ad gratiā disponere, quemadmodū usu modo uenit in hominibus adultæ ætatis. Hæc tñ argumentatio perexigua est, quinimo cōtrariū persuadet naturalis ratio, de misericordia Dei sumpta. Finis enim hominis & angeli (ut supra dicebamus) non est gratia, sed beatitudo cælestis, cuius semē est gratia. Quocirca cū benignissimus ac ꝓuidētissimus Deus terræ & lignis, cunctis deniq;, simul dum cōderet, uirtutes ingenerauerit, ut semētem unūquodlibet faceret in genere suo, qua uia suos quæq; res assequerent̄ fines, optima ratione colligitur, ut in gratia fuerint & angeli, & primus homo creati, qua ad æternam felicitatem meritoꝝ accessione perduceret̄.

Protestātes.

Eckius.

Synodus tri.

Argumētum contrariæ opinionis.

Solutio.

Sane ut non solum nō haberet excusationem peccati, uerum laudes Deo deberet immēsas, quod qui ad finem se, tam suæ naturæ excellentem creauerat, semen quoq; illius in eadem natura iecisset. Respondetur ergo, quod gratiam primā non contulit primo homini Deus per motum, & pręparationem liberi arbitrij, ut nobis libera fungentibus uoluntate, sed simul (ut ait Aug.) fuit condens naturam, & largiens gratiam, quasi per modum naturæ. Hoc enim designat oratio, creari in gratia. Quemadmodum illis dicēdum est, de sacratissima uirgine, qui tenent fuisse conceptam in gratia. Hæc deniq; sententia, ut postremum uerbum adhibeam, mihi potissimū probatur & confirmatur ex illo loco Pauli. Iudicium ex uno in condemnationem: ubi docemur condemnādos homines ratione originalis peccati, etiā si nullum accumularent actuale. Cum ergo condemnatio præ se saltem ferat expulsionem ab regno (quicquid sit de pęna sensus) manifestissime colligitur, naturam totam in Adam recepisse ius regni, alias non esset expulsio: ius autem non acquiritur, nisi per gratiam gratum faciētem: illam ergo recepit Adam pro tota natura: unde fit consequens, eam simul recepisse cum iustitia in primo instanti, transfundendā per originem. Nanq; si per dispositionem postea suscepisset, esset beneficium personale: quod non per generationem sed simili dispositione acquisituri essent etiā posteri. ¶ Fiunt tamen ex his reliqua dubiola quædam de iustitia originali. Primum. An tranquillitas illa rationis esset per hoc, quod caro nihil concupisceret aduersus spiritum: an uero per hoc, quod uoluntas, absq; ulla se tristitia & difficultate intra rationis fines contineret, quicquid caro concupisceret. Hoc Scot. & reliqui sub lite relinquunt. Multo est tamen magis rationi consentaneum: quinimo ita secundum Paulum ait Aug. loco iā citato, de correp. & gra. quod nihil caro concupisceret aduersus spiritum, sed ducatum sequeretur iugiter rationis, siquidem hoc Pau. propter peccatum innuit nobis obuenisse. Quare uel gratia ipsa cōprimeret concupiscētiam, uel ratione gratiæ & iustitiæ infusę essent uirtutes, & in appetitu, & in uoluntate, ut quælibet potentia quiete inseruiret rationi. Non quod iustitia originalis esset

Gratia, Adæ absq; dispositiōe collata.

Dubiū primum

Subiectū orig. iustitiæ.

in uoluntate, sed ipsa (ut ait S. Th.) quoniam erat donum totius naturæ, transmittendum per generationem, sedem haberet in essentia animæ, cuius infusio est terminus primus generationis: illam tamen comitarentur in potentijs uirtutes, sicuti modo contingit in infusione gratiæ. ¶ Alterum dubiū est. Vtrum omnia bona collata Adæ, traijcienda fuissent cū natura per generationem in posteros. Huius tamē facilis est responsio, quod secundum illos, qui censent in iustitia tantū absq; gratia fuisse creatum Adam, illa tantum fuisset traducenda per generationem. Nam sola illa fuisset donum totius in uniuersum naturæ: gratia uero esset beneficium personale, quod Adam recepisset per suam dispositionem, & ita deinceps quicunq;. Sed secundum S. Tho. Gratia etiam ipsa erat donum totius naturæ, & ipsa cum uirtutibus (ut dicitur de beata uirgine) fuisset infusa simul cum anima in conceptione prolis. Et est ualidissimum argumentum in hāc sententiam. Nam cum status ille longe esset præstātior statu culpæ, nulli debet esse dubium, quin ante usum rationis, paruuli recepissent gratiam, & cum nullo opus erat tunc sacramēto, quia nulla præcedente culpa, nullus futurus erat redemptor (ut in de correp. & gra. expresse ait Aug.) nulla est ratio, cur non fuissent tunc homines concepti in gratia, siquidem nullum erat peccatum originale. Et æqua, imo maiori ratiōe fit, ut ipse primus parens fuerit creatus in gratia. Neq; inde fit consequens, ut gratia esset forma naturalis, & non donū gratuitum: quoniam licet infunderetur in generatione, non tamen ex ui generationis, sed gratuita uolūtate Dei, quàmdiu nullus transgrederetur eius mandata. Id quod alij aduersæ opinionis dicere etiam habent de iustitia originali. Et patet exemplum de gratia sanctissimæ uirginis, quæ nō fuit illi naturalis, etiam si fuerit cum illa creata. At præter donum illud gratiæ & iustitiæ, alijs etiam cumulatus est proprie dotibus primus parens, quæ non erant cum natura in prolem transmittendæ. Enimuero quoniam creatus erat tanq; humani generis in utroq; homine principium, porro ut genus nostrum, & uita animali propagaret, & moribus institueret, diuinæ prouidentiæ congruebat, ut sicuti eū ætate iusta, & cor-

Dubiū scdm.

Gratia transfunderet in posteros

poris robore firmum plasmaret, ita & animæ scientijs & uirtutibus imbueret, quantũ erat orbi gubernando necessariũ. Quocirca uniuersis iuxta cuiusq; naturã & qualitatem dedit nomina. At uero filij deinceps paruuli erant, uti modo, & absq; usu rationis procreandi. Qui una cum ætate, rerum cognitione, ac morum cultura proficerent. Habuissent tamẽ omnes fidem, notitiamq; Dei uiuaciorem, præstantioremq; nostra. Sed de his satis. ¶ Postremũ deniq; dubium est. Cum esset in primis parentibus ligata concupiscẽtia, quomodo potuit Aeua concupiscere esum ligni sciẽtiæ? Verũ ad hoc pluribus respondere, esset lineã præsentis instituti exilire, satis est, quod non commissum est primum peccatum propter obliquam concupiscentiã cibi, at præcessit peccatum supbiæ, quo uoluit seducta Aeua scire, ut Deus, bonum & malum.

Quales essent p̃creãdi filij.

Postremũ dubium.

Quid homo in statu naturæ integræ naturaliter poterat bonorum operũ efficere. cap. 6.

Subsequitur ut iuxta institutũ nostrum perscrutemur, quid in natura integra homo poterat naturaliter, scilicet, cũ solo auxilio generali Dei, exequi in bonis moribus: quid itaq; esset, ubi auxilio speciali indigeret. Atqui de illo statu non est prorsus censendũ ex dotibus & uirtutibus, quibus fuit Adã perornatus. Habuit enim (ut modo dicebamus) peculiaria bona plurima, quæ non essent deinceps posteris cõmunia: at ratio illius status libranda est ex cõmuni lege, quæ duratura erat in tota p̃genie, nisi intercessisset peccatum. Et preterea alia ratio est de statu iustitiæ originalis, si eodẽ nomine comprehẽdatur gratia gratũ faciens: alia uero si præcise intelligat̃ iustitia sanans naturã in ordine ad finem naturalem. Quamobrem ut lucu lentior sit disputatio, dum quærimus de statu iustitiæ originalis, solum intelligimus hominẽ cum dono sanante naturã, semouendo cogitatione gratiã ad supernaturalia eleuantẽ. Ita etiam distinguit ipse S. Th. 1. 2. q. 109. ubi quærit, quid homo ille poterat ex puris naturalibus, id est, homo, tum gratia carens, tum etiã culpa, naturam tamen sortitus ualidã. Connumerabat̃ enim tunc donum illud iustitiæ inter naturalia, q̃uis esset gratuitũ: quia tantum obfirmabat naturam in or-

De statu innocentiæ qũo loquẽdũ

S. Tho.

dine ad finem naturalē, ut sæpe explicatū est. Nam si intellexisset meram naturā, de qua locuti sumus cap. 3. et. 4. non asseruisset, q̄d posset seruare præcepta omnia, & diligere Deū: ut iam modo dicturi sumus. Atqui hoc loco uidet alludere eo S. Tho. q̄ gratia & iustitia distinguerent, ut res duæ. Nisi dixeris satis esse ad illū glossandū, quod sint rōnes distinctæ eiusdē habitus. His deliberatis, facilimū est cōstituere, quo ui res humanæ in illo statu ptingerēt in moribus. Quod quinq̄ propositiōibus perspicuū fiet. ¶Sit ergo prima. Nullatenus posset tunc homo per iustitiam originalem, si gratiam gratū facientem secernas, opus ullum facere, amicitia Dei, cælestiq̄ hereditate dignum: quinimo neq̄ ad gratiam se parare, nisi speciali auxilio. Assertio hæc in propatulo est. Quoniā iustitia originalis secundum hanc rōnem, solum esset naturæ sanitas in ordine ad finem facultati naturali præscriptū, ut citra molestiam sensualitatis & grauedinē corporis operaret homo secundū rōnem: finis autem, qui in amicitia & gloria Dei positus est, uirium omnium naturaliū cacumina infinitum transcēdit, ut supra dictum est, isq̄ proprium est idcirco opus Dei. Consyderandū hic tamē est obiter, quod gratia necessaria tūc hominibus non fuisset p̄ meritū Christi. Etenim Christus solum uenit saluū facere quod perierat, uti quē posuit Deus propitiatorem pro peccatis, qui a seruitute nos peccati redimeret: ob idq̄ ubi nullū fuerat peccatū, nō opus erat illo redemptore: ut ait Aug. de correp. & gra cap. xi. Erat nihilominus necessaria gratia Dei & auxiliū propter impossibilitatem cuiusq̄ naturæ creatæ, ad finem illum assequendū. ¶Secunda propositio. Poterat homo in illo statu per sua naturalia, tum cognoscere, tum uelle & operari totum bonum suæ naturæ ꝓportionatum, puta agere secundum rōnem, in ordine ad Deū, quatenus finis est naturalis boni. Conclusio est S. Tho. 1. p. 2. q. 109. a qua nullus theologoꝝ dissentit. Distinguit enim illic de homine naturæ integræ: affirmans, q̄d poterat p̄ sua naturalia facere totum bonū sibi proportionatū, quale est uirtutis acquisitæ: non tñ bonum excedēs, quale est uirtutis infusæ, nisi suffultus gratia. Quare miror illos, qui sensum Thomæ eo detorquent, quod non possit bona natu-

Gratia & iusti. an distin guerent

Prima propō.

Gratia Adę prima non fuit ob meritū Christi.

Aug.

Secūda propō.

S. Tho.

ralia facere absque auxilio speciali: propterea quòd ait, id non potuisse sine auxilio Dei mouētis. Enimuero ubi ait, per sua naturalia, propalā explicat se loqui de auxilio generali: quod (ut ca. 2. exposuimus) inter causas refertur naturales. Quod autem facere nequit homo sine auxilio speciali, nunquàm pronunciasset, fieri posse ab illo per sua naturalia. Sed præterea probatur assertio hæc ex dictis cap. 4. Cum homo sit animal rationale, naturæ suæ insitum est operari secundum rōnem, propter Deum, quatenus naturali luce innotescit esse finis omnium: tametsi per renitentiam sensualitatis quandoque cohibeatur: iustitia autem originalis medicina erat huius morbi, in suo uigore naturam præseruās: ualebat ergo absque alio peculiari auxilio præstare uniuersum bonum, quod suæ esset naturæ proportionatum. Itaque differentia erat inter hominem in puris naturalibus, eundemque in statu innocētiæ, quæ est inter infirmum & ualidum, sane quod ille (ut supra prælocuti sumus) potens erat opus aliquod moraliter bonū natura sua efficere, non tamen continenter omne, at in statu innocentiæ omne quidem & semper. Atqui eodem discrimine differt homo lapsus ab eodem statu innocētiæ: uti author est loco citato, S. Thom. & latius nos disputabimus cap. 20.

cōfirmatio cōclusionis.

Differētia inter tres hominis status.

Tertia propō.

¶ Tertia propositio. Poterat tūc homo, seclusa etiam gratia gratū faciēte, præcepta omnia legis naturalis explere, quinimo & cauere a prohibitione illa eius ligni scientiæ, quantum ad substantiam operum. At quoniā similem statuimus conclusionem cap. 22. de homine lapso: de qua nos lutherani acerrime obiurgant: nempe quod ueluti pelagiani doceamus catholici, posse hominem seruare mandata uiribus naturalibus, adnotanda est solennis theologorum distinctio. Implere præcepta Dei bifariam usu uenit. Vno modo, quantū ad substantiam operum: prout scilicet operatur homo iusta, & honesta, quæ genere suo bona sunt, absque ullo prauo fine aut circunstantia. Et hoc reuera potest homo per suæ naturę facultatem. Scilicet solo generali Dei concursu: ut. q. citata, ar. 4. S. Th. & theologi omnes uno animo affirmant. Atqui ratio est, quia omnia opera legis tā naturalis quàm diuinæ, atque etiam humanæ, si modo iusta sit, est secundum rōnem:

Lutherani.

obseruātia præceptorum duplex.

quinimo

quinimo lex idem pollet,quod rationis regula, ad quā sunt opera nostra exigenda & collimanda. Cum ergo homo,animal sit rationale,omnia huiusmodi opera,natura sua,pōt facere.Interest tamen,quod homo in statu innocentiæ, propter integritatem naturæ,cuncta ualebat prǽstare, sed in puris naturalibus,& in statu naturæ corruptæ,non item, nisi leuiora et pauciora. At uero aliter usurpať hoc quod est seruare præcepta:nempe,non solum quantum ad substātiam, sed etiam quantum ad modum. Quod alij dicunt,quantū ad intentionem Dei præcipientis,unde oēs deriuātur leges. Quæ quidē intētio est,ut,sua suffulti gratia,ꝑ merita impletiōis legis adipiscamur præmia æterna: iuxta illud Euāgelij. Si uis ad uitā ingredi,serua mādata. Atq; hoc modo accipiť,ubicunq; simpliciter diciť,impleri mādata Dei:prior enim est modus implēdi imperfectus. Et isto modo,nec in statu naturæ integræ, nedū in hoc nostro,adimplere homo uel minimum pōt absq; gratia,gratuito nos prius cum Deo reconciliante.Cuius cōtrarius fuit error Pelagij.Hæc est sententia, a qua nullus abscedit theologus.Quam cū copiosius a nobis, exactiusq; de homine collapso cap.22.sit confirmanda, satis hic fuerit enūciasse. Dixerim,præcepta iuris naturalis:quoniā cognitionē fidei supernaturalium habere neq; homo potuit, neq; uero angelus,citra speciale auxilium Dei. ¶ Assertio quarta. Sufficiens quoq; fuerat homo in flore originalis iustitiæ, alia seclusa gratia,diligere Deum super omnia,naturali dilectiōe: non tamen,ita ut esset meritoria,& Deo accepta ad uitā æternam.Conclusio est pariter S.Tho.q.citata.1. 2.artic.3.Cuius idcirco solius testimonium profero,quod nemo sit theologorum,qui non in eandem sententiā subscribat. Atqui demonstratur sua ipsius ratiōe. In illo statu,seclusa gratia,uirtute homo poterat naturali bonū totum exequi,quod sibi esset connaturale:talis autē est dilectio Dei super omnia:ergo illa erat sibi a natura possibilis.Secūda præmissa, sic ex media natura rerum exprimitur. Vna quælibet res ita nata est appetere & agere,uti nata est esse(sententia est Arist.2.physi.)oēs autem creaturæ, suo quæq; ordine, sūt propter Deū:ergo oēs se suo modo diligunt ꝑpter Deū:ut author est Dio.in lib.de di.no.

Matth. 19.

Quarta propō.

Aristo. 2. physi.

Diony.

ubi ait, quod Deus conuertit omnia ad amorem suiipsius. Vnde cum, natura tunc sana, nulla esset illecebra, aut res alia quæ ipsam a sua inclinatione remoraretur, consequens fit, ut se homo illa ætate, & sua cuncta officia in Deum referret, quod est ipsum sup omnia diligere. Quod si explicatius rationem hãc perspicere est animus, animaduerte, q̃d Deus benedictus, quippe qui bonorum nostrorũ non indiget, non propter nos, aut res alias extra se quicq̃ cõdidit, sed propter se potissime, ut suã deitatem exerceret, & quodã pacto in nos propagaret. Hoc enim inter Deum & res conditas interest, quod creatura agit amore concupiscẽtiæ, uidelicet, gratia adipiscendi finis aut conseruandi: hac enim causa animalia partis alimentis utuntur, ut uiuant: atq; sibi similia progignunt, in quibus species suas perpetuo custodiant. Deus autem nõ sic, sed ex sui amore proprio beneuolentiæ, mundum effinxit, ut suum esset nomen, ad suam ipsius gloriam, effusissimũ.

Discrimẽ inter actionẽ Dei et nostram.

Creatura deniq; agit ceu discipulus, qui scholas causa comparandæ scientiæ frequentat. Deus autem, uti magister, qui pręsuæ amore sapientiæ effusam in alios auide curat. Quocirca ut Deus omnia propter se fecit & amat, eandem rebus, quas ex nihilo efformauit, propensionem inseruit, ut suum uidelicet præ seipsis amarent authorem: & maxime homo quem uniuersorũ dominum instituebat. Solet eadem ueritas exemplo etiamnum commonstrari de partibus rei naturalis: uidelicet de brachio, cum sui se periculo & dispendio pro capite exponit, ubi agitur salus totius. At bino responso contendunt nonnulli cauillari & eludere exemplum hoc. Primum quod brachium non se exponit pro capite, sed pro seipso, ut quod in capite ipsummet periclitatur. Falsitas tamen huius inde patet, quod cum brachium pereat, ut caput contegat, unum est dicere, suam propriam salutem intendere, & non potius totius personæ. Altera responsio est Scoti. 3. d. 27. quod manus non se exponit, sed homo ipse exponit manũ, ut se ipse defendat. Vnde non sumitur argumentum, quod manus diligat totum plus quàm se, uerum quod totũ diligat se plus quàm manum. Ad hoc tamen respõdetur, quod q̃uis totum suppositum sit, quod utitur partibus, est tamẽ testimonium,

Simile.

Exẽplũ partium respectu totius.

quod sicut suũ est naturale ius imperare mẽbris, ita sit & naturalis ille appetitus mẽbrorꝫ obtẽperandi. Quemadmodũ cum aqua ad replendũ uacuum ascendit, nullo modo mouẽ contra naturã suam, immo illa est sua propria natura. Quandoquidem non propter partes totum, sed propter totum effectę sint partes. Et eodẽ modo omnia bona creata sunt propter Deum, qui est uniuersale bonum. Quia uero ex his philosophi naturæ principijs docti sunt, teneri etiam ciuem pro republica mortem oppetere. Colligitur ergo intimum esse a natura homini, Deum supra se diligere. Quod, natura quidẽ integra, plene facere poterat, corrupta tamen, propter obstacula impendio multa haud quaq̃ ita id ualet, ut omnia opera in ipsum referat. Veruntamen prudentem hic lectorẽ non prætereat, (quod ca. 22. repetendum nobis est) binam esse dilectionem Dei super omnia: alteram naturalem, alterã quæ est ex charitate diuinitus deriuata: ita enim consentienter docent theologi. Vnde S. Tho. loco citato, primum contra conclusionem hanc format tale argumẽtum. Diligere Deum super omnia, proprium munus est charitatis infusæ, per spiritum sanctum qui datur nobis, ut habetur Rom. 5. ergo id nõ poterat ab homine in statu innocentiæ per sua naturalia fieri. Ad quod respondet, quod charitas diligit Deum sup̃ omnia, eminẽtius quàm natura. Natura enim diligit eum super omnia, prout est principium & finis naturalis boni: charitas autem, secundum quod est obiectum beatitudinis, & secundum quod homo habet quandam cum ipso societatem spiritualem. Hæc ille. ¶ Quinta utiq̃ & postrema propositio est. Poterat homo in illo statu per donum sibi collatum perseuerare, si uoluisset. Hęc statuit̃ ab Augustino de correp. & gratia cap. 12. ubi ait, primo homini, cui datum fuit posse nõ peccare, datum subinde fuisse adiutoriũ perseuerantiæ: nõ quo fieret ut perseueraret, sed sine quo per liberum arbitrium p̃seuerare non posset. Et paulo post. Non accepit hoc donum Dei primus homo, idest, in bono perseuerantiam: sed perseuerare uel non perseuerare, in eius relictum est arbitrio: cum uoluntati sine peccato institutæ nihil cõcupiscibiliter resisteret. Igitur sententia Augustini, eademq̃ uerissima est, quod

Bina dilectio.

Quinta propõ. Aug. de correp. & gra. ca. 12.

non accepit Protoplastus donum, ut semper perseueraret. Haud enim fuit in gratia confirmatus. Qualiter fuerunt apostoli, ne lethaliter delinquerēt, & sacratissima uirgo, ne offenderet, uel uenialiter. Neq; (quod minus est) habuit illam gratiam, ut re uera perseueraret. Etenim si hanc accepisset, nunq̃ cecidisset. Attamen possibilitas perseuerandi commissa est libero arbitrio suo. Et ideo eleganter ait Aug. quod q̃uis Adã recepisset gratiam, ut posset non peccare, si uellet, egregij uero sancti euãgelici, ut martyres, copiosiorem acceperũt: nempe ut non solum possent quod uellent, sed ut firmius uellent id quod possent. Adã enim terrente nullo, & insuper contra Dei terrentis imperiũ, libero usus arbitrio, non stetit in tanta non peccandi felicitate. Isti autem non dico terrēte mundo, sed sæuiente, ne starent, steterunt in fide. Cum uideret ille bona præsentia quæ fuerat relicturus, isti aũt futura bona quæ accepturi fuerant non cernerent. Hæc Aug. cõmendans gratiam Christi, præ illa quæ fuit in Adam. Subhæsitet hic quispiam forte. Num causæ etiã aliæ uel occasiones poterãt tunc occurrere ad peccãdum, præter sensualitatem, quam iustitia coercebat. Poterant equidem ad peccandum mortaliter, uti fuit tentatio serpentis. Quoniã primum peccatũ esse nõ poterat, nisi mortale, p̃ quod perderet̃ felicissimus ille status. Veniale nanq;, neq; satis erat ad deijciendum hominem ab illo statu, neq; illo durante, fieri poterat: eo quod neq; poterat tunc accidere malum ullum. Quam opinionem S. Th. 1.2.q. 89. ait esse doctrinam cõmunem. Et q̃uis non desint, qui contra opinentur, id tamen conuincitur ex effectu, cumprimis uenialis peccati, quod nõ potest non esse dignum aliqua pœna. In illo uero felicissimo statu, ut author est Aug. tum locis citatis, tum etiam. 14. de ciui. dei ca. 10. nihil inesse poterat mali, quod hominis feliciter uiuentis animum unq̃ offenderet. Quinimo expresse subdit, quod erat deuitatio tranquilla peccati, qua manēte, nullum omnino aliunde malum, quod contristaret irruebat. Si ergo erat deuitatio tranquilla peccati, nullum esse poterat ueniale. Sed id præterea deducitur ex causis peccãdi uenialiter, quæ tunc nullum haberent locum: quia nec essent tunc subiti motus sensualitatis, nec motus ra-

Discrimẽ inter gratiam Adam, et gratiam Christi.

Dubitatio.

S. Tho.

August.

Causa uenialis peccati.

tionis repentini absque deliberatione. Nec esse poterat in corpore lassitudo ulla: quippe quod semper uegetum erat & solidum, & quod animo obsequeretur aptissimum. Neque uero prorsus a re ulla extrinsecus immineret periculum ullum: alias non esset felicissimus status, qualis paradisi uocabulo designatur. Et hæc de secundo statu eorum quatuor, qui sunt a nobis propositi, satis sint. Cætera cap.20. & sequentibus copiosius.

De peccato originali, in quos scilicet transiit. cap.7.

POstquàm in fastigio felicitatis conditum hominē enarrauimus, qualem in terris habere potuit, consequitur ut de peccato dicamus, in quod sua inde uoluntate prolapsus, suam quoque posteritatem demisit. Hic enim tertius est hominis status, quem sumpsimus describendum: in quo adeo reliqua pars huius libri collocanda est. De peccato ergo originali hæc ferme sex sunt, partim consyderatione, partim disputatione digna, quæ fuerūt nobis a sacrosancta synodo in disputationem producta. Nempe an sit, id est, an ab Adam in omnes posteros transierit: quæ causa illius: quid sit, & quomodo traducatur: quænā sint eius effecta, ac denique pæna. Nam de remissiōe, quàmuis cap.xi. quædā contra lutheranos dicemus, tamen lib.2. tanque in proprio loco, agendum nobis est. Porro membrum primum non est, quod in disceptationem iam nunc mittatur: quoniam nec est qui in dubium repetat, nisi qui Pelagianorum hæresim moliretur resuscitare. Lutherani autem, quibus cum nobis hoc ætatis res est, adeo a Pelagianis procul defugiunt, ut in alterum extremum e regione impingant. Constitutissimum ergo nobis sit, tanquàm fides catholica, omnes, quotquot ab Adam naturali generatione cadunt, peccatum contrahere originale. Cum has & id genus uniuersales orationes enuntiauerimus nollem me quispiam de conceptione sacratissimæ uirginis in suspitionem uocaret. Nam etsi Concilium præsens, nihil de hac re definiendo, sed decretum Sixti consultissime innouando, ius cuique liberum fecerit in utramlibet partem disserendi,

Sex puncta de peccato originali.

Lutherani.

Fides de pec. ori.

Nulla hic mentio beatissimæ uirginis

nihil mihi tamen minus est cordi. At uero utrumuis intellectum, permittente ecclesia, glossando explicuerint huius uel illius opinionis authores, tamē uerba scripturæ & sacrorum canonum absq; additamento sunt uniuersaliter, uti iacent, proferenda: ne eorum adulteretꝰ synceritas. Eo uel maxime, quod, ut est manifestissimum, opinio de conceptione, noua est: & ideo nihil mirum, si apud S. Patres nemo a generali sententia filiorum Adæ fuerit exceptus, præter solum Christum. Quem ea duntaxat causa eximunt, quod non fuerit ab Adam per uirum seminatus. Vt ergo citra disputationē de præclarissima Dei matre in digressum redeamus, huiusce catholicæ ueritatis de originali peccato certissima in thesauro scripturæ, & noua sunt, & uetera testimonia. Ecce enim (inquit Dauid) in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea. Et Eccl'us. A muliere initium factū est peccati, & per illam omnes moriuntur. Quo & uir ille ex gentibus simplex & rectus alludebat, ubi diei qua natus fuerat homo, tam multa imprecabatur mala. Aperuit enim Iob os suum, inquit scriptura, & maledixit diei suo, & locutus est, Pereat dies in qua natus sum, & nox in qua dictum est, conceptus est homo. Sane agnoscens uitiatum illum conceptum in causam cunctorum esse, quæ mortales mala perpetimur. Et cap. 14. Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? Et cap. 25. secundum septuaginta Interpretes. Nemo mundus absq; sorde: neq; infans, cuius est unius diei uita super terrā. At quod sub nube in Patrum erat uaticiniis, in meridie Euāgelica aperte proditum est. Huc enim ferme pertinet argumentum Pauli ad Rom. ut ostenderet Iudæos omnes & Græcos, uniuersum scilicet genus humanum sub peccato esse: neq; esse distinctionem, sed peccasse omnes, & egere gloria Dei? Quod multo explicatius paulo inferius exponens ait. Per unum hominem peccatum in mundū transiit, & ꝑ peccatum mors: & ita in omnes homines mors pertrāsiit in quo omnes peccauerunt. Et subdit, quòd mors pertransiit in eos etiam qui non peccauerunt in similitudinem præuaricatiōis Adæ, id est, actualiter propria uoluntate. Scilicet ut dilucidius explicaret, quomodo peccato Adæ omnes

[Margin: Psal. 50. — Eccli. 25. — Iob. 3. — Paulus. — Rom. 5.]

peccauerunt,siquidem propter illud moriunt̃. Et Gal.3. Cõclusit (inquit) scriptura omnia sub peccato, ut promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus. Et Ephe.2. Eramus natura filij iræ. ¶ His nihilominus, hisq; similibus permultis locis scripturæ non obstantibus, fuit Pelagius cum discipulis suis Celestio & Iuliano, qui peccatum Adæ alijs, præter ipsum, quibuspiam nocuisse, negare pertenderint: eo uersum uerba Pauli detorquentes, q; omnes in Adam sola imitatione peccassent, non tamen, quod aliquid inde culpæ generatione contraherẽt, cuius exitialis hæresis, cum alij S. Patres, tum maxime acerrimus Aug. firmissimis testimonijs reos fecit, et id quidem frequentissimis eius opusculis. Primum, hypog. ar.2. ubi ex illa forma loquendi Pauli. In quo oẽs peccauerunt, urget quod non solũ imitatione in illo peccauimus, sed quod cum ille peccauit, natura in illo tota peccauit. Vnde solus, inquit, dominus Iesus Christus absq; semine ex uirgine factus est homo, & expers delicti natus est Deus & homo. Et paulo post, super illud omnes peccauerunt, & egent gloria Dei. Dicẽdo, inquit, omnes, nullum excipit: quinimo totum declarauit genus humanum. Et lib. de peccatorũ meritis & baptismo paruulorum, cum alijs compluribus, tum præsertim id conuincit comparatiõe illa Pauli. Iudicium ex uno in condemnationem, gratia autem ex multis delictis in iustificationẽ. Cui nihil conquadrat imitatio peccandi: quin uero exprimitur, quod quemadmodum in Adã, antequàm essemus, peccauimus, qua porro culpa naturali generatione inficimur, ita in passione Christi, ab omnibus delictis nondum nati liberabamur, si illa modo nobis per gratuitam regenerationem applicaretur. Vnde lib. 2. ca. 20. percontatus quæstionem in forma, utrum qui omnino nunq; ullum peccatum habuerit, habiturusue sit, non solum quisquàm natorum hominum sit, uerum ẽtiam potuerit aliquando esse, uel possit: ita respondet. Hunc prorsus, præter unum mediatorẽ Dei & hominum hominẽ Christum Iesum, nullum uel esse uel fuisse, uel futurum esse certissimum est. Et aduersus Iulianum eãdem rem omnium S. Patrum suffragijs persequitur. Inter quos citat Ambrosiũ super Lucam; ubi ait. Solus

Gala.3.

Pelagiani.

Aug. hypog.

Rom.5.

Aug. de pe. me. li. 2. ca. 20.

Ambro.

per omnia natus de fœmina factus dominus Iesus est, qui terrenę contagia corruptelę immaculati partus nouitate nō sensit. Vbi id prorsus in causa ponit uendicãdi Christi ab originali peccato, quod non fuerit uirili semine cõceptus. Et in li. de Arca Noe, de eodē seruatore nostro. Solus, inquit, potuit iustus esse, cū generatio omnis erraret, nisi natus ex uirgine generatiōis obnoxiæ priuilegio minime teneret. Et ne omnium sigillatim cathalogum denarremus, ita lib. 2. circa finē concludit aduersus Iulianum Aug. Propter quam catholicã ueritatem, sancti ac beati, & in diuinorum eloquiorū pertractatione clarissimi sacerdotes Irenæus, Cyprianus, Reticius, Olympius, Hylarius, Ambrosius, Gregorius, Innocētius, Ioannes, Basilius, quibus addo Presbyterū, uelis nolis, Hieronymum, ut omittam eos qui nondum dormierunt, aduersus uos proferūt de omnium hominum peccato originali, obnoxia successione, sententiam, unde nem..eruūt, nisi quē sine lege peccati repugnãte legi mentis, uirgo concepit. Hæc Aug. Et lib. 6. eosdem hæreticos pondere illius loci urgentius premit, qui est. 1. Cor. 5. Si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt, pro quibus mortuus est Christus. Quam Pauli collectionē quàm oculatissime obseruat his uerbis. Cõsequens ergo esse uoluit Paulus, ut omnes intelligantur mortui, si ꝓ omnibus mortuus est Christus. Quia ergo nō in corpore (scilicet necesse est omnes mori) restat, inquit, ut in peccato mortuos esse omnes, ꝓ quibus mortuus est Christus, nemo neget, nemo dubitet, nisi qui se negat aut dubitat esse christianum. Hactenus ipse Aug. Concedēs nãq; Iulianus Christum, etiam pro paruulis fuisse mortuum, negabat eosdem in peccato concipi. Arguit Aug. Si re uera non fuerunt in peccato cõcepti, nunquàm fuerunt mortui spiritualiter. Quod si mortui non fuerūt, nec Christus pro illis mortuus est: attestãte Paulo, quod Christus non fuit mortuus, nisi ꝓ his qui re uera fuerunt mortui. Quemadmodum Rom. 5. ait. In hoc commendat suam charitatem Deus in nobis, quoniam cum peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est. Nō ergo est mortuus, nisi pro ijs, qui uere fuerunt peccatores. Vnde idem Apostolus Roma. 8. Solum Christum redemptorem asserit

Aug. citat oēs patres.

1. Cor. 5.

Rom. 5.

Rom. 8.

uenisse

uenisse in similitudinem carnis peccati, ut omnes quotquot fuerunt redempti, non in sim ilitudinem, sed uere intelligantur uenisse in carnem peccati. Quem locum August. lib. 1. de nupt. & concup. ca. 12. ubi de connubio Ioseph & Mariæ sermonem habet, ita enarrat. Solus ibi nuptialis concubitus non fuit, quia in carne peccati fieri non poterat sine illa carnis concupiscentia, quæ accidit ex peccato, sine qua concipi uoluit, qui futurus erat sine peccato: non in carne peccati, sed in similitudine carnis peccati. Vt hinc etiã doceret, omnem quæ de concubitu nascitur, carnem esse peccati: quandoquidem sola, quæ non inde nata est, non fuit caro peccati. Hactenus August. Ex his ergo toties resumptis uniuersalibus S. Thom. 1. 2. q. 81. art. 3. ubi quærit, an peccatum Adæ transeat in omnes homines, indubie respondet his uerbis. Respondeo, quod secundum fidem catholicam, firmiter est tenendum, quod omnes homines, præter solum Christum ex Adam deriuati, peccatum originale ex Adam contrahunt. Nam ita respondet Paulus. Mors in omnes pertrãsiit, in quo omnes peccauerunt. Deniq; Pelagius atq; Celestius de hac hæresi damnati sunt in concilio Mileuitano & Africano, authoritate etiam Innocentij & Zozimi, summorum pontificum; Verba sunt Concilij Mileuitani cap. 2. Item placuit, ut quicunq; paruulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat, aut dicit, in remissionem quidem peccatorum eos baptizari, sed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod regenerationis lauacro expietur: unde fit consequens, ut in eis forma baptismatis, in remissionem peccatorum, non uera, sed falsa intelligatur, anathema sit. Quæ uerba inter decreta relata sunt de consecratione, distinc. 4. Quo & sententia Augustini transfertur de fide ad Petrum. Ea sic habet. Firmissime tene & nullatenus dubites, omnem hominem, qui per concubitum uiri & mulieris concipitur, cum originali peccato nasci, impietati subditum, mortiq; subiectum: & ob hoc naturaliter iræ nasci filium. Id quod & in nostra modo sancta synodo Tridentina innouatum est Sess. 5. can. 4. Et hæc de primo puncto, an sit.

Aug. de nup. li. 12

S. Tho.

Concil. Mileui.

De cõse. dist. 4.

De causa & ratione peccati originalis. cap. 8.

Cã orig. pec.

ALtera originalis culpæ meditatio est de causa. Hãc ferme Patres hunc in modum declarant. Cũ in Adam tota natura humana uirtute cõsisteret: utpote qui ad gignendum propagandumq; genus nostrum una esset plantatio, iustitiam illam originalem (de qua ca. 2. loquebamur) non solum sibi, sed suæ in perpetuum soboli suscepit. Sane quam tota deinceps hereditario iure simul cum natura generando susciperet: si modo in gratia & amicitia Dei fidus homo persisteret. Aequa rõne præceptum illud, quo esu ligni scientiæ sub mortis comminatione fuerat interdictus, ita ei positũ est, ut tota in eo natura obligaretur. Quamobrem sic ob suam præuaricationẽ iustitia illa, quam susceperat, multatus est, graduq; illo felicissimo depulsus, ut uniuersos simul mortales eodem reatu complicuerit, eodemq; subinde miseriarum cõiecerit. Porro autem quo causa hęc explicatior fiat, duo pariter alia explanari operæpretium est, quæ superiori capite sunt a nobis proposita: sane quid nam sit originale peccatum, & quo pacto generationum serie transfundatur. Est enim hoc disertissimo etiam cuiq; explicatu difficilimum: de quo proinde, ut meã fatear inscitiam, nihil hactenus legi, quo nõ desiderarem amplius. Causa uero huius perplexæ ambiguitatis est, quod cum ratio culpæ in actuali peccato sit manifesta, uix tamẽ inde possumus naturam originalis rimari. Est enim peccatum (ait cõtra Faustum lib. 22. Aug.) dictum uel factum, uel concupitũ contra legem Dei. Vbi ostenditur ratio culpæ, esse deflexus ille operis, & declinatio a lege Dei, & rationis regula: ueluti dum Adam lineam sibi præscriptam trãsgressus, comedit de ligno scientiæ. Cum ergo homo dum concipitur, nondum iudicij & libertatis compos, neq; ad legis normam agere, nec inde deuiare possit, labor est maximus declarare quomodo in eo sit ratio ueræ culpæ, quæ ex peccato Adæ fuerit nostræ impressa naturæ. ¶ Hæc aũt de hoc peccato in confesso sunt omnibus catholicis. Primum. Quod non est proprium nostrum ex parte causæ, id est, quod propria nos uolũtate commisimus. Fuerunt equidem olim, referente lib. 1. de pec. me.

Quid sit, & quõ tradu.

August.

Cõfessa de pec. orig.

Augustino, qui eo sunt amentiæ collapsi, ut dicerent paruulos baptizari in remissionem peccati, quod eis esset propriũ hoc modo, & personale. Sed non usq; adeo, inquit sanctus ille pater, de humanis sensibus desperandum est, ut hoc cuipiã persuadeant. Adeo est euidentissimum nondum tunc elucere rationis aut uoluntatis usum. Haud tamen quacq; negandum est, esse uoluntarium: ut cap. 14. lib. 1. retrac. admonitos nos idem uoluit: ubi sustinens nullum esse peccatum, nisi uoluntarium, subijcit. Illud quod in paruulis dicitur originale peccatum, cum adhuc non utantur arbitrio uoluntatis, non absurde uocatur etiam uolũtarium, quia ex prima hominis mala uoluntate contractum, factum est quodammodo hæreditarium. Et infra cap. 15. contra Pelagianos, negantes peccatum originale in paruulis, eo quod nondum uterentur uoluntatis arbitrio, ait. Quasi uero peccatum quod eos ex Adã dicimus originaliter trahere, id est, reatu eius implicatos, & ob hoc pœnę obnoxios detineri, usquàm esse potuerit, nisi in uoluntate, qua uoluntate commissum est, quãdo diuini præcepti est facta transgressio. ¶ Secunda confessio catholica est, quod est nobis proprium ex parte subiecti, id est, quod est uere in nobis. Ad hunc sensum, quod uere, atq; (ut physici aiũt) formali denominatione sumus peccatores. Ita enim ait Pau. quod cũ peccatores essemus (& loquitur de originali) Christus pro nobis mortuus est. Est itaq; si subiectũ spectes, proprie nostrum: si uero causam, neq; proprium nobis, neq; nobis uoluntarium, sed ex necessitate naturæ: iuxta illud Pauli. Eramus natura filij iræ. ¶ Sed tertio atq; omnium maxime pro indubitato quiuis habere debet, qui non uult ipse Pelagianus haberi, quod uere & proprie sit peccatum. Nõ enim defuerunt (uti refert Magister senten. li. 2. dist. 30. qui crederent non esse in nobis ueram culpam originalem, sed tãtum reatum pœnarum & calamitatum, quibus ob peccatũ Adæ obnoxium est genus humanum: illumq; eo sensu dici peccatum, quod sit effectus peccati. Nec desunt modo, non solum ex lutheranorum prosapia (nam sunt in diuersa symbola discissi) uerum ex numero etiam eorum, qui se catholicos arbitrantur, qui ex Homero inter theologos prodeuntes, sustine-

Quõ pe. orig. sit uoluntarium.

Secũda cõfessio.

Tertia ẽ quod sit uere peccatum.

re pergunt: uel nullum esse originale peccatum, uel non uere & proprie esse culpam cum quibus paulo post sumus congressuri. Nunc interim admonemus nō solum nos reos nasci pœnæ, sed uere in culpa, & propterea in reatu pœnæ. Id

Aug. quod loco nuperrime citato ait Augu. scilicet, reatu peccati Adæ implicatos: & ob hoc pœnæ obnoxios. Et super Psal. 50. explicatius, ideo, inquit, se in iniquitatibus dicit conceptū David, quia in omnibus trahitur iniquitas ex Adam, & uinculum mortis. Nemo enim, ait, nascitur nisi trahēs pœnam, & meritum pœnæ. Meritum autem pœnæ, peccatū est. Omnis ergo qui nascitur per carnis concupiscentiam, peccatum trahit. Hæc ille. Et Hypog. ar. 2. Peccatum Adæ nō solum ipsum, sed omne necauit genus humanum: cum eius damnationem simul & culpam suscepimus. Sed quid opus est Augustino teste, ubi tam est Pau. perspicuus & irrefragabilis iu-

Rom. 5. dex? Nam per unum, inquit, hominem peccatum in mundū intrauit, & per peccatū mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccauerūt. Ecce non solum mors, pœnaque, sed culpa prius in nos trāsiit, & idcirco pœna. Item: Ideo Adam fuit forma Christi, quia sicut ex gratia Christi uere iustificamur, ita Adæ delicto omnes iniusti sumus, & uere peccatores. Qui ergo hoc ueritatis clarissimum lumen refellit, cuiuscunque is fuerit ordinis, hæreticus censeatur. Quippe qui (ut uerbis Aug. supra citatis utamur) non firmissime teneat omnem hominem, qui per concubitum uiri & mulieris concipitur, cum originali peccato nasci, impietati subditum, mortique subiectum: & ob hoc iræ nasci filium. In quod hominum genus anathematis sentētiam pronunciauit cum olim Mileuitanum concilium, tum etiam (ut cap. 7. dicebamus) & nostra modo sancta synodus consultissime propter

Quarta consyderatio. istos contumaces. ¶ Hinc demum quarto peruestigandum nobis est ubinam abdita sit ratio originalis culpæ: porro ut intelligamus, quidnam sit nobis cum Adam commune, quod uere sit in nobis peccatum: & id quidem non per modum actus, sed absque usu per modum habitus. Atqui in Adam præter transeuntem actum peccati, qui in nobis non perstat, duo fuerunt reliqua, inde effecta; nempe priua-

ctio iustitiæ, & dissolutio concupiscentiæ carnis, quæ habenis soluta, effrœnis fertur in obiecta sensus, præter rationis ordinem. Quæ quidem ambo nobis proli suæ cōmuniter sunt congenita. Ex hoc biuio uidentur Aug. & Ansel. in diuersa digressi. Primus enim in locis suæ doctrinæ minime raris apparet concupiscentiam illam carnis constituere peccatum originale. Alter uero in lib. de con. uir. palam ait esse carentiam iustitiæ, quæ debuerat inesse naturæ nostræ. Magister sententiarum, lib. 2. distin. 30. Augustini (ut ipse iudicat) sententiā complexus est. Cuius quidem magistri opinione permulti sunt adducti. Alij sequuntur Anselmum S. Thom. 1. 2. q. 82. ut ambas conciliet opiniones, ait, concupiscentiā esse materiale (quod aiunt) in hoc peccato: carentiā uero iustitiæ, formale. Vt si diffinire libuerit, dicas, peccatū originale, esse cōcupiscentiā, originali iustitia carentem. Hæc uero, tametsi antiquitate sua & doctorum authoritate præpolleāt, non tñ sunt, de quibus Ecclesia aliquid diffinierit, quin uero concilium modo, & quidem meritissimo, nihil censuit, quidnā sit originale, sed sub lite inter doctores reliquit. Et ideo opus habet explicatione. ❡ Magister sententiarum (ut uidetur), & alij nonnulli sui asseclæ commentantur, quod concupiscentia sit quædā morbida qualitas, non in carne, sed in anima hærens. Hanc uocant fomitem, legem carnis, & tyrannum Hoc sibi uidentur elicere ex authoritate Augu. de nup. & concup. lib. 1. cap. 25. ubi ait, quod hæc concupiscentia non substantialiter manet, sed affectio est quædam malæ qualitatis, sicut languor. Et quod sit in anima, patet, quoniam aduersus Iulianum lib. 5. ait, quod anima in carne, tanquàm in uitiato uase corrumpitur. Et in quodam sermone de uerbis Apostoli. Vitium, concupiscentiæ est, quod anima non ex se, sed ex carne contraxit. Et ratione cōfirmatur, quoniā originale peccatum culpa est, culpa autem non carnis, sed animæ macula est. Colligunt ergo isti, quod peccatū Adę carnem suam infecit: caro autem infecta, cōmaculauit: & eam quā genuit: a qua carne, dum infundit, anima qualitate illa morbida inficitur. Doctrina enim est Arist. 1. de anima, qđ ex motionibus sæpe animæ afficitur corpus, & uicissim animus ex corporis

Dissidiū Augu. & Ansel.

S. Tho.

Peccati orig. diffinitio.

Cōcupiscentia qualitas morbida.

Aug. de nup. & cōcu. li. 1. ca. 25.

Reprobat opinio morbidæ qualitatis.

qualitatibus. ¶ Sed re uera isti, nescio quibus hæc possint suam opinionem obtrudere. Nam quis animi motus: ut amor, uerbi gratia, aut ira, calorem, uel bilim concitet corporis, uicissimque corporis alteratio animum etiamnum commoueat, quod tamen anima Adæ qualitatem per modum habitus immanentem potuerit corpori infigere, quæ in carne quoque inde genita perpetuo perseueret, per nullam est philosophiam persuasibile: atque multo minus, quod caro aduenienti animæ talem qualitatem impingat: sane cum qualitas corporis materialis sit, anima uero spiritualis. Mox, quod peccatum peculiariter Adæ talem potuerit ingenerare in animis hominum qualitatem, ipsa per se res prodit esse commentum, nam esus ille ligni uetiti, non potuit talem suapte natura habere efficaciam: alias ex uniuersis similibus peccatis, similis consequeretur effectus. Quod est deridiculum. Nisi eousque desipueris, ut effingas, diuino iudicio talem uim tributam esse illi peccato, eo quod in illo tota peccasset natura: id cuius nullum potest esse rationis, authoritatisue, quo innitatur, pedamentum. At uero quod qualitas illa, etiam si esset possibilis, incassum admittatur, credaturque inesse, sic patescit. Nanque ut nos simus rei peccati Adæ, in quo culpa consistit, sine ulla qualitate explicari optime potest, ut paulo post uidebitur. Et ut anima sequatur carnis cupiditates, nulla opus habet morbida qualitate: quoniam cum sit actus corporis, sensum per seipsa, nisi ratione contineatur, appetendo sequitur. Neque uspiam Aug. concupiscentiam animæ insinuauit esse originale peccatum, sed solum concupiscentiam carnis: ut est ex suis cunctis operibus compertissimum. Igitur ubicunque dixerit, quod malum concupiscentiæ non est substantia, sed affectio malæ qualitatis, nihil aliud quam manichæos repellebat, qui dicebant malum in nobis, esse substantiam ingenitam a Deo malo: contra quos ait, quod malum concupiscentiæ non est in nobis a natura, quam Deus sanam fecit: sed accidentaliter nobis adiacet ex culpa primi hominis. Et ubiuis, uel ipse, uel alij sancti aiunt animam infici ex carne, tanque ex uase, id penitus docent, quod anima non trahit hoc malum, eo quod eadem emigret ex corpore in corpus: ut Pithagorici & Platonici con

Respondet rationibus contrariæ opinionis.

miniſcebantur:neq uero inde,quod animæ educantur de potentia materiæ,& ita ab anima in animam deſcenderit hoc malũ,per hoc quod anima filij fiat a patre,ſicuti in brutis animalibus: ſed quod licet anima cuiuſcũq a ſolo Deo creetur, nihilominus non a Deo contrahit peccatum originis, uerũ inde quod infunditur carni ſeminatæ ab Adã. Quod in ſumma eſt dicere,hominem concipi in peccato, quia concipitur filius Adæ. At quod iſti adijciunt,culpam eſſe non in corpore,ſed in anima,id nos ultro & libẽtiſſimi confitemur. Verũtamen inde nõ ſequitur,quod ſit qualitas a carne producta, ſed certe reatus naturę concretus,ut iam modo palam facturi ſumus. ¶ Aliter alij, menti Aug.uerocp propius,aſtruunt, concupiſcentiam carnis eſſe originale peccatum. Id quod ita poſſunt ex Auguſt.colligere. Ait enim lib.de pec.me.cap.16. quod quando peccauit Adam,non obediens Deo, tũc eius corpus gratiam perdidit,qua eius animæ omni ex parte obediebat. Tunc,inquit,ille extitit beſtialis motus pudendus hominibus,quem in ſua erubuit nuditate. Et infra. Ex hac igitur inobedientia carnis, ex hac lege peccati & mortis,quiſquis carnaliter generat, regenerari ſpiritualiter opus habet, ut non ſolum ad regnum Dei perducatur,uerum etiã a peccati damnatione liberetur. Hanc uero ego mihi baſim diſputationis ex Aug.de concupiſcentia præiecerim,non ſolũ pro ſcholaſticis catholicis,ſed aduerſus lutheranos:qui concupiſcentiam adeo protẽdunt eſſe peccatum,ut maneat etiam in baptizatis peccatum. Vocat enim hic cõcupiſcentiam Aug: ſenſualitatem,iuſtitia originali ſolutam. Et hanc uidetur hic dicere eſſe peccatũ, propter quod ſumus baptiſmate regenerandi. De qua lib.eorundem.2.ca.4. Concupiſcentia,inquit, tanquàm lex peccati,manens in mẽbris corporis mortis huius,cum paruulis naſcitur,in paruulis baptizatis a reatu ſoluitur, ad agonem relinquitur, ante agonem mortuos nulla damnatione perſequitur. Paruulos non baptizatos reos innectit,& tanq iræ filios,etiam ſi paruuli moriantur,ad condemnationem trahit. Et lib.1.retrac. Concupiſcentiæ reatus in baptiſmate ſoluitur,ſed infirmitas manet. Vnde forſan S. Th.1.2.q 82.elicuit,Auguſtinũ dicere,quod concupiſcẽtia eſt

Aug.de concupiſcẽtia carnis.

Baſis diſputationis.

S. Tho.

reatus. Nam hoc uerbum nusquam legi in Aug. nisi S. Tho. alium forsan sortitus est codicem. Hinc ergo cōficiunt, concupiscentiam illam carnis esse originale peccatum. Quod re uera, nisi qui id sano modo interpretetur, nescio, salua grauissima authoritate Augu. quis sibi in animum inducat, ut credat. Id quod ante nos, alij prudenter meditati sunt. ¶ Prima ratio quæ huic sententiæ aduersa mihi se offert, sic habet. Illud quod in Adam prius, quàm in nobis fuit, si in illo nō erat peccatum, neq; profecto erit in nobis: concupiscentia hæc carnis in Adam non fuit peccatum, sed effectus & pœna consequens peccatum: nam propter peccatum Adæ sublata iustitia, defrœnata laxataq; est cōcupiscentia, non solum in sua persona, uerum etiam in tota natura: ergo uti in illo non fuit peccatum, ita nec in nobis, sed effectus et pœna peccati.

Arguit q concupiscētia nō sit pctm̄.

¶ Præterea, ne amphibologia nominis inanem reddat disputationem, originale peccatum (ut supra satis constabiliuimus) uere habet rationem culpæ, quæ proinde, licet distinguatur ab actuali, est uera iniquitas: quippe ob quam fatetur Psal. concipi nos in iniquitatibus: unde adeo consequitur, esse prauitatem, quæ odio est Deo: propter quam homo nisi in Christo regenitus, regno depellitur. Hæc autem ratio haud unq; congruere poterit illi carnis concupiscētiæ. Nam illa (ut tertio capite dicebamus) est homini ex principijs naturalibus innata, quam cœleste illud iustitiæ donum compescebat. Ob idq; non est illa prauitas, obliquitas, & iniquitas, in qua consistit ratio peccati, quod Deus odio habet: sed pœna est potius a Deo inflicta: sane qui naturā nostram iustitia illa propter peccatum expoliauit, in suisq; naturalibus desertam reliquit. Quocirca neq; Adam, neq; nos uituperamur, quod sumus sic concupiscibiles, sed eo quod culpam in Adam admisimus, ob quam amisimus ligamen, quo rationi tenebatur concupiscentia subdita.

Secūda ratio.

Psal. 50.

¶ Ad hæc. Peccatum proprie nō est res illa, quæ eadem manet in iustificato, quæ erat in peccatore, concupiscentia autem eadem manet: ergo illa non est peccatum, sed plane reatus ille, qui remittitur dum regeneramur.

Tertia ratio.

¶ Vt cuncta itaq; complectar. Vis illa & potentia concupiscēdi extra ratiōis ordinem, quæ est in puero, imo uero quæ

Quarta ratio.

sine

sine actu & consensu est in adulto, non est illud, ob quod hæreditate cælesti abdicamur: sed potius eodem peccato, quo exules facti sumus a regno, & frænum quoq; abruptũ est cõcupiscentiæ, & in mortẽ aliasq; calamitates incidimus: ergo non magis concupiscentia illa peccatum est, quàm expulsio a regno, uel mors, aut morbi, uel aliæ id genus erumnosæ miseriæ, quæ non aliter sunt peccata, quàm quod sunt effecta peccati Adæ. Nisi quod cõcupiscentia est prçterea nostrorum causa actualium criminũ. Eandem patiũtur repulsam qui iam modo excogitant, peccatum originale esse amorem terrenorũ. Nam si id de actu amoris enuntiãt, non quidẽ originale, sed actuale peccatũ est: si uero de amore carnis intelligant, uel de inclinatiõe animæ, qua apta est sensum sequi, eodẽ recidunt, unde priores modo depellebamus. ¶ Eisdem ferme rõnibus deuincitur, peccatũ originale, non esse priuationem iustitiæ originalis, ad sensum quem pleriq; multi concipiunt, scilicet priuationẽ rectitudinis totius hominis, quæ erat in illo statu naturæ integræ. Nam illa in Adam non fuit peccatũ, sed effectus & pœna peccati, prior natura, quàm dissolutio concupiscentiæ. Neq; uero illa est prauitas & obliquitas peruersæ ratiõis, neq; ob illã Deus extorres nos fecit a regno, sed ꝓpter antecedentem præuaricationẽ, & nos regno priuauit cælesti & originali multauit iustitia. ¶ Est & secũdum argumentũ. Nam quòd ferme doctores priuationẽ iustitiæ debitæ inesse peccatum originale affirmant, si ita debitũ sentiant, quod singulari præcepto fuerit eam Adã obstrictus, aut eius progenies custodire, certe falsum est, & cuius nulla possunt sacrorũ authoritate fidem facere: quoniam nullũ legitur Adæ mandatũ positum, nullaq; præscripta lex alia, quàm, ne ederet de ligno scientiæ: de quo si comederet, sequeretur eũ pœna, tum sublatæ iustitiæ, tum perinde subsequentis mortis: ergo reuera, non iactura iustitiæ, sed esus prorsus ligni, delictum fuit. Enimuero uti non aliter modo gratiã conseruare tenemur, quàm seruando præcepta, neq; homicidæ, prçter homicidiũ, crimen aliud est, quod uel gratiã Dei perdit, uel uitam, si pœnam luit capitis: ita neq; aliter Adã obligabatur habere iustitiam, quàm non transgrediẽdo præceptionem de ligno, aut

Peccatũ orig. nõ est amor terrenorum.

Neq; est priuatio iustitiæ.

Iustitia debita inesse.

quamuis aliam naturalis iuris. Neque præter esum pomi nouum fuit illi crimē, iustitia denudari: atque adeo multo minus nobis, denudatos nasci. Quin uero, ut cumulatius dixerim, etiam si peculiari præcepto teneretur custodire iustitiam, deserere eam quidem tunc Adā, esset peccatum, non tamen, aut se postmodū, aut nos priuatos esse. Ad hæc si peccatum originale esset priuatio (ut aiunt) iustitiæ debitæ inesse, consequēs tunc fieret, ut in baptismo non remitteretur: quoniā neque illic restituitur iustitia, neque ullo debito resoluitur homo, quo ante obligabatur.

Peccatū orig. nō est inimicitia Dei.

¶ Alij, qui ex his anfractibus sese expedire cōtenderent, peccatum originale fingere possent, nihil aliud, quàm inimicitiam cum Deo: sed neque se isti credant signum defixisse. Nam inimicitia non est peccatum, sed effectus plane peccati. Eo enim quod quis Deum uel alium offendit, inimicitiā eius conflat. Et præterea in infantibus manifestum est argumentum. Aut enim uis peccatum originale, odium esse, quo infans odit Deum, aut quo Deus odio habet ipsum. Primū, nullū est, quippe cum infans nullū habeat ~~non est~~ uoluntatis usū. Alterū nō est peccatū, cū sit in Deo, sed est peccati opus: porro qđ illud Deus odium, peccato prouocatus, concipiat.

Quo ratio peccati originalis concluditur. cap. 9.

IGitur sunt hoc ætatis, qui quàmuis non omnia, partem tamen horum argumentorum contra uetustam opinionem opponentes, ab ea defecerint: dicentes, non esse in singulis hominibus peccata singula originalia, sed unum illud, quod commisit protoparens, esse originale delictum, cuius omnes rei sumus, et a quo denominamur peccatores.

Pighius.

Horum primicerius habetur Albertus Pighius, uir profecto, & pius, et doctus. Qui nihilo secius male de hoc audit, quasi peccata in nobis originalia omnino inficietur. At uero, neque si sane ille, & absque præiudicio audiatur, tantæ damnabitur ignorantię, neque si oculatius ipse sensum ueteris opinionis æstimauisset, forsan eam repudiasset.

Diffinitio peccati orig.

Primum ergo, si ex nomine rem subiectā uenari decet, originale peccatum, nihil aliud dixeris, quàm peccatum a primo parente in prolem origine transfusum. Quamobrē ex peccato illo, contagio nostra diiudicanda est. Vt id quod

erat in illo formalis ratio peccati, relictum cognoscatur in nobis per modum habitus. Et qui in illo effectus erant, itidem sint et effectus in nobis. Supponamus, exempli gratia, primũ peccatum Adæ, fuisse esum ligni, præcesserit enim superbia, nec ne, nihil ad rẽ. Formalis tunc ratio illius criminis fuit obliquitas & deflexio animæ p uoluntatẽ a lege & ordine Dei. Et quia Adam gerebat personam totius naturæ, quæ in ipso susceperat beneficium illud iustitię, permansurũ in ea quàmdiu nõ peccasset, tota in ipso rea facta est illius præuaricationis, & ingrata inuisaq; effecta est Deo. Quare deordinatio eadẽ, & deformitas (ut uerbis scholæ utamur) illius actus mãsit per modum habitus infixa naturæ: quã proinde obliquitatem una contrahimus cum eadem natura. Quocirca uti cõcedendum est, peccatũ originale esse in nobis, ita neq; est negandum, quo minus sit, pro formali, carẽtia iustitiæ originalis: si modo iustitia etiam ipsa similiter accipiatur pro formali. Iam enim supra, cap. 5. retulimus ex S. Thom. 1. p. q. 95. formale significatum iustitiæ originalis esse rectitudinẽ animæ ad Deũ, materialia uero, rectitudines alias, scilicet inferiorũ uirium animæ ad rõnem: atq; corporis ad animam. In Adã, si rem æstimate consyderes, priuatio iustitię, quo ad primum ordinẽ, non fuit effectus peccati, sed formalis ipsa eius ratio: priuatio uero cõtra eiusdem iustitiæ, quo ad alios duos ordines, non ratio peccati, sed effectus fuit. Ad hũc ipsum eundẽ modũ priuatio in nobis rectitudinis prioris, est peccatũ originale: priuatio uero aliarũ est eiusdem peccati effectus. Quam forte distinctionem si inspexisset Pighius, & sui, nũquàm inficias iuissent, in nobis inesse originale peccatum. Attamen, ut in gratiã eius hoc uicissim subiũgam uerbum, si uel Pighius, uel quiuis alius ita negasset, in nobis esse peccatum originale, ut diceret tantummodo nos contrahere reatum pœnarũ, quas de peccato Adæ pendimus, non tamen reatum culpæ, apte pugnaret non solum cõtra Augustinũ, uerũ cõtra Paulũ: uti in tertia confessione cap. præcedẽti demonstrauimus, & cap. item proximo repetemus. Qui tamẽ diceret, non alio reatu culpæ, q̃ illius transgressionis Adæ, dum concipimur, pollui, nihil erroris portenderet, nisi quod leuiter & absq; ra-

R õ eius formalis

Peccatũ originale est in nobis.

S. Tho.

Reatus & culpæ et pœnę.

Synod. Triden.

tione negaret, reatũ illum esse carẽtiam iustitiæ, modo exposito. Et ideo uerissime, & consultissime S. modo Triden. Syno. censuit, ses. 5. can. 3. peccatũ, quod origine unũ est, & propagatione trãsfusum, omnibus inesse, unicuiq; propriũ.

Exponitur Aug.

Igitur per ea, quæ hic explicata sunt, diluunt quæ superiori cap. contra opinionẽ Anselmi obiecimus. At quatenus res Augustinũ spectat, qui docere uidetur, cõcupiscentiã esse originale peccatũ, inprimis interpretãdus est, non de formali, sed de significato materiali: uti fidus eius interpres diuus Tho. exposuit.

Lib. 1. retrac. cap. 15.

Quandoquidẽ idem ipse ait, concupiscentiæ reatũ in baptismate solui, remanẽte concupiscentia: reatus aũt saltem in originali, idẽ est, quod forma peccati.

Discrimẽ inter materialia originalis & actualis.

Sed neq; ita consyderãda est concupiscẽtia, esse materia seu substractũ significatum peccati, uti est actus in actuali trãsgressione. Nanq; in actuali, actio substernit obliquitati, ceu subiectũ eius: quoniã per actionem ipsam diuertimus a ratione, & diuina regula: adeo ut actio ipsa proprie denominetur obliqua, & peccatũ: sicuti nix colore est alba. In originali uero longe aliter: qm̃ forma peccati nullatenus inest concupiscentiæ, ut subiecto, sed animæ, ubi inerat iustitia originalis, ut supra cap. 5. diximus, uel (ut alij autumant) uoluntati. Quare nec tã proprie concupiscentia denominatur peccatũ, q̃ anima ipsa peccatrix, uel homo peccator. Veruntamen qm̃ proprie in hoc genere peccati excogitari nequit materiale, sicuti in actuali, & concupiscẽtiæ motus in uetita fuit primus ac proximus effectus abscedẽtis iustitiæ,

Concupiscẽtia quare dicta ẽ peccatum.

placuit Augustino uocare eam peccatum quodãmodo materiale, ut ostẽderet rem esse malã & nocuam. Et id potissimũ contra Pelagium, qui negabat, rebellionem carnis effectum esse peccati: imo dicebat esse naturale bonum: ut est uidere contra Iulianũ. Et quod hæc fuerit Augustiniana doctrina, euidentius liquebit cap. 12. ubi induximus eũ interpretantẽ Paulum, quod appellauerit concupiscentiã, peccatum, qua ratione est effectus peccati. Etenim si post baptismũ sensualitas non censetur peccatum, nisi quia est effectus peccati, conficitur profecto, ut neq; ante baptismum aliter sit peccatum. Tametsi tunc propter coniũctum reatum in anima, cuius ipsa concupiscentia proximus est effectus, dicitur mate-

riale significatum peccati. Atqui hoc est, quod conuincit disputatio, quam cap. superiori, ad explicandam eius mentem contra uerba Augustini extruximus. ¶ Sed tamẽ restat prçterea nobis respondendum ad eorum argumenta, qui arbitrantur, nullam inesse formaliter nobis originalem culpam, sed ab illa prorsus quæ fuit in Adam, omnes appellari peccatores. Primum. Paul. solo illo peccato Adæ ait, nos omnes peccasse. Vnde August. de pec. me. lib. 1. cap. 10. super illo uerbo. In quo omnes peccauerunt. Si intellexeris, inquit, in quo peccato, certum manifestissimumq; est, alia esse propria cuiq; peccata, in quibus ij tantum peccant, quorum peccata sunt, aliud hoc unũ, in quo omnes peccauerunt, quando omnes, ille unus homo fuerũt. Si autem intellexeris, in quo uno homine, quid, inquit, ista manifestatione manifestius? Nempe legimus iustificari in Christo, qui credunt in eum, propter occultam communicationem, & inspirationem gratiæ spiritualis, qua quisquis hæret domino, unus spiritus est. Hactenus Augusti. Allusionis conclusionem lectori relinquens, qui intelligat sic omnes peccasse in Adam per communicationem suæ culpæ, in quo una eramus caro, uti iustificamur in Christo, in quo unus efficimur spiritus. Et Hypog. lib. 2. Cum peccauit (ait) homo, natura peccauit: et facta est natura iam peccatrix: id est, uitium habens peccati. Eodem pertinet illud. Vnius delicto multi mortui sunt. Et per unius inobedientiam, peccatores constituti sunt multi. Vnde Augusti. lib. 1. retract. cap. 15. ait, (ut supra iam citauimus) unius Adæ reatu nos esse implicatos, cuius uoluntate commissum est illud peccatum, quod originaliter trahimus. Vnum ergo illud peccatum quo omnes peccauimus, origine cõtrahimus, & non plura. ¶ Ad hæc ueruntamen ac his similia respondentes concedimus, quod illo tantum peccato Adæ peccauimus omnes, ut liquido mõstratum est, quoniam dum animam recipimus, non peccamus, sed concipimur in peccato. Neq; dicẽdus est quis originaliter peccare, sed peccatum originaliter trahere cum natura. Neq; negandum est, peccatum Adæ esse illud, quod contrahimus. Id tamẽ fit per hoc, quod reatus ille peccati (ut diximus) relictus est in natura, quæ

Rñdet illis qui nolũt in nobis esse orig. pec.

Augusti ni testimonia.

Qũo suũ quisq; habeat ori. pec.

in Adam peccauit. Et ideo ut omnes trahimus naturam ab Adam, suam quisque propriam recipiendo, ita & omnes contrahimus peccatum eius, per hoc quod in singulis est deuiatio illa & obliquitas animi a Deo, qua proinde cuncti contagione culpæ sic inficimur, ut singulas singuli contrahamus maculas. Tametsi reatus ille in nobis non sit positiua qualitas, sed mera priuatio iustitiæ (ut diximus) quo ad formale. Quapropter cum in remissione originalis restituatur nobis gratia in ordine ad Deum, non tamen uires inferiores in ordine ad rationem, optime ait S. Thom. ut supra cap. 5. citauimus, quod in baptismo restituitur iustitia originalis, tantum quo ad formale. Quomodo autem per uoluntatem tūc Adæ omnes peccauimus, commodatissimo exemplo dilucidat idem S. doctor. 1. 2. q. 81. ubi ait, quod quemadmodum omnia membra sunt unus homo, & ideo uoluntas totius reputatur omnium membrorū, ita omnes eramus in Adam quodammodo unus homo, quamobrem uoluntaria inordinatio sui peccati, manet in tota natura, quam generatione recipimus. Manet scilicet, per modum habitus: sicuti in homine transeunte actu peccati, manet obliquitas animi: quoadusque per gratiam restituatur in ordinem. ¶ Subijciunt hic præterea theologi exemplum ad explicandum, quemadmodum in Adam peccauerimus omnes, de rege munificentissimo, qui seruum in filium adoptatum hæredem amplissimæ substantiæ inscriberet, cuius beneficij tota eius posteritas potiretur: ea tamen lege, si in gratia eius perduraret, ubi tamen primum crimen in regem admitteret, hæreditate illa excederet. Exemplum antiquum est, neque minime ad rem accommodum. Nanque haud prorsus dissimili modo donauerat Deus in Adam naturam nostram originali iustitia. Mihi uero Paulus est, qui rem uidetur quàm optime explicare: ubi ait, Adam gessisse formam futuri Christi. Inde nanque antithesis culpæ Adæ & gratiæ Christi relucet, ubi de nouo Adam accedente ad baptismatis aquam, ait pater cęlestis. Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui. Est enim perinde, acsi dixisset. Veluti Adam fuit, in quo uno tota eius natio mihi displicuit, quæ sibi naturalis ge-

In baptismate restituitur iustitia quoad formale.

Exēplū S. Thomæ.

Exēplū theologorum.

Collatio Adæ cū Christo.

Matth. 3

neratione successit, ita (quasi antidotum) hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui: id est, in quo uno, quotquot baptismate in ipso fuerint regeniti, in gratiam mihi reconciliati, placebunt. Quod & Paul. ait. Sicut per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, ita per unius obeditionem, iusti constituentur multi. Omnes ergo in Adã peccasse, nihil aliud est, quàm naturam nostram, ob participium suæ culpæ, ingratam inuisamque esse Deo. Et ideo tota eius soboles nascimur filij iræ. Sicuti in Christo iustificari, est, quod ob eius gratiam nobis participatam omnes sumus Deo grati. In quo proinde renascimur filij misericordiæ. ¶ Per hæc demum liquidum fit, quo pacto originalis labes traducatur perpetua generationum serie ab Adam. Sed Aug. est, qui in odium Pelagianorum nonnihil dubietatis oculis offundit, Sane qui crebro ait, concupiscẽtiam illam rebellis carnis ob suam inobedientiam esse instrumentum huiusmodi culpæ propagandę. Ait enim (ut superiori capite citatus est) de pec. me. ca. 16. quod ex hac inobedientia carnis, a ratione exorbitantis, et bestiali pudẽdoque membrorum motu quisquis carnaliter generatur, peccatum contrahit, a quo est baptismate abluendus. Et li. 1. de nup. et concu. ca. 24. ubi inuestigat, quo modo cum coniugium, bonũ naturæ sit, ex coniugibus baptismate renatis, & præsertim ubi actui coniugali nullũ admiscetur peccatum, procreentur filij in peccato, respondet, quod non ex bono quo bonæ sunt nuptiæ, sed ex malo concupiscentiæ, quo bene utuntur coniuges, de quo tamen erubescunt, reos diabolus paruulos natos tenet. Et infra. Ex hac inquit, concupiscentia carnis, quæ licet in regeneratis iam non deputetur in peccatum, tamen naturæ non accidit, nisi de peccato, quæcunque nascitur proles, originali est obligata peccato, nisi in illo renascatur, quem sine ista concupiscentia uirgo con cepit. Propterea quando nasci est in carne dignatus, sine peccato solus est natus. Vbiuis denique de hac re sermo est Augustino, concupiscentiam illam rationi rebellem, quasi ea causa, quia non obtemperat rationi, traducem facit originalis maculę. Sed est argumentũ quod huic quisque posset obmoliri sententiæ. Siqui ex nihilo crearent̃ nunc ho-

Rom. 5.

Quid sit nos in Adã peccasse.

Quõ trãsfundat̃ Augusti.

Arguit̃ cõtra uerba Aug.

mines, masculus & fœmina (de quibus tertio cap. prælocuti sumus) in meris uidelicet naturalibus sine culpa & gratia, hi quidē quantacūq; exardesceret libidine & rebellione concupiscentiæ, & uitijs deflagrarent, nunq̃ tñ in sobolem quam genuissent traijcerent originalem culpam: ut omniū est theologorum consensus, eo quod non essent tunc progenies Adæ. Si uero contra duo naturali semine ab Adam descendētes, in primo instanti infusionis animæ infunderent gratia, præueniente peccatū (ut dicit de beatissima uirgine) & præscinderetur illis, uel prorsus extingueretur concupiscentia, ne magis posset aduersus rōnem insultare, q̃ in statu innocentiæ, nihilominus transmitterent peccatum originale in eos quos genuissent liberos. Dico si gratia collata patribus esset tantū personalis, et non pro tota successione. Ergo concupiscentiæ rebellio non est in causa originalis culpæ. Haud equidē ambigo, quin ita sit, ut rationes istæ psuadent: nēpe quod quomodocunq; traduceretur modo natura ab Adā post eius peccatum, transfunderetur et peccatū. Et si natura non traduceretur ab Adā, sed ab homine nunc ex nihilo creato, generarent filij sine peccato. Quin uero ita modo S. Synodus Tri. determinat. Sess. 6. cap. 3. Sicuti nemo nisi in Christo renatus gratiam eius reciperet. Quocirca concupiscentiā esse traducem peccati, nihil sane aliud significat, quàm cōcupiscentiā, & pudendum motum carnis esse naturale instrumentū generationis, per quam propagatur natura præuaricatoris Adæ. Neq; aliud prorsus sibi uoluit sapiens Aug. At quoniā caro nunquàm præter rationem titillaret, nisi culpa Adæ fuisset in causa, ait rebellionē concupiscentiæ traducem esse peccati.

Sentētia authoris — *Synod. Triden.* — *Cōcupiscentia quō traducit peccatum.*

Aduersus recentes pelagianos de originali peccato. cap. 10.

Peræpretium duximus speciem puram ueritatis ob oculos primum omnium ponere, ne errorum interfusa caligo lumen eius interpollaret. Extāt duo tamen de hac re errores, per extremum contrarij. Vnus quorundam recentium Pelagianorum, qui esse aliud in nobis refutant originale peccatum, quàm defectum naturæ: utpote reatum mortis, & cæterarum pœnalitatum,

Duo errores pec. ori.

quas

quas ob culpam Adæ incurrimus. Alter uero est Lutheranorum per cōtrarium extremum, ita penitus naturæ nostræ hoc genus peccatum imprimentium, ut uere in hac uita remitti, omninoq; tolli renuant. Lutheranorum inquàm. Non quòd priores non sint Luthero etiam parente progeniti: sed quòd cum de hac re bis per omnia a reliquis dissideāt, Zuinglistas a suo capite merito nuncupemus. Schisma enim illud istorum (cuius in prologo memineram) nemini scilicet de rebus fidei auscultantium, qui diuina fungatur authoritate, ecquid potest, quàm Lernæum illud quinquaginta capitum monstrū ædere. Primi quidem appetendi a nobis sunt prius, quippe cum quibus est breuissima disputatio: post alij cōtra quos multo est prolixius agendū. Zuinglius ergo inter Germanos est, qui sepulchrum Pelagij refodit, unde hoc pus respiraret. Is enim in suo libello de baptismo, ac deinde urgentius in declamatione ad Vrbanum Rhegium contendere perseuerat, originale peccatum non esse peccatum, sed morbum. Neq; desunt, qui & catholicorum nomine censeri uolunt, & Zuinglio nihilo secius si non uerbis, re tamen adhærescunt. At contrariam conclusionem, nempe quòd sit uera culpa, satis superq; sacrorum testimonijs constabiliuimus, cum per totam hactenus disputationem, tum proprie cap. 7. et. 9. Quapropter id tantum hic aperire statuimus, quàm sibi leuibus rationibus, originalem culpam ita dissuadeant, ut omnino repellant. Primam enim colligunt ex clementia Dei, de quo, cum multo sit propensior ad cōdonandum peccata, quàm ad uindicādum (uult enim omnes homines saluos fieri, nec uult mortem peccatoris, sed magis ut conuertatur) haud est credibile, quòd unius peccatum in culpam deputet uniuersis mortalibus. Eo uel maxime, quòd de delictis proprie loquens, ait per Prophetam, Filius non portabit iniquitatem patris, sed anima quæ peccauerit, ipsa morietur.

Zuinglius.

Argumētatio illorꝫ cōtra ueritatem.

Ezech. 18.

¶ Secundum argumentum informant ex natura peccati, quoniam non est peccatum, nisi sit uoluntarium. Cum ergo Adæ peccanti nullus mortalium aderat, nec cōsenserat, quin uero omnes eius successores improbāt peccatum illud, ægerrime ferentes quas inde miserias et ęrumnas experiunt͂, quo-

Secūdū argumētum.

modo sensus capiat humanus, quòd qui nondum extabant, lege aliqua in uno obligarentur omnes. Vniusc*ue* uoluntas adeo reputaretur omnium, ut per illam nondum nati transgressores essent. Adde, quòd æqua rõne, cætera peccata, non modo primi, sed aliorum etiam parentum transmitterentur in liberos: atq*ue* maiori ratione & benefacta parentum deberent in posteros diffundi. Siquidem perinde atq*ue* in Adã, & in parentibus etiã alijs propinquioribus latuimus. Quin uero addit Zuinglius, peccatum cum culpa iunctum est: culpa uero ex commisso eius nascitur, qui facinus designauit: nemini ergo peccatum est, quod ipse non commisit. ¶ Adijciunt & nouum genus arguendi. Peccatum Adæ remissum illi creditur, ubi fuit cum Deo reconciliatus, quomodo ergo in nos transit? Aut si nobis imputatur, quid est, quod Adæ fuit remissum? Nam si in illo uno omnes peccauimus, longe id efficacius ueritas deuincit, ut in uno, fuerit etiam omnium nostrum condonata culpa. Neq*ue* uero exemplum illud, quo supra rem hanc repræsentauimus, omnino probãt. De illo inquàm seruo, qui summo honore habitus apud dominum ingratus atq*ue* infidus atrocissimum aliquod facinus in dominũ cõmitteret, atq*ue* adeo amicitia principis excideret, omniq*ue* honore & fauore, tam ipse, quàm sua soboles depelleretur. Etenim si eius prosapia honore præcise, aiunt, & opibus, quas a principe receperat, dispoliaretur, id certe non argueret acerbitatem in principe maiorem, quàm ius esset, & æquum. Si tamen omnes posteros ob paternum crimen supplicijs afficeret, ac deniq*ue* addiceret morti, reuera crudelitatis maximæ & immanitatis reus haberet̃ princeps ille. Cum ergo Deus ob culpam protoparentis non solum honore nos & hæreditate cælesti abdicauerit, sed in morbos & calamitates plurimas, atq*ue* adeo in mortem ipsam adegerit, plurimum hoc derogare uidetur diuitijs bonitatis, & benignitatis eius. ¶ His deniq*ue* alij subijciunt, quòd in tota sacra scriptura, nullum est uerbum originalis, seu iustitiæ, seu culpæ, sed nos culpã istam confingimus. Porro hac ratione, & in nostram naturam iniqui, & bonitati diuinæ falso imponentes. ¶ Hæc tamen omnia, & quæ id genus plurima, in hoc argumentum congerũt,

Tertiũ argumẽtum.

Quartũ argumẽtum.

Reprobant exẽplum cõmune.

Postremũ argumentũ.

Rñsio.

facillime ipsi diluerent, si naturam humanam, quam cap.3. depinximus, consyderate contemplari uellent: ut exinde, tũ de gratia, tum de culpa perspicatius ratiocinarẽtur. Si enim Deus naturam humanam in puris naturalibus creasset, nulla nos affecisset iniuria, quòd tales cõdidisset, quales nec gratiam per nos ipsi diuinam assequi possemus, nec diuina gloria potiri: quoniam uires naturales non sunt pares tanto muneri. Necq; ulla esset iniuria, quòd sensualitas rationi esset inimica, quam excæcaret, & præcipitaret in uitia: quòd morbis & alijs ærumnis & calamitatibus huius uitę, atq; etiam morti subiecti essemus. Nimirum quòd hæc omnia essent a proprijs naturæ nostræ principijs natiua. Sua tamen bonitas & benignitas, qui nos ad se plasmauerat, fuit, quòd naturam nostram, gratia & iustitia donaret, quibus nos supra nos ipsos erigeret, atq; inferiores uires, quæ superioribus obedirent, compescerent. Nec cogitandum est (ut quidam effingunt) pactum intercessisse inter Deum & Adã, ut cum primum peccasset, natura expoliaretur illis cælestibus donis, & ita nomine totius generis humani consensum præbuisse, atq; hac causa totum genus, eo peccante, peccasse. Est enim fabula. Nam quid Deus opus habebat Adæ consensu? Necq; ita obligatus fuit pro se, aut pro nobis seruare donum originalis iustitiæ, ut de hac re habuerit singulare præceptum. Scriptura enim est manifesta, quòd unica fuit pręceptio, ne ederet de ligno scientiæ, qua citra eius consensum, potuit Deus obligare totam naturã, tanq; eius, iure creationis, dominus. Sicuti leges legitimi principis, quæ præsenti modo edicerentur ciuitati, uniuersis in perpetuum ciuibus intelligerentur positæ. In pœnam tamen transgressionis comminatus est Deus mortem, qua priuatio iustitiæ designatur. Cũ ergo Adam tunc erat tota natura, nulla fuit in Deo uel crudelitas, uel asperitas, quòd peccante natura, denudaret eam, quibus supra naturalibus donis, ex mera liberalitate exornauerat. Veluti si princeps ciuitati amplissimum priuilegiũ largiretur, dum non committeret certum crimẽ: quod si contrafaceret, tunc nimirum sibi ciuitas perpetuo maneret offensa & inuisa. Et ideo modo quodam peccatum illud fuit om-

Nullum intercessit pactũ iter Deũ & Adã.

Cur in Adã natura peccauit.

Alia peccata non transfunduntur.

nibus hominibus uoluntarium, scilicet per uolũtatem totius naturæ. Qua de causa alia peccata, uel primi, uel aliorum parentum non traijciuntur in liberos, sicut nec uirtutes: quoniã illa sunt personalia, quibus pœnæ tantum personales decretæ sunt: illud autem primum fuit, cui posita erat pœna communis: scilicet, ut genus nostrum in suam nudam naturã recideret: ob idq; illius solius rea facta est suo modo tota natura. Quare neq; ullo pacto derogat clementiæ mitissimi Dei, quòd hoc genus supplicia: nempe morbos, miserias & mortẽ perferamus ob illud peccatum. Nanq; si nos, seu igne, seu ferro perimeret, aut quauis alia uiolenta morte, posset utiq; forte dirus haberi. Quòd autem nos cælesti beneficio immortalitatis orbauerit, ut mortem nobis naturalem incurramus, nihil sane uel iustitiam suam, uel misericordiã denigrat. Atqui ad argumentum aliud respondetur, quòd Adæ remissa est noxia illa, qua ratione erat personæ, permansit tamen in propaganda natura. Quemadmodum qui modo baptizatᷣ, omni liberatᷣ culpa, etiam originali, quatenus est huius personæ: relinquitur nihilominus natura infecta, ut quos christianus genuerit, eadem tabe cõmaculet, Illi autẽ loco, quòd filius nõ portabit iniquitatem patris, opponi e regione posset alter, ubi habetᷣ, Ego sum Deus zelotes, uisitans iniquitatem patrum in filios. Est tñ horũ concordia, quòd pœnas tẽporales, ut infamiam, bonorũ priuationem, & id genus alias, iure luunt filij pro patribus: eo quòd secundum corpus sunt uelut pars patris. Pœnas tamẽ spirituales, & maxime expulsionem a regno cælesti, solus ille qui peccat, subit: nam secundum animã filius non est pars patris, sed omnes animæ meæ sunt, ait ꝑ Ezechielẽ Deus. Ad rem ergo. Qm̃ oẽs homines participes sũt culpæ Adę, expulsi sunt hęreditate cęlesti. Expulsi (inq̃) hoc modo, qꝛ ex natura nostra nullũ ad illam ius habemus, sed qđ Deus nostro generi largitus est in Adã. in eodẽ ꝑdidimus. Per hęc prodiťᷣ aberratio Zuinglij, nõ agnoscentis aliud genus culpæ, quàm quæ proprio contrahitᷣ consensu. Si enim illa Protoplasti uoluntate natura nostra non peccauit, cur ob illam culpam non solum tantam fecimus bonorum temporalium iacturam, sed damnati etiã sumus: ut

Diuina clemẽtia

Peccatũ, Adę soli remissũ.

Exo. 20.

Concordia.

Ezech. 18.

ait Paulus? Et quidem ita damnati, ut regni etiã iure fuerimus exclusi. Profecto si tantum fuisset illi propria, nihil nobis nocuisset. Sed saluum fuisset ius nostrum, saltem in spiritualibus. Quia filius, ut modo interpretabamur, non portabit in eiusmodi bonis iniquitatem patris. Igitur ineptissimũ est eius exemplũ, si uult illud usquequaq; huc adaptare. Ait enim, quòd ueluti si quis in bello uel alia sua culpa in seruitutem capitur, totam suam posteritatem constituit seruã, cui tamen esse seruam, nihil est culpæ sed pœnæ, ita nobis contingit ab Adam. At non uidet, quòd amicitia sua nunq; Deus priuasset nos, & iure regni, nisi participes fuissemus aliquo pacto culpæ. Neq; nos dicimus peccatum esse, quòd mortales sumus, et miserijs subditi: sed quòd cum peccatum Adę, totius reputatum est naturæ, deflexus ille & deordinatio animæ ad Deum, quæ in ipso fuit actualis, in nobis manet quiescenter per modum habitus. Et inde patimur mala hæc naturalia. Sicuti ait Paul. Mors ab Adam in omnes trãsijt: in quo (id est, quia in ipso) omnes peccauerũt, atq; adeo iram & indignationem (ut Tridentina Synodus can.1. secundum Paulum ait) incurrerũt. Aliàs non opus esset baptismo in remissionem culpæ originalis, quæ fuit hęresis Pelagiana. Sed hoc facile Zuinglius concedit: dicens, quòd & peccatum originale per metonymiam, id est, abusiuam nominis significantiam, dicitur originale. Neq; adiudicandos esse infantes æternæ damnationi, propterea quòd non sint aqua intincti. De quo propterea alter nobis restat cum ipso conflictus libro. 2. cap.10. ¶ Quod autem postremo adijciunt, hæc nomina iustitiæ, peccatiue originalis nusq; in sacra pagina legi, argutia est Arrianorum, refutantium nomẽ Homusion, quòd non esset in euangelio. At sicut illi tunc conuicti sunt, ita & hos modo reuincimus. Nempe, qđ ubi res est apta, uirtute subest & nomen ipsum. Cũ enim sit in euangelio, Ego & pater unũ sumus, perinde ualet, ac si scriptũ esset, Eiusdẽ substantiæ: quod est homusion. Haud dissimiliter de originali iustitia et peccato dicendũ. Porro qđ cum constitutissimũ ecclesiæ christianę sit, primum hominẽ in iustitia fuisse creatum, utpote in rectitudine uirtutũ, ac uirium, quãtum satis ad finem consequen-

Nomen iustitiæ orig.

dum erat, ad quem fuerat conditus, ut cap.5. peramplè a nobis demõstratũ fuit: atq; huius fœlicitatis, generatione perpetua propagandæ, potiri deberent homines, q̃diu in officio & in gratia Dei perseuerasset genus humanum, inde optime nomen accepit iustitia originalis. Quæ nuncupari potest, natiua, seu naturalis, uel cõgenita. Et simili ratione, cũ sit apud Paulum, omnes in Adã peccasse, neq; uero solum imitatione, ut contra Pelagium publico consensu patrum ecclesiæ diffinitum est: quin nos ẽt natura filios iræ pronunciet, nihil sane amplius in scriptura desideratur, ad astruendam fidẽ peccati, quod appelleť naturale, uel connatũ, & hæreditariũ, uel per originem contractũ: quod est dicere, originale.

Aduersus lutheranos de originali peccato. cap.xi.

Prima cõtrouersiarũ de pec.ori. cũ lutheranis.

INcidimus ergo in primum locum controuersiarum, quas nobis Martinus ille lutherus nouorũ inuẽtor creauit, suiq; deinde prognati tueri pertendunt. Hi nanq; in alterum extremum a Pelagianis diuersum, nescio quo uento, nunquàm antea in ecclesia suborto, adacti, ita animæ nostrę originalem culpam obtrudunt, ut per nullam sit prorsus gratiam in hoc seculo delebilis. Qui quidem locus in assertionibus Lutheri ad Leonem art.2. sic habet. In puero post baptismum negare remanens esse peccatum, est Paulum & Christum simul conculcare. Et ar.3. Fomes inquit peccati, etiam si nullum adsit actuale peccatum, moratur a corpore animam ab ingressu cæli. Quin paulo inferius eundem fomitem appellat actuale peccatum. Et discipuli sui in confessione Augustana, art.2. uocant uitium originis, uere peccatũ, damnãs & adferens æternam mortem. Et in locis communibus Melanthon. Scriptura inquit, non facit differentiã inter actuale & originale peccatum. Nam & originale, actualis est quædam praua concupiscentia. Itaq; commentum istorum est, quòd concupiscentia nõ solum sit materialiter peccatum, sed quòd formaliter, & in actu libido ipsa, & insultus carnis, ante consensum uoluntatis, est peccatum, etiam in baptizatis. Eandemq; aiunt concupiscentiam prohiberi præcepto illo decalogi, Non cõcupisces. Ob idq; pro insania ducit Luthe. eodem. 2. ar. quod

nos libidinem coniugum, qui quantacunque sanctitate pollẽtes, legitima, iustissimaque intentione generandi, iure suo utuntur, non uere peccatum appellemus. Sed bone Deus in suo famatissimo reformationis dogmate, quod ipsi didagma uocant, quãta explicatione hunc locũ constituunt. Aiunt enim, quòd licet homo nihil iniqui animo deliberato concupiscat, illa nihilominus uolatilis concupiscẽtia, a qua se in omni mãsuetudine, sanctitate, & pietate continet, coram Deo peccatũ est. Et infra. Non modo homicidium, adulterium, & furtum peccatum est, uerumetiam propter concupiscẽtiam, quamuis ei non consentiat uoluntas, homo ipse in conspectu Dei homicida & adulter est. Atqui operæpretium est considerare, ut telam suam detexant. Inde. n. quod cõcupiscentia carnis peccatum illis est, eliciunt, omnia opera nostra, quantũcunque fiant in gratia, ea tamen ratione, qua nostra sunt, a concupiscentia commaculari, & idcirco esse cũcta, peccata. Neque per illa implere nos præcepta Dei, concupiscentia remorante, ne plene operemur ex dilectione sui super omnia. De qua nobis re, li. 3. statutus est dicẽdi locus. Ideoque quamquam in colloquijs iam Ratisponensibus, manifestissimis testimonijs conuicti, paulo remissius propugnẽt errorem hunc de originali peccato, adeo ut in secundo nouissimo hic articulus tanquàm uel cõfessus, uel satis discussus, fuerit prætermissus, tamẽ quia perstant in erroribus de operibus, quos ab illo potissimum fonte deriuarunt: & præterea quia Buce. in suo libello de ecclesiarum reconciliatione eundem cum cæteris uidetur nuper integrare, non erit superuacaneũ, eis quæ a nostris, a doctissimo præsertim Roffensi copiosissime dicta sunt, calculũ nostrũ adijcere. Potissimum, quòd quamdiu libri eorum superstites fuerint, timendum ab illis est. ¶ Status ergo controuersiæ, quæ prima omnium est inter nos & lutheranos, ita constituitur. Nos (ut ueritas habet catholica) post baptismum legitime susceptum nihil remanere in renato credimus cõtagij originalis, quod ueram habeat rationem culpæ. Illi uero contra autumant, concupiscentiam illam carnis, qua parte in sanctis uiris, in quocunque uitiorum genere, conflictatur cum ratione, esse ueram culpam, & damnatione, morteque æterna dignam. Tunc etiã

Didagma.

Lutheranorum tela errorũ.

Status cõtrouersiæ primæ cum lutheranis.

quando per consensum uoluntatis nondum partũ est actuale peccatum, nisi quòd misericordia Dei non imputatur illa culpa, ijs qui sunt in gratia. ¶ Hæc inprimis ignorantiæ nebula nunquàm eorum oculos perstrinxisset, nisi tam essent philosophiæ iniqui hostes, quæ tamen fidei sæpe & multum ancillatur. Concupiscentia enim carnis (ut in tertio statim capite cœpimus dicere) naturalis nobis est: utpote quę licet nulla præcessisset culpa, uel gratia, ex principijs naturæ existeret in homine: quatenus sensibus pollet: nisi quòd Deus frœno originalis iustitiæ creauit eam rationi subiectam: ergo cum propter peccatum, sublata est illa iustitia, nihil aliud significatur uerbo, concupiscentia, quàm natura dono illo destituta. Præterquàm quòd est modo effectus peccati, tanquàm remouentis iustitiam illam, quæ rebellionem eiusdem concupiscentiæ prohibebat: & tamen si homo crearetur in puris naturalibus, esset mera natura. Exẽplum Anselmi est in de cõc. uirg. de naui: cuius natura est uentis inuehi: & ideo si anchora fixa retineatur, tunc qui rumpit anchoram, dicitur nauem commouere. Igitũ cum ea, quæ nobis insunt a natura, nec laude digna sint, nec uituperio, quis, uel cæcus, dixerit concupiscentiam illã, esse peccatum? Nisi forsan materialiter ante baptismum: uti superius explicatũ est. Reuera qua rõne id dixeris, sequenter cõpulsus confiteberis, & uisum & auditum, & reliquos sensus, qui nobis post peccatũ Adæ instrumẽta sunt delinquendi, delicta & ipsos esse. Quin uero & aurum, & honores, & muliebrem formã, & quicquid nos pellicit, pellitue ad malum. Accipe euangelicã parabolam, ubi genus humanum assimilatur ei qui incidit in latrones, a quibus despoliatus, & plagis impositis relictus est semiuiuus. Nunquid despoliatum esse & uulneratum, peccatum erat illi? Quisnam concesserit? Pari modo in nobis, præterquàm quod participes fuimus culpæ, qua sumus lauacro regenerationis abluti, nudatam habere naturam, & ita sauciam, ut concupiscentia ueluti ægritudo quædam cum ratione colluctet̃, certe nihil est culpæ, dum rationem non prosternit, sed est pœna quam ob præteritam culpam exoluimus. Veluti corporei morbi, et mors deniq;, et aliæ id genus calamitates, quas culpas censere

Primũ cõtra Lutherũ argumẽtũ. Cõcupiscentia, res est naturalis.

Ansel.

Lucæ. 10

ſere, hominis eſſet prorſus ſtupidi. ¶ At uero cum Lutherus hoc genus culpæ ſoli concupiſcentiæ carnis impinxerit, diſcipuli eius poſtea, dum illam defendere nequiſſent, rationē habere culpæ, commenti ſunt, nomine concupiſcentiæ non ſolum illam carnis, ſed eam etiam quæ eſt in anima, ſubintelligi. Ita habent in conuentu Vuormatienſi. Attamen neq; hoc diuerticulo argumentum poſſunt eludere. Nam ſi loquantur de concupiſcentia animæ, quæ eſt actus uoluntatis conſentientis carni, illa certe non originalis, ſed uere actualis eſt culpa: de qua nihil diſputamus. Si tamen intelligant impotentiam & declinationem (ut uidentur) animæ, qua uelut actus corporis nata eſt, ſenſibus illecta, pertrahi, adhuc eandem habet argumentum energiam. Nam totum hoc (ſicuti concupiſcentia carnis) naturam dicit iuſtitia originali deſtitutam, non culpam. ¶ Sed præterea, ut in omne ſe latus uerſent, nunquàm ſe hinc tamen extricabunt, quo minus ſint in efficaciſſimum ſacramentum baptiſmi iniquiſſimi, niſi profiteantur, totam illic prorſus rationem omneq; meritum culpæ elui. Nam (quæ uerba expreſſa ſunt Hieronymi ad Oceanum) omnia nobis in baptiſmate condonata ſunt crimina. Nec poſt indulgentiam, inquit, iudicis eſt metuenda ſeueritas: dicente Apoſtolo. Et hæc quidem (ſcilicet peccatores) fuiſtis, ſed abluti eſtis, ſanctificati eſtis, iuſtificati eſtis in nomine domini noſtri Ieſu Chriſti. Omnia ergo peccata, donata ſunt bene & fideliter. Hæc Hieronymus. Nota in Paulo, ſanctificati & iuſtificati, in nomine Ieſu Chriſti. Vnde ſapienter colligit Hierony. bene & fideliter. Quia in nomine Ieſu Chriſti, qui uere eſt ſaluator, nihil deliteſcit fictionis, ſed ſumma eſt, ut in ſuis promiſſionibus fides, ita & in factis ueritas. Id quod ueritas ipſa Ieſus Chriſtus, Hieronymo luculentius profert: ubi ait. Pater ſanctifica eos in ueritate, ſermo tuus ueritas eſt. Et. Si filius uos liberauerit, uere liberi eritis. Et Paul. Renouamini in iuſtitia & ſanctitate ueritatis. Quid ergo euidentius pronunciari potuit ad demonſtrandum, ubi gratiam Dei inimus, omnem nobis prorſus in ueritate abſtergi ma-

[Margin: Lutheranorū diuerticulum. — Secūdū argumētū ex teſtimonijs ſcripturæ. — Hieron. — 1.Cor.6. — Ioan.7. — Ioan.8.]

culam peccati, quàm quod ita nos uere pater sanctificet, quàm sermo eius ueritas est. Cõducit ibidem Hieronymus in hanc eandem sententiã, ex ueteribus quoq; Micheam: ubi ait. Ipse auertet & miserebit nostri, demerget iniquitates nostras, et proijciet in profundum maris omnia peccata nostra. Et Ezechielem: ubi ait. Assumã uos de gentibus, & aspergã super uos aquam mundã, & mundabimini ab omnibus immundicijs uestris, & dabo uobis cor nouum & spiritum nouum. In uerbo, omnibus, inquit Hieronymus, nihil relinquitur. At quando nullum esset aliud euangelicum testimoniũ plenissimę remissionis, quæ fit in baptismo, quàm illud. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, abunde res conuinceretur. Qui enim renascitur, uitam prorsus exuit ueterẽ, & nouam induit. Id quod Apostolus repræsentat in analogia mortis & resurrectionis Christi: ubi ait. Qui mortui sumus peccato, quõ adhuc uiuemus in illo? An ignoratis fratres (cum istis mihi uidetur ore prophetico loqui) quia quicunq; baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus. Cõsepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortẽ: ut quomodo Christus resurrexit a mortuis per gloriam patris, ita & nos in nouitate uitæ ambulemus. Ecce tã uere nos in baptismate mori peccato, sepelirię; & in nouam uitam resurgere, q̃ uere id Christus in corpore præstitit. Hunc Chrysost. locum, Hom. 24. super Ioan. in hanc sententiam dilucide enarrans, ait. In aqua baptismi tanquàm in sepulchro caput immergentibus, uetus homo sepelitur, emergentibus inde nouus resurgit. Et Orig. super Iosue Hom. 5. ait, quod per baptismum regenerationis, expurgatæ sunt animæ nostræ. Vbi abiecimus omnia peccatorum opprobria, & pro his assumpsimus conscientiæ bonę adstipulationem in Deum. Et ad Titum. 3. idem Apostolus. Secundum suam misericordiã saluos nos fecit, per lauacrum regenerationis & renouationis spiritus sancti, quem effudit in nos abunde, id est, quantum sufficit, ut uere simus salui, atq; adeo filij & hæredes, secundum spem uitæ æternæ. Vnde Ioan. Videte qualem charitatem dedit nobis Deus, ut filij Dei nominemur, & simus.

Micheæ 7. — Ioan. 3. — Rom. 6. — Chryso. — Orig. — Tit. 3. — 1. Ioã. 3.

Nominemur, inquit, & simus, ut exprimeret contra istos, nihil baptizatis inesse culpæ, alias si uere esset culpa, non tamē imputata, ut dicunt non uere essemus filij, sed reputaremur tales a Deo. Eodem prorsus refertur, quod ait Apostolus. Nihil ergo nunc damnationis est his, qui sunt in Christo Iesu, qui non secundum carnem ambulant. Sed interpretamentū Lutheri expendamus eodem arti. 2. Ait enim, non haberi in Paulo. Nihil peccati est. sed, nihil damnationis, quasi illa concupiscentia iustorum peccatum uere sit, & de se dignū damnatione, sed non imputatur illis propter fidem, & quia non ambulant secundum carnem. Et suus Bucerus, ubi putat extremam manum imponere componendis controuersijs, idē atq; peius dicit in articulo peccati originalis. Ait enim, quod quàmuis in regenitis nihil sit damnatiōis, in hoc sensu, quod non sunt rei, reatu iam dissoluto in baptismate, hoc tamen est propter meritum Christi non imputantis peccatum. Non tamen quod non uel ob unum hoc malum deprauatæ naturæ, etiam si nulla, uel actionis, uel consensus nostri iniquitas adijceretur, condemnationem meremur. Et paulopost. Sancti ēt, inquit, ipsi, quatenus concupiscentia repugnat bonæ uoluntati, inimici sunt Deo. Expende pie lector, an uerba hæc digna sint, quæ supponantur titulo de componendis controuersijs, & non potius exuscitent, quæ sopita iam & emortua uidebantur. Profecto uerba Pauli expositore non indigent: Dicens enim, nihil esse damnationis in his, qui non ambulāt secūdum carnem, manifestissime docuit, nihil in renatis esse damnatione dignum, præterquàm ambulare secundum carnem, quasi dicat, pati molestias carnis nihil prorsus damnabile est, sed ambulare, id est, libere operari secūdum carnem. Et ita exponit Aug. eādem authoritatē, contra duas episto. Pelag. lib. I. cap. 10. Nulla, inquit, est damnatio his, qui sunt in Christo Iesu, quoniam non damnatur, nisi qui concupiscentię carnis consentit ad malum. Distortissima ergo est expositio Lutheri. ¶ In summa. Cum baptismus sit in remissionem peccatorum (ut in acti. Apost. author est Petrus) qua Christianus perfricta fronte, quicquam culpæ post baptismum reliquum fieri dicat? At commentitiam Lutheri distinctionē

Rom. 8.

Lutheri interpretatio.

Buceri uerba.

Exposi. Pauli.

Aug.

Act. 2.

Lutheranoru; responsio cōfutat.

audiamus, qua se eodem secũdo articulo, ad omnia hæc tam clara testimonia cogitat respondere. Aliud, inquit, est, omnia peccata remitti, aliud uero omnia tolli. Baptismus omnia remittit, sed nullum penitus tollit. Animaduerte pie lector, an hoc non sit deterere sacramenta Christi, & (quod ipse in nos iaculatur) Christũ ipsum cõculcare: scilicet, quod remitti peccata, non sit prorsus tolli. Ecquid enim aliud est, quod ait Euangelista in sua canonica. Scitis, quia ille apparuit, ut peccata tolleret? Et Baptista. Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi? Quid quod, interprete ubi supra Hieronymo, de iustificatore nostro præcinuerant prophetæ? & apostoli concinunt. Demerget & proijciet iniquitates uestras. Mundabimini ab omnibus iniquitatibus uestris. Et. Deleui ut nubem iniquitates tuas. Et. Abluti, sanctificati, iustificati. Et. In quibus nihil est damnationis. Et. Existimate uos mortuos esse peccato, uiuẽtes autem Deo? Quid inquàm hæc omnia, quæ effectus baptismi sunt, aliud resonant, quàm prorsus baptismo extergi, & plene tolli peccatum? Est enim nihil aliud peccatum, quàm offensa in Deum, unde palam consequens fit, ut remitti ab ipso nihil aliud sit, quàm condonari, aboleri, atq; adeo omnino tolli. Nisi absurdissime hic abutaris nomine remissionis, in significatu philosophorum: quibus qualitatem remitti, est imminui aliqua restãte particula: cum tamẽ in præsentia, idem polleat remittere, quod ignoscere: id est, non amplius noscere culpam, perinde acsi nunquàm fuisset. Quamobrem delictorum quæ Deus remittit, obliuisci, neq; amplius recordari dicitur. Quod si Augustinũ, quem ubiq; iudicẽ appellãt, audire de hac re non piget, auscultemus ipsũ lib.1.retra c.cap.7. Lauacrum regenerationis purgat a reatu omnium peccatorum, quæ humana traxit natiuitas & contraxit iniquitas ille. Sicut ergo peccati actualis in baptismo remissi nihil remanet culpæ, ita neq; originalis. Et de pec. me. lib.2.cap.25. Hæc autem, inquit, lex peccati (scilicet fomes concupiscentiæ) non sic manet in membris eorum, qui ex aqua & spiritu renati sunt, tanquàm non sit eius facta remissio, ubi omnino plena & perfecta fit remissio peccatorum, omnibus inimicitijs interfectis, quibus separaba-

Ioan.3. Ioã.1. Esa.44. Rom.8. Rom.6.

Quid sit peccatũ remitti.

Aug.

Plenissima remissio in bap.

mur a Deo, sed manet in uetustate carnis, tanquàm superatum & peremptum, si non illicitis consensionibus quodammodo reuiuiscat. Et in calce eiusdem capitis explicatius ait Quod si deniq; continuò post baptismum consequatur ab. hac uita migratio, non erit omnino, quod obnoxium hominem teneat, solutis omnibus, quæ tenebant. Num satis conficitur originale peccatum tolli, dum remittitur, si non manet nisi superatum & peremptum? At plus debet Protestantibus nostris peccatum, quàm fides. Quo enim fidem suam solam iustificantem tueantur, aiunt, fidem mortuam nullatenus esse fidem. (quãquàm & id peruerse, ut libr. 2. cap. 7. ex uerbis Iacobi monstrabimus) & tamen peccatum originale, & si audiant mortuos nos esse peccato, & sepultos, ipsumq; abstersum, deletum, abiectum & peremptum, nihilosecius, ita semper mordicus retineat, ut nolint sublatum esse. Quid si Augusti. asserat, radicitus euulsum? Inducit enim Pelagianos, contra duas eorum episto. ad Bonifacium li. 1. cap. 13. calumniantes christianis, quod negarent baptisma, omnia peccata radicitus conuellere, sed tantum ei cõcederent, ut peccata raderet, manentibus radicibus, unde rursus pullularent. Quorũ calumniam reprimit his uerbis. Quis hoc, nisi infidelis affirmet? Dicimus enim baptisma, omniũ dare indulgentiam peccatorum, & auferre crimina, non radere: neq; peccatorum radices in mala carne teneri, quasi rasorum in capite capillorum, unde crescant iterum resecanda peccata. Quid potuit efficacius aduersus istos Augustinus proferre, quàm quod neq; radix peccati maneat in baptizatis? Sed tamen & quo eos quasi digito indicaret, subiungit. Sed de illa concupiscentia carnis falli eos credo, uel fallere, cum qua necesse est, ut etiam baptizatus, & hoc si diligentissime proficit, & spiritu Dei agitur, pia mente confligat. Sed hæc, etiam si uocatur peccatum, non utiq; quia peccatum est, sed quia peccato facta est, sic uocatur. Sicut scriptura, manus cuiusq; dicitur, quod manus eam fecerit. Peccata autem sunt, quæ secundum carnis concupiscentiam, uel ignorantiã illicite fiunt, dicuntur & cogitantur. Hæc Augu. Explicatissime aduersus istos pronuncians, post reatũ origi-

Peccatũ plus debet Luthero q fides.

Aug.

Cõcupiscentia, qualiter dicat pec catum.

nalis in sacramento remissum, concupiscentiã, neq; ullo modo esse, neq; appellari peccatũ, nisi per metonymiam: de qua latius cap. sequenti. Nunc enim hoc secundo argumento tantum conamur testimonijs scripturæ sacræ demõstrare & sanctorum, quomodo sint isti iniurij in sacramentum remissionis: astruentes, concupiscentiam inde reliquam, peccatũ esse proprie. ¶ Vt tamen tertium subiungamus argumentũ, statuamus puerum baptizatum ante usum rationis, in quo ais ueram adhuc culpam extare, damnatione dignã æterna, sed non deinceps imputari. Hoc, inquàm, tecum postulo, utrum per solam gratiam baptismi non imputatur, an alia postea opus est applicatione misericordiæ, ut post non imputetur. Si primum, uti res habet, admiseris, tunc ergo baptismus ita plene remisit, ut nihil fuerit culpæ reliquum, quod indigeat postea nouo actu misericordiæ, ut non imputetur. Si uero secundum de tuo capite dederis, ergo per baptismum, non plene applicatum est pretium redemptionis Christi, in redemptionem peccatorũ: quod est hæreticum. Item contra id quod aiũt, adultis nouo actu fidei opus esse iugiter post baptismũ, quo assidue petant condonationem illius culpæ originalis, perdurãtis in baptizato. Primum si ita res est, quomodo fuit baptismus efficax? sane qui culpam illam condonare nõ fuit sufficiens. Adde quod cum pueri talem actum fidei habere non possint, tunc nullum habebunt remedium aduersus illã culpam. Quod si baptismus illis sufficit, absq; alio actu fidei, cur non idem sufficiet & adultis, quatenus ad eandem culpã attinet originalem? ¶ Illud tamen quod mihi potissimum argumẽtum apparebat, in calce demum subijciã. Aiunt enim, ut paulo ante, referebamus, manere quidem peccatum originale, sed non imputari. Et subijciam alia quoq; uerba Lutheri in eodem .2. arti. Hæc est, inquit, gratia noui testamenti, ut quia renati sumus baptismate, fauor Dei nos suscipit, & sustinet non imputans ad mortem, quod reliquum est peccati in nobis, licet uere peccatum sit, & imputari possit. Idẽ aiunt de operibus factis in gratia: ut lib. 2. cap. 16. uisuri sumus. Est tamen (ni fallor) contradictio manifesta, ueram culpam manere post baptisma, & tamen non a Deo imputari ut culpã.

Tertiũ argumẽtum.

Confirmatio argumẽti.

Postremũ argumentũ.

Lutheri uerba.

Nam uel Deus illam odio habet, uel secus. Si non, quam potest in se habere rationem culpæ? Nisi nefarie dixeris, culpā esse ullam, quæ non sit de odio habita: contra diuinum eloquium Dauidis, toties inculcantis, quod iniquos Deus, uiā iniquam, et iniquitatem odio habeat. Si uero illam odit, quo modo non imputat ad culpam? Imo uero, quomodo uerum est, peccatum remissum esse in baptismo? Nam nemo omnino remittit culpam, nisi qui odiū e pectore diuellit penitus. Qua de causa dicitur Deus peccatorum obliuisci, quæ remittit. Profecto non uideo, quo ualeant clypeo dilemma hoc cauere. Nisi promptissimum illud suum in nos sputum fugientes respuāt: sane qui quàmuis ratiocinationem, sophisma appellitant. Mitto interim, quod authores tanti erroris in eam adiguntur impietatē, quod Deus in hac uita nullatenus possit omnia nobis peccata ita remittere, ut prorsus tollat. Id qđ ipsi concedunt, quoniam concupiscentia illa carnis, quā uere peccatum censent, tam naturalis mortalibus est, ut extingui omnino nequeat in hoc seculo. Neq; per priuilegium, ut rentur. Quod tamen theologi (utcunq; de eius conceptu dissentiant) consentienter tribuūt intemeratę uirgini: uidelicet rixam carnis sensisse nūquàm. Igitur, ut finem huic capiti faciamus, consultissime censuit sacrosancta synodus Tridentina can. 5. sess. 5. quod si quis per Iesu Christi domini nostri gratiam quæ in baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negauerit, aut asseruerit, non tolli totum id, quod ueram & propriam peccati rationem habet, sed illud dixerit tātum radi, aut non imputari, anathema sit.

Psal. 118.

Confirmatio argumēti.

Tri. Synno.

Quo Lutheranorum rationes expenduntur & confutantur. cap. 12.

AT quibus tamen fulcimentis locum istum communiant, id deniq; restat, ut expendamus. Hunc enim errorem potissimum conficiunt ex Paulo, & Augustino, quos aliorsum longe distorquent, quàm quo intenderint ipsi. Primum ex illo. Cōcupiscentiam nesciebam esse peccatum, nisi lex diceret, non cōcupisces. Ecce, inquit Lutherus, concupiscentia peccatum est, neq; locus relinquitur interpretandi, non esse proprie peccatum; si qui-

Rom. 7.

Nō concupisces.

dem lege, ait Paulus, esse prohibitam. Sensus ergo Lutheri est, praecepto illo Exo. 20. quod est in decalogo. Non concupisces, prohiberi concupiscentiam illam, quae nobis natiua est, & in regeneratis etiam superstes. Et ita sui defensare pertendunt. Id quod inter praecipuos eius errores secundus potest connumerari. Audi uerba eius in fine illius citati articuli secundi aduersus catholicos. Sed & eo peruenerunt, inquit, insaniae, ut etiam libidinem ineuitabilem parentum sanctorum contra legem Dei concupiscente, defectum uocare sint coacti. Quasi dicat, uerum potius esse, proprieque peccatum. Haec ueruntamen uerba iure multo maiori possumus nos in hunc naturae hostem regerere. Nam praeterquam quod duo repugnantia uerba connectit, sanctos uidelicet sordere peccato, quis eo fuerit arreptus furore, ut quod ineuitabile nobis est, id peccatum dixerit? Ecquid enim naturalis radius uultus Dei, qui signatus est super nos, manifestum magis faciat, quam quod ubi nihil est uolũtatis, neque inibi culpae quippiam inesse possit? Actio enim quae in nostra non est potestate, reuera nec laudi dari nobis potest, nec uituperio. Cuius ratio est, quoniam laus operis, uel uituperium causae debet: quae autem homo inuitus patitur, illorum nõ est causa, quatenus homo: quippe cum per solam facultatem liberi arbitrij simus actionum nostrarum domini. Vnde qui naturale concupiscentiam peccatum censet, pari modo cogitur ut dicat, et quod oculos habeamus, & aures, & membra, quibus intus, nobis nolentibus, nutrimur ac uegetamur, peccata esse. At nulla, inquiunt, admittenda est a natura ratio, ubi scriptura sacra aperta est. Ego uero neque scripturam apertam uideo, neque sensus scripturae esse potest, qui cum manifestissima ratione apertissime pugnat. Reuera si ea quae nobis uel a natura insunt, uel a Deo in poenam inflicta sunt, peccata essent, Deo potius, uel tanquam naturae authori, uel tanquam uindici culpae tribuerent. ¶ Et August. quem coryphaeum ipsi hoc loco sequũtur, adeo per se notum existimat, nullum esse peccatum, nisi uoluntarium, ut naturali se apud ipsum consequentia ponant & perimant, peccatum, & uoluntarium malum. Vnde in lib. de uera religione. Vsque adeo, inquit, peccatum

Exo. 20.

Lutheri uerba & secũdus error.

Nullum est pctm̃ nisi sit uolũtariũ.

Rñsum Lutheri.

August.

De uera reli. c. 14.

catum uoluntarium malum est, ut nullo modo sit peccatum, si non sit uoluntarium. Et contra Manichęos de duabus animabus, peccatum ipsum ita diffinit, quod sit uoluntas retinẽdi, uel consequendi quod iustitia uetat, & unde liberũ est abstinere. Et ne omnia percensentes fastidio simus lectori .1. lib. retrac. id multis modis in uniuersum constituit, aperte in Lutherũ sua pene uerba ita refundens. Peccati reum teneri quẽquàm, quia non fecit, quod facere non potuit, summæ iniquitatis & insaniæ est. Sed resurgunt inde in nos isti, quod peccatum etiam ipsum originale censet ibidem August. uoluntarium esse, uoluntate Adæ. Fatemur quidem, sed culpam totã remissam esse ait, in baptismo. Verba enim eius sunt. Cuius concupiscentiæ reatus in baptismate soluitur, sed infirmitas manet. Optime sane discernit, ut reatu dimisso, concupiscentia, non culpa, sed infirmitas sit. ¶ Verũtamen quoniã quàm sit libertas, inseparabilis conditio peccati, ca.17. repetendum est, haud modo filum rumpamus dicendi de præcepto concupiscentiæ. Impossibile nanq; est illo uetari concupiscentiã, quæ non est in nostra potestate, sed tantum prohibetur uolũtatis consensus, uel forte mora eius in reprimenda concupiscentia, aduertente ratione. Est enim hoc inter decem mandata, de quibus ait Christus. Si uis ad uitam ingredi, serua mandata. Et uerbum uis, palam ostendit nostræ esse facultatis, per gratiam ipsius, cuncta seruare: concupiscentiam uero illam in hac uita sublatam esse, haudquaquàm possibile est. Qui ergo dixerit tyrannidem illam & ineuitabilem molitionem concupiscentiæ a Deo nobis esse interdictam, anathema est Hieronymo, qui in expositione symboli, anathema esse ait, qui dicit Deum præcepisse quicquàm impossibile. Et Augustino, cuius in sermo. 61. de tempo. uerba sunt. Deus nec impossibile aliquid potuit imperare, quia iustus est, nec damnaturus est hominem, pro eo, quod non potuit uitare, quia pius est. Quin uero, cum non sint grauia mandata Dei, ut est apud Ioannem, imo leue sit iugum, ut preceptor ipse testatur, quomodo facere lege diuina obligamur, quod est impossibile? Et præterea cum cætera omnia præcepta de actionibus sint prorsus nostris intelligẽda, scili-

Diffinitio peccati.

Lib. 1. retrac. c.13.

Secũdũ præcipuum argumẽtũ.

Hiero.

Aug.

Ioan. 5.

Matth. 11

Confirmatio argumẽti.

cet Non occides, non furtum facies, & cætera, quæ contingẽtia sunt, commentũ est, uerbũ. Non concupisces, nisi de actione humana intelligere: qualis tamen non est motus concupiscentiæ, rationis usum præueniens. Id quod forma ipsa mandati præ se fert. Non enim ait in genere. Non concupisces, sed non concupisces domum proximi, neq; desiderabis uxorem eius: & reliqua. ¶ At uero non solum motum illum concupiscẽtię, aiunt isti, esse prohibitum, sed & potẽtiam ipsam, & naturam concupiscendi: quod humanus sensus refugit audire. Ecquis enim puerum, uel ante baptismum uel baptizatum lege aliqua astringat, ubi non solum uoluntas, uerum neq; concupiscẽtia usum habet, sed est nuda potẽtia. Nisi peccatum in eo pariter dixeris, famere, lallare, & his similia. Id quod August. li. 1. de ciuitate dei. ca. 25. condemnat, hisce uerbis. Quod si illa concupiscentialis inobediẽtia, quæ adhuc in membris moribundis habitat, præter nostræ uoluntatis legem, quasi lege sua mouetur, quanto magis absq; culpa est in corpore non consentientis, si absq; culpa est in corpore dormientis. His Augustinus ostendit, nullum esse peccatum cõcupiscentiam absq; consensu, cum esse possit in dormiente. ¶ Per hæc deniq; retunditur, quod Lutherus eodem art. 2. in confirmationem sui erroris commentatus est, propter illam scilicet carnis concupiscentiam quotidie nos precari in oratione dominica, dimitti nobis debita nostra: siquidem absq; uoluntate, nulla est culpa. At in hoc se saltem agnoscant, Augustino suo expressis uerbis cõtradicere. Sane qui loco supra citato con. duas episto. Pelagia. ca. 13. Neq; enim, inquit, propter ipsam concupiscentiam, cuius iam reatus lauacro regenerationis absumptus est, dicunt in oratione baptizati. Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris: sed propter peccata quæ fiunt, siue in eius consensionibus, cum ab eo quodlibet uincitur, quod placet, siue cũ per ignorantiam malum quasi bonum placet. Fiunt autem, siue operando, siue loquendo, siue quod facilimum, atq; celerrimum est, cogitando. Illud sane, quod in oratione sequitur, propter ipsam dicitur. Ne nos inferas in tentationem, sed libera nos a malo. Perspicue ergo discriminat August. quod

Auxesis erroris lutheranorum.

Aug.

Lutherus.

Dimitte nobis debita nostra.

propter consensiones uolũtatis dicimus. Dimitte nobis, quoniam peccata sunt: sed propter ipsam tentantem nos, infestãtemq́; concupiscentiam addimus. Et ne nos inducas in tentationem. Vbi propalam manifestat, non cõcupiscentiam, sed tantum uoluntatis opera esse peccata. Quæ omnia, Iacobo apostolo teste, confirmat, qui uel ipso Augustino rem edisserit explicatius: ubi ait. Vnusquisq; tentatur, a concupiscentia sua abstractus & illectus. Deinde cõcupiscentia, cum conceperit (scilicet per consensum uoluntatis) parit peccatum. Cõcupiscentia ergo ante consensum, non est peccatum, sed ex cõsensu concipiens, fit mater peccati. Huic apostolicæ phrasi consonant alius Apostoli uerba Roma. 6. Non regnet peccatum in uestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentijs eius, neq; exhibeatis membra uestra arma iniquitatis peccato. Non enim prohibetur fomitem concupiscẽtiæ habere, sed illi obedire. Vt per hoc intelligas, quod sequenti cap. ait, legem prohibere concupiscentiam. Non enim uetatur ne insit illa in carne, at uoluntate nos concupiscere. Sed hic quis ferat peruicaciam istorum, qui hunc locum pro se adferant cũ glossa Aug.? Ait enim diuus ille sup. Ioan. tract. 41. qđ Paulus nõ dixit. Nõ sit peccatũ in corpore uestro, sed. Nõ regnet. Ergo Paul. (inferunt isti) Augustino interprete, nõ negat, quin cõcupiscẽtia, anteq́; p consensum uolũtatis regnet, peccatũ sit. Collectio aũt hæc nulla est, si colligatur peccatũ esse proprie, antequàm regnet. Nanq; cum Augu. toties admonuisset, concupiscentiam illam non esse proprie peccatũ, sed tropo illo, quo effectus uel causa peccati, peccatum dicitur, securus dixit, peccatũ non prohiberi, ne sit, sed ne regnet. Quoniam quando non regnat, sæpe dixerat tũc non esse proprie peccatum. Quam expositionem ipse idem protinus subiungit, dicens. Peccatum enim consistit in eo quod regnat, & fit quod iubet. Eandem eius explicationem supra etiam citauimus, de pec. me. lib. 2. ca. 28. ubi ait. Hæc lex peccati, quod ẽt peccatum appellat Apostolus: cum dicit. Non ergo regnet peccatum in uestro mortali corpore, ad obediendum desiderijs eius: non sic manet in renatis, tanquàm non sit remissa & perempta, nisi illicitis consensionibus quodammodo reui-

Iaco. 1.

Rom. 6.

Lutheranorũ peruicatia.

Aug.

uiscat, & in regnum proprium dominationemq; reuocetur. Idemq; prorsus repetit de nup. & concup. li. 1. ca. 23. ubi ait. Ipsa concupiscentia iam non est peccatum in regeneratis, quando illi ad illicita opera non consentitur, atq; ut ea perpetrent, a regina mente membra non dantur, ut si non fit, quod scriptum est. Non cōcupiscas, fiat saltem, quod alibi legitur. Post concupiscentias tuas non eas. ¶ At uero hæc postrema uerba sibi isti arbitrabuntur fauere: ubi ait, in hoc seculo a nobis non fieri quod scriptum est. Non concupisces, sed nō eas post concupiscentias, & de spiritu & litera ca. 36. clarius ait, quod in hac uita non implemus. Non concupisces, sed concupiscentijs non obedias: ergo non solum obedire, sed ineuitabile illud concupiscere carnis prohibetur. Huiusmodi autem illatio nulla est prorsus. Augu. enim non sentit, non impleri illud. Non concupisces, si referatur ad innatum concupiscentiæ fomitem, quasi ille sit lege prohibitus, sed quia naturale est in hoc mortali corpore cōcupiscere, usq; dum animale resurgat spirituale. Imo eisdem uerbis insinuat, prohibitionem non referri ad naturalem concupiscentiam, sed ad liberam & ultroneam obedientiam. Quod si analogia ex ciuili republica apud istos quicquam, ut æquum est, ualeret, profecto, tyranno obsidione premente ciuitatem, quàmdiu ciues pondus belli sustinent, & bona fide obsistunt, extra noxiam sunt: sed ubi se primum dedunt, tunc incipiunt esse in crimine. Cur ergo dum uoluntas ab arce rationis sensualitatis incursus strenue, uel perfert, uel comprimit, uitio sibi detur, id quod homo inuitus. ueluti febrem, & naturalē morbum patitur? At quo expositione tandem uerborum. Non concupisces, disputationem absoluamus, examinemus, an isti contradictoria dicant in exponendo hoc præcepto, & illo. Non regnet peccatum in uestro mortali corpore. Etenim cum dicant, hoc secundo non prohiberi, concupiscentiam inesse nobis, aut cum ratione confligere, sed uincere, & regnare (siquidem oculatissime adnotant cum Augustino, Paulum nō dixisse, non sit, sed non regnet) hinc profecto elicitur, concupiscentiam inesse & pugnare, non esse rem prohibitā, nec prohibendam: atq; adeo neq; proprie peccatum. Quod si ita est,

Lutheranorum argumētatio.

Augustini expositio.

Analogia ciuilis reipublicæ.

Lutheranorum cōtradictio.

cur alijs uerbis. Non concupiſces, aiunt prohiberi nō ſolum libera opera, uerum & ipſam carnis concupiſcētiam, ne inſit & ſubſultet. Sed ita cunctis uſu uenit contra cælum expuentibus, ſane, ut ſuo ſe ſputo reſpergant. Concludamus ergo utroq; loco, ſolum conſenſum in opus concupiſcentiæ prohiberi. ¶ Adiungunt ad perſuadendum concupiſcentiam carnis eſſe peccatum, ſubſequentia præterea uerba Pauli eodem ca. 7. Si quod nolo, illud facio, iam non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum. Scio enim, quod non habitat in me, hoc eſt, in carne mea, bonum. Et multis in eundem ſenſum interiectis, concludit. Igitur ergo ipſe mente ſeruio legi Dei, carne autem legi peccati. Ecce, inquiunt, procul dubio concupiſcentiam carnis, quatenus cum ratione luctatur, peccatum ab Apoſtolo appellari. At uero locus hic primum omnium Pauli, qui (ut tota eius epiſtola) non eſt adeo intellectu facilis, a plurimis ſanctorum patrum, non de iuſto iam Paulo, ſed de iudæo ſub lege agente intelligitur. Cuius ordinis ſunt Hieronymus & Origenes, et (ut Auguſtinus ipſe aduerſus Iulianum lib. 6. ca. xi. confitetur) Hilarius etiam & Gregorius nazianzenus & Ambroſius, & cæteri (ut ipſe inquit) eccleſiæ ſancti, notiq; doctores. Et ita ipſe Auguſti. ſemper ſenſerat uſq; ad ſenectam, ut ibidem ait, & lib. 1. retract. ca. 23. Qua de cauſa poſſemus dicere, quod concupiſcentiam ratione coniuncti reatus appellaret in infidelibus peccatum. Sed demus iſtis cum Auguſtino iam ſene, totum hoc intelligi de Paulo, qui gratia Dei ſuffultus nihilominus præliabatur cū carne, ſi tamen uiciſſim nobiſcum ipſi candide Auguſtinum ſequantur interpretem. Qui non ſemel aut bis, ſed ſæpe, & ſepiſſime interpretatur, hoc loco Paulum uon appellare concupiſcentiam, proprie, & uere peccatum, ſed per metaphraſim, quia effectus eſt peccati Adæ, & noſtrorum cauſa. At uero reclamat hic Lutherus. Quomodo, quod nemini angelorum licet, id, quod Paulus aperte peccatum uocat, interpretentur homines defectum tantum, effectumue eſſe peccati? Nimirum Luthere, quoniā Paulus non anathematizat, niſi angelum, aliud q; ipſe annunciat, euangelizantem. Nanq; homines metaphoras ſcripturæ dilucidātes, non ſolum non

Rom. 7

Quomodo multi ſacti intelligant Paulū.

Gala. 1.

reprehendit, sed laudat summopere inter eos, quibus Deus distribuit charismata, Alijs enim, inquit, datur prophetia, alijs
1.Cor.12. interpretatio sermonum. Et iterũ. Alios Deus dedit euange-
Ephe.4. listas, alios autẽ pastores & doctores. Alias, ubi ait idẽ Apo-
2.Cor.5. stolus, quod eum qui non nouerat peccatum, Deus pro nobis fecit peccatum, si non liceret translatiõe uti, necesse esset, Christum ipsum proprie existimare esse peccatũ. Quam ne admitterent blasphemiam, interpretati sunt sancti, nomine peccati hostiã pro peccato designasse Apostolum: quæ se in
Rom.8. cruce pro nobis obtulit. Quo etiam significatu usus est iterum: dicens, quod Deus filium suum mittens, in similitudinem carnis peccati, de peccato damnauit peccatũ. Tametsi hic magis placet, peccati appellatione intelligere naturam ipsam nostram, & carnẽ peccato infectam: de qua Christus, similitudinem gerente peccati, dum eam carni affixit, redemptionem operatus est nostram. Si ergo peccatum haud inepte usurpatur de hostia, quæ causa est remittendi peccati, & de carne, quæ subiectum est peccati, optima est expositio Augustini, quod usurpetur etiam pro effectu peccati. Vbi ideo illius meminisse opus est, quod capite proximo de ipso Augustino adnotabamus. Nempe quod cum reatus peccati originalis, sit priuatio iustitiæ, quatenus faciebat rectitudinem animæ ad Deũ, & proximus effectus eiusdem reatus, sit ebulliens rebellansq; concupiscentia, eandem ante gratiam baptismi appellat peccatum, ratione reatus annexi: eo tamen sublato in baptismo, per solam metonymiam, appellat pec-

Cõcupiscẽtiam Aug. ut nominet peccatũ.

catum, quia effectus est uel causa peccati. Atq; id frequentissime. Primum. Vbi capite superiori eum citauimus, scilicet, lib.1.cont.duas epist.Pelag.cap.13.ubi ait, quod illa concupiscentia quæ reliqua est a baptismo, quo ratio peccati plenissime remittitur, radicitusq; cõuellitur, non quia peccatum est, sed quia peccato facta est, peccatum dicitur: sicuti scriptura, manus dicitur cuiusq;, quod manus eam fecerit, imaginem enim Apellis, uocamus manum eius. Obserua negationem, non quia peccatum est. Omnino enim negat esse peccatum. Et de pec me.lib.2.cap.4. Concupiscentia in paruulis baptizatis a reatu soluitur, ad agonem relinquitur. Perpende di-

scrimen inter reatum peccati, & agonem, qui non est peccatum. Et lib.1.de nup.& concu.ca.25. Concupiscentia, inquit, carnis dimittitur in baptismo, non ut non sit, sed ut peccatum non imputetur. Hunc autem locum praeuaricatus est Lutherus, ita referens. Peccatum remittitur in baptismo, non ut nō sit, sed ut non imputetur: atq; hinc infert, peccatum remanere, sed non imputari. August. autem non dicit peccatum, sed concupiscentia, nec̄ illam dicit remanere sub ratione peccati, sed ut statim infert, ad pugnādum cum infirmitate nostra. Et ca. sequēti subdit exemplū a sensu cōtrario. Nimirū quod sicut in peccato actuali, abeūte actu, uerbi gratia, homicidio, manet reatus: uiceuersa in cōcupiscentia, diluto reatu, manet actus. Non intelligas, actus peccati, sed actus concupiscētiae. Et uerbo, non imputatur, designat nullam esse culpam, ut iā modo notauimus. Et li.1.de nup.& concu.ca.23. expresse ait, quod concupiscentia in regeneratis non est peccatū, nisi adhibeatur consensus. Sed dicitur, inquit, peccatum, sicut uocatur lingua, locutio, quam facit lingua: & manus uocatur scriptura, quam facit manus. Item q; sic uocatur peccatum, quia peccatū si uincit, facit. Sicut uocatur frigus, pigrum, nō quod a pigris fiat, sed quod pigros faciat. Et cōtra Iulianum, lib.6. ca.5. Baptizatus, inquit, omni peccato caret, non omni malo. Non ait. Non imputatur: sed caret. Quod planius ita, inquit, dicitur. Omni reatu omniū malorꝫ caret, non omnibus malis. Nempe insinuās, quod concupiscentia malum, id est, poena sit, non malū, quod est culpa. Et lib.1.retrac.ca.15. Concupiscentiae reatus in baptismate soluitur, sed infirmitas manet. Quid amplius desiderari potest, ad demonstrandum, cōcupiscentiam, soluto reatu originalis, non esse peccatum, sed morbum. Et quàmuis Luthero non placeat nomen reatus, profecto deriuat optime a reus, sicut famulatus a famulus, & a dominus dominatus. Et ita Exodi.32. habet, reatus uituli. Et Deutero.21. reatus sanguinis, ut reatus sit ipsa ratio peccati, a quo homo & fit, & habetur reus. Vnde reatum dilui in baptismo, est crimen quodcunq; & culpam tolli, ut amplius iam homo non sit reus. Quare ineptissimum est Buceri diffugium in suo li. de concordia, & suorum complicum, quod

Nomen reatus

Bucerus

loquatur in his locis Augusti. præcise de actualibus peccatis. Facit enim comparationem operum liberi arbitrij cum concupiscentia, dicens illa esse peccata, concupiscentiam uero, non item. Et præterea concupiscentiam cum reatu esse peccatum, illo tamen sublato, minime. ¶ Vnus tamē restat locus apud Augustinū, quem merito pluris quàm reliquos faciunt, lib. 5. contra Iulianum cap. 3. Cuius uerba sunt. Concupiscentia carnis, aduersus quam bonus cōcupiscit spiritus, & peccatum est, quia inest illi inobedientia contra dominatum mentis: & pœna peccati est, quia reddita est meritis inobedientis, & causa peccati est, defectione cōsentientis, uel cōtagione nascentis. Vbi in primo membro ait, concupiscentiā esse peccatum, propter inobedientiam, præter subsequentes rationes, quibus est effectus & causa peccati. Ad quod nostri in colloquio Vuormatiensi, & in reliquis respondent, sermonem fuisse illic Augustino de concupiscentia ante baptismū, quam uocat peccatum, ratione reatus adiuncti. At quàmuis glossa hæc forte sufficeret, mihi tamen, si conijcere licet, alius est uerisimilior sensus: quoniam illic absq; discrimine intendit August. persuadere, concupiscentiam esse rem malam, ēt post susceptum baptismū. Contra Iulianū, dicentem, illā esse bonam, siue quatenus naturalis est, siue quatenus a Deo inflicta esset, propter peccatum. Et ideo quatuor uel quinq; modis constituit eam esse malam, & figura illa loquendi, peccatum. Primo, quia non obedit rationi. Non dicit, propter adiunctum reatum, sed propter inobedientiam. Quod est dicere, ni fallor. Ex eo quod bonum naturale hominis est operari secundum rationem, (ut crebro hactenus diximus) sensualitas non obediens illi, est peccatum quoddam. Non damnabile quidem, & dignum pœna, sed naturale. Sicuti claudicās tibia, peccatum est, quia non recte inseruit naturæ. Et. 2. dicitur eadem concupiscentia peccatum, quoniā effectus est peccati. Nisi quod modus hic bipartitur, ut ante remissum reatum, sit peccatū, quo ad significatum materiale: post uero, solum ita uocetur, quoniam est effectus peccati. Et. 4. quoniam est causa traducens peccatum originale, ut cap. 8. expositum est. Et quinto demum, quoniam est causa inducens nos ad peccandum

Aug. uidetū faue re lutheranis.

Rñsio authoris

Cōcupiscētia. 5. rōnibus dicitur peccatū.

peccandum actualiter. Oblique ergo Lutherus eodem. 2. articulo, & sui postmodũ sequaces interpretantur illud Pauli. Noster internus homo renouatur de die in diem, in hoc sensu, quasi illud renouari sit paulatim particulatimq; & successione quadam, peccatum remitti, ita ut semper relinquatur aliqua particula peccati. Cum tamen peccatũ in puncto temporis remittatur totum, & condonetur. Quocirca renouari iustos, non est aliud quàm per incrementum gratiæ uires concupiscentiæ reprimere, & magis ac magis extenuare. Vt diserte edocet August. contra Iulianum, lib. 6. ca. 5. Cuius conclusio est, quod concupiscentia soluitur per indulgentiã in baptismo, quia tenebat in noxia: conteritur tamen deinceps per continentiam, ne uincat in pugna. ¶ Ecce quomodo accipit Paulus peccatum: ubi ait. Si quod nolo, hoc facio, iam nõ ego operor illud, sed quod habitat in me, peccatum. Nam quod eandem concupiscentiam appellet legem peccati, apertius a nobis pugnat, quàm contra: quandoquidem lex peccati idem pollet, quod regula (si ita dici potest) peccandi. Vnde sicut ratio non dicitur uirtus, nisi quia est regula uirtutis, ita neq; sensualitas dicitur peccatum, nisi quia est nobis causa delabendi. Quo sensu, ut per uirtutes spiritu seruimus legi Dei, ita carne per uitia seruimus legi peccati. Intercedit enim inter belligerantes spiritum & carnem media uoluntas, in suo habens arbitrio cui maluerit manus dare. Ante cuius proinde consensum, neq; illæ uirtutis, neq; hæc uitij, uel rem sortiuntur, uel nomen. ¶ Non sit hic tandem molestum audire Bucerum concordantem hanc controuersiam, quin uero explicatius ac pertinacius sepultam opinionem Lutheri suscitãtem. Ex illo enim Ioan. Omnis iniquitas peccatum est, ratiocinatur, quod omnis, uel natura, uel uis, uel actio nõ respondens suæ regulæ, peccatum est, atq; adeo natura ipsa sensualitatis, etiam ante uolũtatis consensum, per se est peccatum, quoniã impedit, ne Deum toto corde diligamus. Sed profecto facilius colligitur, quod expositio ipsa sua, iniquitas sit. Quis enim inducat in animum, Ioannem appellasse iniquitatẽ, naturalia peccata? uti sunt monstra & naturales de-

obliqua est expositio Lutheri. 2. ad Cor. 4.

Aug.

Expositio Pauli Rom. 7.

Buceri concordantiæ. 1. Ioã. 5.

fectus. Morbi enim ipsi corporei, esse solent causa iracundiæ, blasphemiæ & aliorum flagitiorum & scelerum, & tamen non ueniunt apud Ioannem iniquitatis nomine. Appellauit ergo iniquitates, sola ipsa delicta. Sicuti omnes uirtutes significantur generali nomine iustitiæ. Hoc iñ largimur Bucero, quod proxime dicebamus, nempe sensualitatem esse
Rom. 8. peccatũ naturæ: scilicet morbum eius & uulnus; uelut uitiũ claudicantis tibiæ. Et eodem intellectu intelligit Paulus, sapientiam carnis inimicam esse Deo. Non quod cognitio ipsa aut propensio carnis sit peccatũ, sed quod pugnat cum ratione in diuersum inflectens. Sicuti aurum ipsum & honor, et fœminarum pulchritudo inimica etiam dici possent rationis & Dei, quatenus tentationes sunt ad malum. ¶ Aliud
Dilectio Dei sup omnia. præterea portentum excogitant, quo defendant concupiscẽtiam esse peccatum, uidelicet quia est nobis impedimento, ne possimus in hac uita implere pręceptũ dilectionis Dei super omnia, atq; adeo neq; alia decalogi. Ita enim solet error initio paruus, in fine esse maximus. Hæc autem disputatio propriam habet sedem lib. 3.
Epilogus. ¶ Igitur quoniã longius quàm crędideram, abijt disputatio, ut rem in epilogũ perstringamus, constituimus, peccatum originale non esse formaliter concupiscentiam, sed priuationẽ iustitię originalis, qua parte rectificabat animum & mentem in ordine ad Deum, quo reatu soluto in baptismo, quæ reliqua est concupiscentia, non habet rationem peccati. Sed est infirmitas et uulnus, ob idq; malum naturæ, dimicans cum ratione, cuius uim & neruos iusti uirtutum exercitio conterunt, imminuunt, atq; exhauriunt de die in diem, quoadusq; Christus athloteta noster reformet corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ secundum operationem uirtutis suæ.

De effectibus peccati originalis. cap. 13.

EX articulis illis sex, qui capite. 7. de originali peccato propositi sunt, quatuor hactenus pertractauimus. Nempe quemadmodum in totum humanum genus pertrãseat, quæ causa eius, quid sit, & quo pacto uitiata origine traijciatur. Subsequit ergo quin-

to loco, ut de eius effectibus, seu defectibus disseramus. De quibus nihil prolixiori sermone opus erat: nimirũ quod ferme iam sint expositi: sed ijdem lutherani sunt, qui nõnihil in hac parte nobis facessunt negotij. Aiunt enim usq; ad se doctores, qui grauiores defectus originalis culpæ docuerunt, ignotam fuisse grauitatem eiusmodi peccati. Docent autem peccatum originale, nõ solum reatum esse, quo rei sumus iræ Dei, & mortis æternæ, sed ipsam corruptionẽ humanæ naturæ. Cuius effectus seu defectus, sunt, ignoratio Dei, contemptus Dei, uacare metu & fiducia Dei, odisse iudicium Dei, fugere Deum iudicantem, irasci Deo, desperare gratiam, habere fiduciam rerum præsentium. Quos morbos, inquiunt, non animaduertunt scholastici. Verba sua sunt in apologia Confessionis augustanæ, & in colloquio Vuormatiensi. At nisi tam essent isti theologiæ scholasticæ insectatores, forsan naturam rerum oculatius spectauissent. Effectus enim originalis peccati, illi penitus sunt, qui ex natura rei secundum diuinam legem ex eo subsequuntur, nulla intercedẽte noua uoluntate. Porro qui in pœnam originalis culpę omnibus communes sunt, & paruulis ante usum rationis, & adultis. Alias omnia humana peccata dicerentur effectus originalis peccati, qui profecto abusus esset loquẽdi. Nisi de effectibus remotis (quod aiunt) intelligeretur, eo sensu, quod per concupiscẽtiam, iustitia originali destitutam, pellicitur in cõsensum uoluntas. ¶ Sed aiunt, nominibus illis actionum significare nõ solum actus, uerum potentiam ad huiusmodi prauas actiones: uel carentiam & priuationem contrariarum uirtutum, quibus per peccatum Adæ fuimus despoliati. Hoc respõsum commẽti sunt, postquàm coacti sunt agnoscere, illa, neq; esse in infantibus, et uerius esse actualia peccata, q̃ originalis peccati pœnas. At non se satis expediunt. Primum quod qui audit contemptum Dei, odium iudicij Dei, & similia, nil prorsus intelligit, quàm scelera ipsa & impietates quæ sunt commissa actualia: quæ si effecta sunt contagij originalis, consequens fit, ut pueris quoq; impingantur ante usum rationis. Quo nihil dici potest absurdius. Et præterea cur potius hæc pauca commemorant, ut temere in buccam uenerunt, quàm

Effectus pec. ori. secundũ lutheranos.

Effectus quinam sint pec. orig.

Lutheranorũ cauillus.

Refutatio.

reliqua omnia crimina, flagitia, et scelera, quæ Paulus ad Gala. recenset. Quandoquidem omnium illecebra, impulsus, & origo sit in cõcupiscentia carnis. Ad hæc. Si illos ita effectus esse interpretentur, quod sint in uniuersum communes omnibus filijs Adæ, et iustis, soluto reatu in baptismo, hoc plane falsum est. Sũt.n. multi, qui tantũ malorũ nõ admittunt. Imo nihil uetat esse aliquos, qui omni capitali crimine careãt. Sin uero intelligunt, effecta illa esse originalis culpæ, tunc tãtum quãdo nõ est remissa, ut sentire uidentur in colloquio Ratisponẽsi, his uerbis. Concupiscentia nõ põt non prodire in omne genus peccati in non regeneratis, in quibus diabolus efficax est, neq; id prorsus uerũ est. Nãq; fuerunt cõplures gentiles inter Græcos & Romanos, quibus forsan nõ fuit remissa originalis culpa, qui tñ iure edocti naturę pluribus abstinuerũt uitijs, q̃ multi ex Christianis: ut cum alij, tum ẽt Aug. quandoq; refert quos nobis etiã in exemplũ ponit. Ad hæc quodnam genus loquendi nouum est, referre inter defectus peccati originalis, uacare metu Dei, & fiducia, irasci Deo, desperare gratiam, & cætera huius figuræ? Profecto multos experimur iustos, meticulosos tamen, suasq; uerentes conscientias, atq; adeo iudicium Dei extimescentes. Et complures cõtra, prauos homines, non solũ nõ desperãtes, sed neq; metuẽtes quidem. Quinimo infideles in peccato originali, nec desperant felicitatem æternam, nec Deo irascuntur, nec eius fugiunt iudicium. De his autem latius in capitulo de certitudine gratiæ li. 3. Illa enim est, quam isti uidetur hisce uerbis parturire. ¶ Ad rem igitur ut ueniamus, inter effectus seu defectus originalis peccati, nempe qui legẽ diuina, naturali consecutione in pœnam peccati subsecuti sunt, primus fuit priuatio diuinæ gratię, & exhæredatio cælestiũ bonorũ. Quod cunctis lethalibus delictis commune est. Secundum hoc, priuatio illius excellentissimæ cognitionis Dei, & expoliatio iustitiæ originalis, puta rectitudinis inferiorum partium animæ ad rationem, & corporis ad animam Nam priuatio rectitudinis rationis ad Deum, & diuinam regulam, non effectus (ut diximus) sed ipsum peccatum fuit, quod suo modo perdurat in nobis. Tertius effectus illius peccati, nosterq;

Lutherani.

Effectus ori. pec.

defectus, & uulneratio, est, effrenatio concupiscentiæ, quæ a rōne exinde, legeq; diuina religata, impetu (quę natura eius est) ad sensibilia fertur. Nō quod sit qualitas illa morbida in anima, quam ueluti commentum supra confutauimus, aut qualitas aliqua realiter distincta in corpore. Sed uocatur habitus, eo modo, quo Aristot. ægritudinem, quæ est proportionis humorum dissolutio, appellat qualitatem & habitum. Merito hic tamē dubitatur, quisnam sensus dicti illius sit, inter theologos celebrati, quod fuerit homo peccato illo, tū gratuitis expoliatus, tum uulneratus in naturalibus. Sententia enim est uenerabilis Bedæ, super illud Lucę. 10. de homine parabolico, qui incidens in latrones, despoliatus ab illis est, atq; plagis impositis, semiuiuus relictus. Vtrū principium aliquod naturale amisimus, quo simus minus liberi, q̄ homo creatus in puris naturalibus. Nam si nō ita res est, nec est profecto intellectu facile, quomodo fuerit homo in naturalibus uulneratus. Responsio nihilominus theologorū est unanimiter negatiua. 2. senten. d. 30. & S. Thomæ. 1. 2. q. 81. Authoritas nāq; est Dio. 4. ca. de diui. nomi. bona naturalia etiam in dæmonibus integra mansisse post peccatum, multo ergo minus aliquod nobis principiū extritum est. Cuius ratio ex supradictis facile elicitur. Quoniā Deus, qui supernaturali dono uestierat naturam nostrā, non maiori supplicio peccatricē affecit, q̄ denudatā relinquere. Tū ob suā benignitatē, tū, qđ nihil nos nostra uolūtate admisimus. Quare homo in puris naturalibus ab homine lapso nō aliter (præter rōnem culpæ) differt in hac parte, q̄ uti homo nudus, qui nūq; fuit indutus, ab homine nudato, quibus fuerat uestitus. Ambo enim sunt ęque nudi. Nisi qđ nuditas in primo nulla fuisset pœna, sed naturalis negatio ornamēti: in secūdo uero est priuatio, ꝓpter culpā. ¶ Sed nunquid bonū naturę aliquo modo imminutū est, ut simus minus propensi in bonū, magisue in malum procliues, quàm essemus in puris naturalibus? Id enim uidetur astruere S. Th. loco modo citato, dicēs, quod inclinatio naturalis ad uirtutē diminuitur ꝑ peccatū. Nā cum actus, authore in ethicis Aristo. li. 2. ingenerēt similes habitus, non pōt in eo, qui uitijs sese tradidit, nō imminui

Homo uulneratus in naturalibus.

Bonum naturæ quō imminuit.

S. Tho.

Arist. 2. Ethi.

inclinatio ad bonum, augeriq; ad malū. Respondetur, quod ueritas hæc, quæ omnibus est in confesso, id tantum docet, quod in ipso Adā per peccata sua, sicuti & in nobis per actualia nostra, debilitetur bonū naturæ propter corruptos habitus. Peccatum autem originale nullum ingenerat habitum: neq; (præterq; quod est culpa) aliter eneruat, inficitue naturā, q̃ si homo in puris naturalibus nasceretur. Cur autē dicat uulnerasse naturam ex fundamento illo cap. 3. præiacto, totiesq; a nobis resumpto, dilucidatur. Etenim cum natura rationalis hominis, sit operari secundum rationem, a quo per sensualitatem cohibetur, donum illud iustitiæ sensualitatem continēs perficiebat hominem in naturalibus. Quippe cum prohiberet, ne impediretur opus illud rationis, homini naturale. Ob idq; priuatio illius doni supernaturalis, fuit plaga et uulnus in naturalibus, quatenus homo inde relictus est mancus, & incursionibus diaboli, mundi, & carnis patens: ut non possit, iuxta naturam suam perpetuo operari. Veluti si natura hominis esset, recta linea incedere, haberet nihilominus ligatum sibi canem aliouersum trahentem, qui canem aliquo remedio coerceret, pficeret hominē in naturalibus, et qui remedium auferret pari rōne læderet. Et ita intelligēdus est canon primus sanctæ nostræ synodi sess. 5. ubi de effectibus peccati originalis sancitū est propter ipsum incurrisse nos captiuitatem sub potestate diaboli, totumq; Adam atq; adeo nos secundum corpus & animam in deterius fuisse commutatū. Quo fit, ut homo cū solo originali, seclusis habitibus actualium, non feratur impensius in sensibilia, quàm si esset in puris naturalibus. Atq; ideo solum differunt, sicuti moles ab alto cadens, impedita prius et posteà ablato impedimēto. Quę quidem æquali uehementia cadit, anteq; retineatur, & postq; remouetur obstaculum. Id quod altissime infigendū est menti, ad intelligendum discrimen inter liberum nostrum arbitrium iustitia originali præditum, eademq; id ipsum multatum. Cum enim libertas duabus partibus constet, scilicet id posse, quod uelis, per peccatum perdidimus possibilitatē (ut lib. 3. hypog. ait August.) faciendi quicquid uolumus, non simpliciter, sed in his, quę ad Deū pertinent. Videlicet, ne ua-

Expositio uulneris in naturalibus.

Triden. Syno.

Libertas

feamus per nos gratiã Dei promereri. Et hoc est, inquit, uulnus, quo claudicamus libero arbitrio. Qd' sine uulnere Christi sanari non potest. Hæc Aug. Mansit tñ possibilitas ad naturalia: atq; hæc præterea libertas in supranaturalibus ad utrũbet, ut scilicet quoties cooperari uelimus Deo, presto sit ad opitulandum nobis. Quod si nolimus, neminem ipse coactu permoueat, sed iuxta nostram naturam libere, ut ca. iam quintodecimo de libero arbitrio, copiosius denarrãdum est.

¶ Atqui concupiscentia hæc, iustitia originali destituta, multis dicitatur nominibus. Appellatur enim fomes peccati: uel quia effectus est peccati: uel (quod nomen significat) quia fomentum est & alimentum uitiorum, quæ consensu allectę inde uoluntatis admittimus. Vocatur etiam & lex carnis, & tyrannus: quoniam non aliam sequitur normam, quàm uoluptatem carnis: & ideo tanq; tyrannus de arce nos & cacumine rationis deturbat. Vnde merito a S. Patribus, morbus uulnus, ac deniq; malum naturæ censetur. Cõcupiscentia multis nominibus appellat.

¶ Effectus reliqui ad corpus pertinent, nempe mors, quam in pœnam peccati comminatus est Deus, atq; morbi: qui plane sunt inchoatio mortis. Ad plenum enim completum est. Quacunq; hora comederis, morte morieris. Nam ab illo temporis momento cœpit natura dissolui, & in mortem ire. Id quod & nobis ab ipso statim conceptionis articulo accidit. Quandoquidem uiuere, nihil aliud est, quàm uitæ tẽpus absumere. Itaq; hæc omnia mala, quæ connata nobis essent cum natura, etiam si nullum anteisset peccatũ, sunt modo pœna peccati, propter beneficium diuinum, peccato sublatum, quo ab illis seruabamur uniuersis. Quin etiam mala alia externa, quæ nobis, uel a feris animalibus, uel ab inclementia cæli, uel ab elementis existunt, uel ex nostra nobis inscitia, uel incogitantia & uecordia contingunt, ultiones illius peccati sunt. Etenim in illo felicissimo statu ab omnibus nos diuina prouidẽtia protexisset. Sed de his satis, sane quæ uulgaria sunt. De illo tamen effectu imminutæ libertatis, latior habendus nobis est sermo, si tamen breuissimum uerbum de pœna huiusmodi peccati fuerit interfitum. Effectus corporei

De pœna peccati originalis. cap. 14.

DE pœna peccati originalis, de qua postremo loco propositũ fuit, nihil est, quod tam certo possimus cõstituere, ut nulla supersit dubitatio, de qua propterea S. Synodus Tri. nihil determinauit. Augusti. enim plus iusto uidetur torquere paruulos. Vnde qui eius sententiæ subscribunt, perpauci sunt, & tortores paruulorum nuncupantur. Ait enim in de fide ad Petrum. Firmissime tene, & nullatenus dubites, non solum homines ratiõe utentes, uerum etiam paruulos, qui siue in uteris matrum uiuere incipiũt, & ibi moriuntur, siue iam inde matribus nati, sine sacramento baptismi, de hoc seculo transeunt, sempiterno igne puniendos. Nec est, quod modo in iudicium petamus (quod nonnulli faciunt) librum illum, an sit Augustini. Nam in hypog. li. 5. inter confutandum Pelagium, idem uidetur sentire. Dicebat nanq Pelag. paruulos ante baptismũ decedentes, licet non admitterentur ad regnum cælorum, ut Deum coram cernerẽt, tãquàm adoptiui filij, nihilominus, quia immunes essent peccati, recipi in infimam mansionem earum, de quibus ait Christus. In domo patris mei, mansiones multæ sunt, ubi felicem uitam agerent. Et ideo baptizari non in remissionem peccati, quod nullum habebãt, sed ut adoptionem filiorum, atq adeo ius regni reciperent. Ad huius inquàm confutationem arguit August. nullum esse tertium locum, ubi uita posset esse perennis, præter regnum cælorum (extra quod nulla est mãsio patris) & gehennã ignis. Nam in die iudicij tantum erunt, inquit, situs duo iudicandorum: scilicet, a dextris & a sinistris. Alteri mittentur in domum patris: alteri, in ignem æternum. Non negat hic limbum patrum aut purgatorium, sed locum tertium uitæ perpetuæ, Quoniã limbus patrum clausus fuit post resurrectionem Christi, eductis inde patribus. Atq purgatorium cessabit in die iudicij. Et ideo non est dubium, quin Augustinus misit infantes in ignem æternum. Id quod ex illo loco Pauli potissimum confirmat. Iudicium ex uno delicto in condemnationem. Vnde colligit, quod originale meretur cõdemnationem. Neq parum profecto roboris adhibet huic senten-

Triden. Syno. *Tortores paruulorũ. Aug.* *Duo loci uitæ perẽnis.* *Confirmatio sẽtẽtiæ Augustini.*

tiæ

tiæ uerbum Pauli, ubi propter peccatum originale appellat nos filios iræ, id est, dignos ira Dei. Ira nãq; supplicium præ se fert. Temperat autem Aug. sententiam lib.1. de bap.par. ca.16. & in enchi.ca.93. dicens, quòd illa pœna erit omnium leuissima, & mitissima. ¶Salua tamen semper authoritate præclarissimi Augustini, compendio plures sunt, qui paruulos omni prorsus pœna sensus liberant. In qua sententia fuit Magister sententiarum, & S. Tho. & ferme theologi. Causa quæ istis probatur, est, quòd uideatur creditu durissimum, ut æquissimus ac sapientissimus iudex supplicium æterni ignis ab illis exigat, qui ꝓpria uoluntate nihil cõmiserũt. Quãdoquidẽ scriptum in Apocalipsi reliquerit Ioan. Quãtum glorificauit se in delitijs, tantum date illi tormẽtum & luctum. Vnde contra colligitur, quòd qui nihil se glorificauit, nihil debeat tormenti experiri. Adde quòd ante baptismum, aliquantus requiritur peccatorum dolor actualium, originalis autem nullus prorsus deposcitur: idcirco quòd non fuerit propria uoluntate cõmissum, & neminem delicti, cuius causa neutiquàm fuit, pœnitere ullo modo potest: de peccato ergo cuius in hac uita nulla pœnitentia, nullusq; gemitus, aut dolor postulatur, cur post infligenda ulla est pœna sensus? Neq; mihi hoc quidem argumentum displicet, quod tale sit. Si paruuli igne plecterentur cum adultis, consequens fieret, ut pariter odio haberent Deum, aduersus eius iustitiam murmurantes, ut adulti in inferno continenter faciunt: atq; adeo essent obdurati, obstinatiq; in peccato actuali: quod certe iniquum est cõcedere: cum nullã hinc habuerint malã uoluntatem: & in quocunq; loco ceciderit lignũ (quod est apud Ecclesiasten) ibi erit. Accedit huc potissimum authoritas Innocẽtij in cap. maiores, de bap. & eius effect. Vbi ait. Pœna originalis peccati, est carentia uisionis Dei, actualis uero, est gehennæ perpetuæ cruciatus. Vbi postq; confert pœnam pœnæ, manifeste sentit, quòd nulla est inflicta pueris pœna sensus. Verum est, quòd non uidetur hoc dicere per modum ꝑ se determinationis, sed arguendo ad probandum aliam conclusionem. ¶Igitur ad Paulum satis respondetur, quod illa expulsio a regno cælesti, uera est cõdẽnatio.

Contraria opinio Augustiniana.

Cap. maiores.

Expositio sẽsus Apl'i.

in homine enim creato in puris naturalibus esset mera negatio naturalis, non recipi in regnum cælorꝝ. Cum autem natura creata fuerit cum iustitia, & (quod magis supra probauimus) cum gratia, atq; adeo cum iure ad regnum, exclusio inde propter peccatum, est priuatio & cõdemnatio, & effectus iræ, & ideo supplicium. Et ex his conficitur ad illud de die iudicij responsio. Nanq; illi qui mittuntur in ignem æternũ, patētissime audiunt causas suæ damnatiōis, esse actualia peccata: quia esuriuit Christus, & non pasti sunt eum: sitiuit, & nõ potauerunt, &c. Neq; in euangelio comminatur illam pœnã æquissimus iudex, nisi propter actuale peccatum. Paruuli autem illa tantũ sententia condemnãtur, Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, non intrabit in regnum cælorũ.

Expositio uerborꝝ Augustini.

Verba etiam Augustini intentant S. Tho. & alij interpretari, quia non legunt in illo loco de fide ad Petrum, nisi æterno supplicio puniendos: ubi nomine supplicij non agnoscunt ignem, sed priuationẽ uisionis. Et hãc dicunt alibi uocari ab illo mitissimã pœnã. Si tñ legatur, sempiterno igne puniẽdos (ut citat̃ in canone) uel ignis ęterni sempiterno supplicio puniẽdos, ut in emẽdatis eius opibus circunfertur, neq; dubitet̃ esse librũ Augustini, non recipit glossam, nisi quòd fuit illius

Bonũ argumẽtũ.

perquàm rigidæ & trucis sententiæ. ¶ At restat præterea argumentũ ex nostra peccati originalis declaratione, qua diximus esse illã deordinationẽ animæ a Deo: cui quidem auersioni existimare quis põt, destinatam esse pœnam ignis. Ad hoc tamen respondet̃, quòd huiusmodi pœna solum decreta est illi, in quo est huiusmodi deordinatio, per modum actus, qualiter fuit in Adã: cuius propria uoluntate uiolatũ præceptum fuit. In nobis autẽ solum permanet, per modum habitus traducti cum natura. Qui proinde gratia & iustitia originali destituti nascimur, ob idq; illa tantum pœna digni, ut regno depellamur, in quod nos gratia illa & iustitia mittebat.

Dubita.

¶ Sed dubium adhuc reliquum fit, an saltem paruuli illi pœnam aliquã spiritualem persentiscunt, eo qđ a regno cælesti exulent perpetuo: exilium.n. hoc non põt natura sua non uehementer discruciare hominẽ, Fuerit quis forte, qui cogitet,

Falsa responsio.

paruulos nullũ habere sensum doloris de exilio illo, propte-

rea quòd cum non habuerint fidē, prorsus eos lateat ineffabilis illa felicitas, quasi per naturā cognosci nullatenus ualeat. Sed tñ falsa est huiusmodi cogitatio. Nā naturalis cognitio, saltē animæ separatæ, & hominis hinc demigrantis, qui impedimentis huius mundi exemptus est, eo ptingit, ut cognoscere possit finem suum supremum, in coniunctione consistere cum sua prima causa, per eius cōtemplationē. Quæ quidē cognitio non pōt non atrociter contorquere hominem inde extorrem, etiā si non cognoscat in particulari diuinitatis trinitatem, & alia supra naturā fide reuelata. Alioqui infideles ętate prouecti, quibus nullus refulsit radius fidei, afflictionē nullam sentirent in inferno, quòd non essent ad illum diuinū cōspectum admissi. Posset quis alius forte pseudophilosophus dicere, q̄ cum anima cognoscere non possit, nisi p species rerum, per quas obiecta coniunguntur cū intellectu, & anima pueri nullas, aut perq̄ raras & exiles receperit ministerio corporis, non potest separata taliter cognoscere, ut apprehendat suum naturalem finē. At neq; hæc respōsio sapientibus pbatur. Nā cum anima, quæ suapte natura ppetua est, a natura perinde habeat, non solum esse actus corporis, sed p se etiānum subsistere, consequēs fit, ut in separatione a corpore, cōcursu Dei quē pepigit cum natura, perfundatr̃ speciebus, quibus possit naturalia cognoscere. ¶ Et ideo tandē ad quęstionem respondet̃, quòd licet pueri, uel extra corpus, uel in corpore peracto mundo, cognoscant illum supnaturalem, saltē in genere, tñ quia intelligūt se nunq̄ habuisse proximā proportionem & aptitudinē ad illum consequēdum, nihil inde contristantur. Sicuti uir sapiens non ægre fert, quòd non sit sūmus orbis monarcha. Etenim aptitudo & pportio ad æternam felicitatē non est, nisi uel p gratiam & fidē, uel p usum liberi arbitrij, p quod si homo cooperatus fuisset inspirāti & pulsanti Deo, potuisset præueniente gratia eandē fidem suscipere: paruuli autem huiusmodi neq; fidem habuerūt, neq; usum liberi arbitrij. Et ideo nulla illic premuntur anxietate: quali adulti. Addūt præterea permulti, quorū etiā est S. Th. quòd diligent Deum tanq̄ primum datorem bonorū naturalium, eo amore, qui possibilis est naturæ. Id quod nō pror-

Altera fallacia.

Rñsio.

sus respuerim: cum naturalis rõ eo inclinet, neq; sit tunc impedimento pondus carnis. Haud tamen cum illis consenserim, qui eiusmodi paruulis uitã adscribunt, q̃ per naturã esse põt, felicissimã. Nam inprimis nulla rõne necessarium sit, ut habeant oẽs scientias & rerum cognitiões, quas possent hic ætate prouectiores, ueluti sũmi philosophi, cõparare. Neq; probauerim splendore solis sup faciem terræ fruituros. Nãq; sol, orbesq;, tunc immoti, nõ permanebunt in aliquem naturalẽ usum uiuentiũ. Et ideo lõge probatissimum est, quòd erunt in limbo: in sinu scilicet tertio supra purgatorium apud inferos. Vt hac saltem rõne uerum habeat, quod ait Aug. nõ esse nisi duo loca uitæ perennis, scilicet supra cęlum, & subtus terram. Quocirca (ut idem docet in de bap. par. & refertur de cõsec. dist. 4. can. nulla præter) non est negandum, quin sint in perpetuis tenebris. Neq; rursus diffitẽdum, illam esse perpetuam mortem, ut est in decreto Ioannis papę. 30. q. 1. Ad limina. Imo uero, quòd a Deo odio quodammodo sint habiti, a regnoq; fuerint exclusi, nequit nõ eos facere infelices. Quocirca uel dicendum est, hanc causam, qua fuerint expulsi, occultã sibi esse, quod magis probauerim, eo quòd sit extra naturalem ordinem rerum, aut si eam cognoscunt, ut quidam uolunt, uix possum intelligere, quomodo nulla inde eos tristitia molestet. In corporibus uero, uniuersali regeneratione resumptis, nullam habebunt læsionem: quia quàmuis non sint incorruptibiles, uti beati, per dotes gloriæ, nulla tamen erit naturalis causa, quæ eos possit offendere.

Vita paruulorũ nõ est felicissima.

Limbus.

De con. d. 4.

An in limbo sit aliqua tristitia.

De libero arbitrio in bonum cap. 15.

QVemadmodum de statu hominis naturali, deq; altero supnaturali originalis iustitiæ fecimus, ita & de hoc tertio habitu hominis lapsi explorandũ est, quàm scilicet uires eius naturales in colendis uirtutibus p se sufficiant, quàmdiu extra gratiam Dei oberrat. Sed quo ad hanc disputationem uiã substernamus, operæpretium est locum de libero hominis arbitrio præstruere. Hoc enim negotium Lutherani etiam nobis exhibẽt. Sane qui inter alios effectus, seu defectus originalis peccati hunc etiam referunt, quòd per lapsum Adæ amiserit homo liberũ

Lutherus de libero arbitrio.

arbitrium,& in bonum gratiæ,& in malum. Verba Lutheri sunt in ar.36.ad Leonem. Liberum arbitrium post peccatum res est de solo titulo,& dum facit,q͏d in se est peccat mortaliter. Sed huius secundi membri refutatio ad librum secundum pertinet,cap.1.ubi de dispositione ad gratiam disputaturi sumus. Subdit autem. Imo simpliciter debui dicere. Liberum arbitrium est figmentum in rebus, seu titulus sine re: Quia nulli est in manu sua quippiam cogitare mali aut boni,sed omnia (ut Vuiclephi articulus Constantiæ damnatus recte docet) de necessitate absoluta eueniunt. Vide monstrificam hominis effigiem,libertatem arbitrij a natura humana abradere molientis. Nisi quòd postea paulo emendatior titulum etiā ipsum,& nomen libertatis prorsus expūgere & abolere pergens,librū inscripsit de seruo arbitrio. Hanc phreneticā sapientiam,sui ēt primū propugnare cœperunt:ut patet apud Philippum in locis cōmunibus,ubi referens uerba magistri,subdit. Et ego nego uim esse ullam in homine,quæ serio affectibus aduersari possit. Christianus igit̄ cognoscet, nihil minus in potestate sua esse,quàm cor suum. Hæc Phili. Quocirca tam mala, quàm bona astruebant Deum in nobis sine arbitrio nostro operari, nihil nobis agentibus, sed mere patientibus. Subiungit enim Luther. eodem artic.36. Quomodo potest homo se ad bonum pręparare,cum nec in potestate sit sua, uias malas facere? Nam & mala opera in impijs Deus operatur. Atq; in annotationibus super epistolam ad Roma. Philippus,certum est,inquit,omnia a Deo fieri,siue bona,siue mala,non solum permittendo,sed principaliter & effectiue. Quemadmodum igitur confitemur, uocationē Pauli fuisse proprium opus Dei,ita & adulteriū Dauidis, & sæuitiā Manlij,atq; etiā proditionē Iudæ. Et Marti. Bucerus super illo Pauli ad Rom. Tradidit Deus gentes in desideria cordis eoꝶ,& in reprobū sensum idē audenter docet. Hæc aūt uerboꝶ portenta,quòd libertas sit titulus sine re qui poterant fouere,nisi qui nec titulum mererent̄ habere rationaliū hominum? Idcirco postq; euidētissimis testimonijs sacris,sanctorūq; monumentis patrū,hoc loco deuincti sunt, cœperunt se iā uersum catholicam ueritatem paulo propius

Melāth.

Bucerus

explicare. Nempe quòd habeamus liberum arbitrium in his quæ subiecta sunt rõni naturali & sensui, ut plantare uineas, construere domos, &c. Quod Luthe. eodẽ art. 36. negauerat Et hoc sibi uolunt in libe. impe. ubi aiunt, quòd in natura lapsa retinemus libertatẽ a coactione. Attamẽ in opibus gratiæ omnino abnegãt liberum arbitriũ. Non solum quia sine speciali auxilio Dei nihil possumus (hæc.n. catholica confessio est) sed quòd ipse totum facit, nobis mere passiue recipientibus. Nã dicunt, sola nos fide iustificari. Quã Luth. art. 1. suarum assertionũ ait a solo Deo infundi. Neq; uero dissimulanda hic est uafricies, & calumnia istorũ. Quo rudes suas plebes incantent, & se reuinctos dissimulẽt, imponunt nobis, quòd ita libertatẽ arbitrij defendamus, ut incurramus in Pelagianos: dicentes, naturali ui posse nos p liberum arbitriũ Deum sup omnia diligere, quatenus satis est, ad gratiã iustificationis. Id qđ nemo unq̃ theologorũ a mille hinc annis somniauit. Cuius testimoniũ euidẽtissimũ præbet S. nunc Synodus, quę per totã sessionem sextã nihil aliud constituit, quàm nullis nostris meritis. sed gratis nos p Christum iustificari. Sed de hoc in. 2. lib. ¶ Nunc, ut ad libertatem redeamus, bina est quæstio hæc. Nimirum quòd in duobus consyderãda est, & pensanda libertas. Primũ in operibus naturalibus: uti loqui, & tacere: sedere, & ambulare: agros colere, plãtare uineas, in negotio itaq; esse, atq; in otio. Hoc autẽ membrum aduersus illos tãtum disputatur, & constituit̃, qui dicunt omnia ex necessitate præscientiæ Dei euenire. Quorũ fuit Vuiclephus, & eius assecla Luthe. De quo tamen errore, Lutherani ducem iã suum uidentur deserere. Et ideo cum materiã spectet prędestinationis, prætereundã hic duximus hanc partẽ. De qua sup epistolã ad Rom. cap. 9. abunde diximus. Alter ordo, in quo locum quoq; habet quædã libertas, est operum gratiæ. Quã libertatem (ut lib. 2. et item. 3. uidebimus) ptendũt semp Lutherani inficiari: dicẽtes, opa liberi arbitrij nihil ad nostrã iustificationẽ præstare: neq; ex nostro assensu & coopatione illã pẽdere. Vnde cõtra regnum liberi arbitrij comœdias ludunt: quibus docẽt, sicut inanime organũ aut brutũ pecus, sic hominẽ se habere, dũ iustificat̃. Quin ẽt sunt inter catholicos,

Margin notes: Libel. imper. — Luth. calumnia. — Synod. Triden. — Quęstio bina. — Mẽs Lutheranorũ dubia

quos uiua uoce dogma hoc asserentes, nobisq; reclamãtibus, defensantes audiuimus. Puta, qđ Deus quadã nos ui, & necessitate ad se ptrahat. Ita ut in nostra nos cõuersione mere habeamus passiue & receptiue. De quo idcirco sacrosancta synodus ses. 6. pronunciauit, cuius hic decretum, q̃ sit sanctum explanare intendimus. Igit̃ errores de libero arbitrio ad sex uel septem recolligere possum. Primus fuit Manichæorũ, qui nullã ponebant in homine potentiã liberam ad utrũlibet, sed duas esse in homine animas, alterã rõnalem ex bono principio conditã, quæ ex necessitate, quę bona et honesta sunt, operat̃. Alterã, malã, sensualẽ, ab altero malo primo principio, quæ pari necessitate mala ꝑpetrat. Cõtra quem antiquissimi Patres, tam græci, q̃ latini, & inprimis Aug. multa scripsere, Huius causa ædidit peculiariter librũ de lib. arbi. ubi affatim differit, cãm delinquẽdi non extare nobis a necessario aliquo principio, sed a ꝓpria uolũtate, quæ liberã habet electionem in bonũ & malum. Secũda fuit hæresis cuiusdã nomine Bardesanes, eodem authore Augustino li. de hære. ca. 35. qui dicebat humana omnia fato adscribẽda esse. De his erroribus nihil ad præsens institutũ. Tertia fuit cuiusdã nomine Abailardi, quã post aliquot secula exuscitauit Vuiclephus, & (ut modo dicebamus) plausibiliter excepit, probauitq; Marti. puta, omnia ex necessitate præscientiæ diuinæ uenire. Quã in aliũ locũ reposuimus. Quarta fuit Iouiniani, inter alias, insania, quod baptizatus homo non poterat amplius peccare, ut extat apud Augustinũ, et Hieronymum. De qua neq; hic locus est dicere, licet Synodus modo, ses. 6. can. 23. eam dãnauerit. Quinta fuit blasphemia Pelagij, qui liberum arbitriũ supra iustas lineas extulit, prædicãs sufficere nobis naturã liberi arbitrij, ad euitandũ omne malũ, bonumq; operandum, qđ dignum esset meritũ amicitiæ Dei, & ideo hæreditatis æternæ. Quã impietatem. 2. lib. reprobabimus, ca. 3. et. 4. Contra quẽ proprie Aug. inter alia plurima opera, librum scripsit ad Timasiũ de natura & gratia: copiose disputãs, ita statuendũ esse liberum arbitriũ, ut tñ gratiã Dei adiutricem, necessariã confiteamur. Sextus est error huic contrarius, eorũ qui adeo defe runt gratiæ, ut liberum arbitriũ prorsus deleant. Et aduersus

Synod. Triden.

Errores de libero arbi.

Manichæus.

Bardesanes.

Abailardus.

Iouinianus.

Pelag.

Sextus error.

istos misit ad Valentinũ, & suos monachos librum alium de gratia & libero arbitrio, cum duabus præterea epistolis, ubi gratiã Dei, ita certo constituit, ut tñ ostenderet libertatem nihilominus nobis inesse, qua nutui Dei libere assentimus, & secum cooperamur, suaq; gratia et fauore utimur. Et hoc est, quod hic tractamus argumentum. Septimus fuit error inter eosdẽ monachos, haud longe ab hoc distans. Porro, quòd cũ sola sit gratia Dei, qua ualemus uitare peccata, quasi ui quadã collabimur, & delinquimus, & ideo non sunt peccatores corripiendi, sed Deus pro illis orandus. De quo errore cõpescendo, adiecit lib. de correp. & gratia: & cap. nos hic. 17. dicturi sumus. Nõ ergo statuimus inpræsentiarũ de libero arbitrio integram, quæ latissime patet, disputationem habere. Consulat de hoc Aug. in de gratia & libero arbitrio, & hypog. lib. 3 ubi concludit, qui negauerit esse liberũ arbitrium, eum nõ esse catholicum: iuxta decretum Palestinũ, aduersus Pelagium, quod refert idẽ Aug. in epistola ad Paulinum, & confirmatũ fuit in concilio Cõstantiensi. Quem præterea articulum copiosissime atq; doctissime disseruit Ioãnes driodenis in libro suo de gratia & libero arbitrio. At solum nobis hic constituere est animus cõclusionẽ hanc. Quàmuis p nos ipsi gratiã Dei inire, absq; eius nequeamus peculiari auxilio, tamen quadãtenus libertas in nobis inest, respectu huius diuini beneficij. Primum, quòd neminem coactu Deus, aut necessitate ad se trahit, sed in nostra est potestate gratiã eius respuere. Vti S. Tri. Syn. ses. 6. cap. 5. et can. 4. determinauit Et præterea quòd quoties assensum nostrũ præbeamus, & cooperari Deo uelimus, nunq; p ipsum stat, quo minus præsentissimo fauore nobis auxilietur: quippe qui iugiter ostiũ cordis nostri pulsat, ut conuertamur. Ad hanc conclusionẽ primum argumentũ succurrit ex natura & cõditione humana: ut Orige. lib 3. de prin. sapienter disserit. Est. n. homo suapte natura, rõnale animal, hoc nimirum brutis animalibus pręstans, quòd habeat intellectũ ratiocinatiuum in utrãq; partẽ: & eadem rõne uolũtatem, quæ in neutrã sit determinata, sed in alterutrã libera: sane cum unicuiq; potentiæ cognoscitiuę suus sit accõmodatus eiusdem cõditionis appetitus. Et hanc ob rem,

Septimus.

De libero arbitrio non plene sed ex parte hic disputãdum.

Cõclo.

Synod. Triden.

Argumentũ primũ.

ob rē,cum cætera animalia nullum sui habeāt dominatū,sed in prçfixū sibi a natura scopum & finem ab eadē instincta et acta moueanť,homini libertas est,& arbitriū, sic se agere,ac secus,ad eum,quē sibi prçstituit finē:ut ca.3.dicebamus:exponentes,hoc esse lumen uultus Dei homini obsignatū,& impressam eius imaginē,qua factus suarꝝ actionum dn̄s,cæteris perinde dominareť animantibus.Cū ergo hominē coüerti in Deum,sit moueri in suum finē,consequens fit,ut queād modum naturales res ad suos cuiusqꝫ fines,secundū suam naturā Deus naturaliter mouet,ita hominē,iuxta suā,moueat libere. At rn̄dent aduersarij,hoc totū in primo homine fuisse cōpletum,quē(ut est in Ecclesiastico)fecit Deus ab initio rectum,id est,iustitia originali insignitū:ut ca.2.denarratū est: sed culpa sua,dum iustitiā amisit,simul & liberum arbitrium in bonum ꝑdidit.Id qd' propalā & omni ꝑcul ænigmate affirmat Aug.in Enchi.ca.30.his uerbis. Libero arbitrio male utēs homo,& se ꝑdidit,& ipsum.Sicut.n.qui se occidit,utiqꝫ uiuēdo se occidit,sed se occidendo nō uiuit, nec seipsum pōt resuscitare,cum occiderit:ita cum libero peccareť arbitrio,uictore peccato,amissum est & liberū arbitrium:a quo.n.quis deuictus est,huic & seruus addictus est.Petri certe apl'i est illa sentētia.Nimirū epist.2.cap.2.)ubi ait. A quo quis fugatus est,huius & seruus est.Pluraqꝫ addit Aug.uerba,quibus ostēdit,liberum nō esse hominē post lapsum ad agendum iusta, nisi sit a peccato liberatus ꝑ Christum.Cuius illa,inquit,uox est,Si uos filius liberauerit,uere liberi eritis.Similia ferme in hanc sententiā colligit in Hypog.lib.3.ubi ait,quòd liberum arbitrium habens agēdi quod uelit possibilitatem,fuit in homine protoplasto.Sed ꝑ uelle malum,recte ꝑdidit posse bonum:qui ꝑ posse bonum,potuit uincere uelle malum. Et de spi.& lit.cap.3.Liberum,inquit,arbitrium sine gratia nō ualet,nisi ad peccandū.Quo potissimum uerbo probat Luthe. loco supra citato,liberū arbitrium esse titulum sine re. ¶His autē intelligendis,& quæ huius formæ adsci̇sci huc possunt, præmittēda diuisio est huius nominis,libertas,cuius æquiuocatio ꝑ regulā dialecticorꝝ ex diuersis cōtrarijs propalať. Dicitur.n.libertas,& a uerbo,quod est,libet, & ab eo,quod est, libero.Prima species opponiť coactiōi et necessitati:& altera

Homo sui dominus.

Aduersariorꝝ responsio.

Eccli.15.

Aug.

Ioan.8.

Libertas triplex.

seruituti. Id cuius incogitãtia plurimos hoc loco fefellit. Prima significatio frequentior est in sacris literis, q̃ quæ testium egeat. Sed & secunda nihilosecius usurpatur. Liberamur. n. a seruitute peccati p̃ Christum, uel a culpa in hac uita p̃ gratiã: iuxta illud. Cum serui essetis peccati, liberi facti estis iustitiæ: uel prorsus a certamine, & molestia carnis, in futuro seculo p̃ gloriã: secundũ illud. Quia & ipsa creatura liberabit̃ a seruitute corruptionis in libertatẽ glorię filiorũ Dei. Ex hac distinctione trifariã libertatẽ colligimus. Nempe naturalẽ, quæ est immunitas a necessitate, ut quis, quod libet, eligat, & altera libertas gratiæ: ac demum tertia, glorię. Theologi. 2. sent. d. 25. sub alijs uerbis dignoscunt libertatẽ. Scilicet, a necessitate, a peccato, a miseria: quæ oẽs fuerunt in statu innocẽtię. Prima uero, quia naturalis est, p̃manet post peccatum: sed reliquas duas p̃didimus. Quas p̃ Christũ recuperamus: secundã quidem, in hac uita: tertiã uero, in futura. Aug. ergo ubi manum cum Pelagianis cõserebat, qui libero arbitrio plenã potestatem arrogabãt promerendę iustitiæ, id ipsum deijciebat. Sed hoc in sensu p̃seuerat astruere, p̃didisse hominẽ post lapsum libertatem, quod ita factus esset seruus peccati (q̃d ait Pet.) ut non posset per se resurgere. Atq; in hoc duntaxat assimilatus est homini mortuo. Non tñ omnimode uoluit, similitudinẽ consistere: ut sicut mortuus, nihil ipso cooperãte, reddit̃ uitæ, ita peccator reuocetur in gratiã. Non. n. ad se nos Deus trahit, ut pecudes (quod S. Syn. Tri. ait) aut inanime organum: sed illuminãdo, dirigendo, alliciẽdo, pulsando, & instigãdo. Vnde nõ eo sensu citat Aug. uel hic, uel ubilibet. Si uos filius liberauerit, uere liberi eritis, quòd in peccatore non sit naturalis libertas ad assentiendũ & cooperãdum, si libet, motioni Dei, sed in eo quod postq̃ liberatus fuerit a seruitute peccati, iã habet auxilium Dei, ut id possit, quod libet, agere: quo ante carebat. Vnde cõ. duas epist. Pelag. lib. 1. cap. 2. Quis autẽ, inquit, nostrum dicat, quod primi hominis peccato perierit liberum arbitriũ de humano genere? Libertas quidẽ perijt p̃ peccatũ: sed illa, quæ in paradiso fuit, habẽdi plenã cum immortalitate iustitiã, propter q̃d natura humana, diuina indiget gratia: dicente dño. Si uos filius liberauerit, tunc uere liberi eritis. Igitur liberũ arbitrium in hoc sensu censet Aug. p̃di-

Rom. 8.

Aug.

Quo pacto p̃didit homo libertatem.

Synod. Triden.

tum homini esse post lapsum, q͠d non est illi possibilitas recu perãdæ salutis, nisi cum auxilio gratiæ: quinimo neq; uelle se disponere ualet, nisi præpulsante Deo. Non tñ, quod non sit liberum illi assentire. Vide q͂ sit apertissima sentẽtia in lib. de ecclesi. dogma. qui liber, & ab Augustino cõpilatus credit̃, & summę semp fuit authoritatis in ecclesia. Sermo est cap. 21. de libertate arbitrij in prima conditione hominis, qua potuit si uoluisset pseuerare. Subditur aũt. Postq; uero seductione serpentis per Aeuã cecidit, naturæ bonũ perdidit, pariter & uigorem arbitrij: non tñ electionem, ne nõ esset suum quod eui taret peccatũ, nec merito indulgeretur, quod non arbitrio di luisset. Manet itaq; ad quærendũ salutem, arbitrij libertas: id est, rationalis uoluntas: sed admonente prius Deo, & inuitãte ad salutem, ut uel eligat, uel sequatur, uel agat occasione salutis: hoc est, inspiratiõe Dei. Et infra. Sicut ergo initiũ salutis nostræ, Deo miserante, & inspirãte habere nos credimus, ita arbitrium naturæ nostræ sequax esse diuinæ inspiratiõis liberę cõfitemur. Quocirca impostura fuit & stropha, Luthero familiarissima, dum ar. 36. citauit Aug. contra duas epist. Pelag. q; nolentes Deus conuertat, & reluctãtes. Cum cõtrarium expresse dicat, cap. 19. Scilicet, quod nemo uenit, nisi uelit: neq; posse fieri, ut nolentes credant: sed ipse facit in cordibus hominum, ut uolentes ex nolentibus fiãt. Et in Enchiri. ca. 32. Nolentẽ pręuenit, ut uelit. Atq; eadẽ calliditas eius fuit & iniquitas, detruncata uerba Augustini citare in de spi. & lit. Non. n. præcise ait, quod nihil liberum arbitriũ, nisi ad peccãdum ualeat: sed addit, Si lateat ueritatis uia. Quasi dicat, p se non põt, sed p auxilium luciferæ fidei in uiã nos mittentis. Quod explicatius in de correp. & gra. ca. xi. his uerbis effert. Liberum arbitrium ad malum sufficit, ad bonum autẽ parũ est, nisi adiudet̃ ab omnipotenti Deo. Gratia ergo nõ tollit liberum arbitriũ, sed adiuuat: quin uero ideo adiuuat̃, quia nõ tollitur. Vt idẽ ait Aug. in epistola ad Hilarium, quæ est. 89. Quàm autẽ dilucide & euidenter hæc fuerit sententia Augustini, paulo post indicabitur. ¶ Quo ergo ad statutã cõclusionem redeamus, secundum argumentum est hoc. Nulla creatura capax est diuinæ gratiæ aut gloriæ, præterq; & intellectualis angelus, & rationalis homo: cãm uero huius aliã cõ-

De eccl. dogma.

Lutheri impostura.

Gratia nõ tollit lib. arb.

Secũdũ argumẽtum.

minisci nequimus, quòd uterque ad imaginem Dei factus, libertatis sit cōpos, qua in sua habet potestate diuinum fauorem, & respuere, & acceptare: iussaque, tum facere, tum excutere: & quod maluerit, uel ad gloriam suam, uel ad ignominiā optare. Igitur conuersio hominis, libera illi est, et uoluntaria.

Bernar. De hac re in suo opusculo de lib. arbitrio, sic inquit Bernar. Tolle liberum arbitrium, & non erit quod saluet. Tolle gratiā, & non erit unde saluetur. Opus hoc sine duobus effici nō potest: uno a quo fit, altero cui, uel in quo fit. Deus author est salutis, liberum arbitrium, tantū capax. Sed ne de uerbo hoc postremo illi exultent, qui putāt liberum arbitrium mere se passiue habere in iustificatione, auscultent quod continuo subijcit. Quòd ergo a solo Deo, & soli datur libero arbitrio, tā absque consensu esse non potest accipientis, quàm absque gratia dantis Et ita gratiæ operanti salutem liberum arbitrium dicitur cooperari dum cōsentit, hoc est, dum saluatur. Proinde irrationalis spiritus salutē minime capit, eo quod illi uoluntarius consensus desit, quo Deo saluāti placide obtemperet: siue iubenti acquiescendo, siue pollicenti credendo, siue reddenti, gratias agendo. Hactenus Bernar.

Aug. Et Aug. in priori epist. ad Valentinū, quæ est. 46. Nulla inquit, obediētia esse pōt sine libero arbitrio. Et ideo cum toties in scriptura iubeamur nō solum præcepta seruare, sed ēt in Deum conuerti, ex ipsa scriptura sacra pspicue conuincitur & demonstrat liberum arbitriū. Id quod fusius tractat de gratia & lib. arbitrio, cap. 2. Vbi potissimum argumētum ad liberum inquit, arbitrium obfirmādum, inde sumitur, quia ipsa diuina præcepta homini nō prodessent, nisi haberet liberum uoluntatis arbitrium, quo ea faciens ad promissa præmia perueniret. Et infra. Quō iubet, si non est liberum arbitrium? Quid beatus ille de quo Psal. dicit, quod in lege dñi fuit uoluntas eius? Nonne satis indicat uoluntate sua hominem in lege Dei consistere?

Tertiū argumētum. ¶ Ex his tertium conficitur argumētum. Iustificatio hominis idem est, qđ cōuersio eius in Deum: conuersio autē opus bonum est, & dignum laude: si autē spontanea non esset, nullius esset laudis: est ergo libera. Nā ppter illa quæ nobis præter uoluntatem nostrā accidunt, nec laudamur, nec uituperamur. Vnde Paul. 1. Cor. 9. Si uolēs hoc facio, mercedē habeo.

Et Aug. loco proxime citato. Qñ uolēs quis quid facit, tunc dicēdum est opus bonum, tunc speranda est boni operis merces ab eo, de quo dictum est. Qui reddet unicuiq; secundum opera sua. Vnde (ut lib. 2. ostensuri sumus) cōuersio opus est meritorium, non utiq; gratiæ primæ, sed tñ gloriç. Accedunt in hanc sententiā Hieronymi ad Damasum uerba hæc. Liberum arbitriū dedit Deus homini, ut uiueret unusquisq; non ex imperio Dei, sed obsequio suo: id est, nō necessitate, sed ex uoluntate. Vt uirtus haberet locū, & a cæteris animātibus distaremus, dum ad exemplum Dei pmissum est nobis facere quod uelimus. Quapropter Aug. epist. priori ad Valentinū, illos qui eousq; gratiā Dei commendabāt, ut hominis liberū arbitrium negarēt, ita incusat, ut qui negato libero arbitrio, rationem præmij continuo sustulissent, quod unicuiq; Deus in die iudicij redditurus est secundum opera eius. Si inquit, non est Dei gratia, qūo saluat mundum? Et si non est liberū arbitrium, qūo iudicat mundū? Atqui hoc apprime animaduertendum est aduersus Lutheranos, quibus extruso libero arbitrio, protinus consequens fit, non esse opera nostra ullius meriti. ¶ Quartum, nisi audire pigeat, ualidissimū argumentum est, et quod ratio ex scriptura sacra elicit, Si Deus ita nos iustificaret per gratiā suam, ut nihil assensione nostra & arbitrio opus esset, cum ipse ad ostium sit semp & pulset, ut est in Apocalypsi, quid causç restaret, cur non omnes conuerteret? Quòd si rem forte in æternas causas prædestinationis retuleris, quia cui uult miseretur, & quem uult, indurat, non satis quæstioni feceris. Illa. n. est causa suprema & remota: uidelicet, quare hūc ad gloriā destinauerit, illum uero minime (de cuius effectu ait Aug. quare hunc trahat, illum nō trahat, noli dubitare, si non uis errare) sed tamen cā præterea desideraē proxima, p quā destinauerit unumquēlibet in regnum recipere. Vt. n. ex infantibus hic salutem consequitur, quia renatus est ex aqua & spiritu sancto, ille uero nequaq;, propterea, quòd absq; baptismo uita decessit, ita in adultis reddenda est proxima cā, cur cum duos æque sit Deus paratissimus conuertere, præsentissimaq; utrunq; misericordia aspiret, hūc trahat, illum non trahat. Quæ re uera reddi non pōt, nisi quòd alter præbet assensum & cooperaē; alter uero, minime. Vt. n.

Aug.
Hiero.
Aug.
Absq; libertate nullū est meritū.
Quartū argumētum.
Apocal. 3.
Dispositio ad gratiā.

paruulum p baptiſmum ſine ſuo conſenſu,ita adultum p ſuã cooperationẽ prædeſtinauit cõuertere. Sed & rõnem cur maiori hunc gratia,ꝙ illum pfundat,nullã certe aliam effingere poteris,ꝙ ꝙ unus maiori ſe ꝙ alter conatu & impetu amoris cõuerterit. Quis.n.dixerit,omnes pc̃tores ad æqualem amicitiã recõciliari? Tantã ſcilicet gratiã recipere tepidum pœnitẽtem,quantã Magdalenã. Cui remiſſa ſunt peccata multa, qm̃ dilexit multum. Immo uero,ſi rem altius inſpexeris,cum Deus eccleſiã ſuam tã ex animo percupiat eo eſſe decore & ſanctitate,qua decebat eſſe dilectiſſimã ſponſam Chriſti,ſuo ſanguine redemptã,tanq̃ prouidenter eã legibus,documentis,exẽplis,& ſacramentis inſtruxerit,tanq̃ ſit præſto,qui nobis opituletur: nimirum qui irradiare principũ corda ſol ipſe iuſtitiæ nunq̃ ceſſat,quid in cauſa eſſe põt,cur non inſtauratur, niſi quia aſſenſum noſtrum expectat,& operam? Vt in propatulo eodem loco eſt Apocalypſis. Ecce.n.inquit,ſto ad ad oſtium & pulſo: ſi quis audierit uocem meã,& aperuerit mihi ianuã,intrabo ad illum,et cænabo cum illo,& ipſe mecum. Ipſe quidẽ eſt,qui aperit corda noſtra: ſed quia liberum nobis eſt & obſiſtere,& aſſenſum prębere,idcirco ait. Si quis audierit & aperuerit. Et Ioan.6.ubi ait. Nemo põt uenire ad me,niſi pater qui miſit me,traxerit eum: mox ſubdit. Omnis qui audiuit a patre,& didicit,uenit ad me: nempe quia in uoluntate cuiuſq̃ eſt, Deo trahente,ad eum uenire. Eademq̃ libertas exprimitur,ubi legit̃. Si uis ad uitã ingredi,ſerua mandata. Et, Si quis uult poſt me uenire,abneget ſemetipſum. Et Matthæi.19. Qui poteſt capere capiat: qui non poteſt,abſcedat. Et quæ cap.proximo inſuper adijciã. Vnde Aug.2.epiſtola ad Valentinum,quæ eſt.47.exponens illud Prouerb. 4. Rectos curſus fac pedibus tuis: ipſe enim rectos faciet curſus tuos,optime meditatus eſt,rectos nos facere curſus pedibus noſtris,propter proprie libertatem uoluntatis: Deus tamen rectos facit eoſdẽ gratia ſua. Quocirca qui poſtulamus, Deus uirtutum conuerte nos,uiciſſim audimus. Conuertimini ad me in toto corde ueſtro Sane quòd opera,quæ cum gratia Dei in iuſtificatione concurrunt,& ſua ſint,& noſtra. Porro ſua,mouentis: noſtra uero,qui libere mouemur. Hinc illa eſt Auguſtini illuſtris ſententia in enarratione Pſal.144.

Loca ſcripturę

Matth. 19.

Aug.

Qui creauit te sine te, non iustificabit te sine te. A creandis. n. hominibus, inquit, nihil exegit Deus: quid. n. exigeret ab his, qui nondum erant? A reformandis autē & iustificādis hominibus passim in scripturis exigit, ut credant, resipiscāt, pœnitentiā agant, ad cor redeant, orēt, ut remissionem peccatorum, & gratiam accipiant. In summa, euangelium est apertissimū: ubi ait Ioan. Dedit eis potestatē filios Dei fieri: id est, nemini necessitatē intulit, sed cunctis opē attulit, ut quotquot uellēt eum libere recipere, credentes in nomine eius, filij Dei fierēt. Qua forte de causa subiungit. Qui non ex uoluntate carnis, nec ex uoluntate uiri, sed ex Deo nati sunt. Nimirū ut exprimeret, natiuitatē ex Deo, nō esse, uti eam quæ est ex homine: puta per naturā, sed per uoluntatem. Neque uero ista potestas & libertas enunciatur in euangelio de Adā, iustitia perornato, neque certe de his, qui iusti iā erant: sed de illis, qui erant in peccato. Quandoquidem ait. Dedit eis potestatem filios Dei fieri. Id enim inquit philosophus, possumus, quod per amicos possumus. Et maxime per amicum, qui tā nobis lubens ac prōptus suppetias uenit. Augu. denique uidetur hoc egregie uno uerbo explicare, li. 1. retrac. ca. 22. ubi ait. In potestate quippe hominis est, mutare in melius uoluntatē. Ecce libertatem, appellat potestatē. At quia per se nō sufficit, subdit. Sed ea potestas nulla est, nisi ab eo detur, de quo dictū est. Dedit eis potestatē filios Dei fieri. Et Hypog. lib. 3. In omni opere sancto prior est uoluntas Dei, posterior liberi arbitrij: id est, operatur Deus, cooperatur homo. Et post demum concludit, ita esse certo confitendū liberum arbitrium, ut qui negauerit, catholicus nō sit. Et quòd intelligat in operibus gratiæ, est manifestū. Nā hæc est nona condemnatio Pelagij, ut refert Aug. ad Paulinum, non esse liberū arbitrium, si Dei indiget auxilio. Vbi sermo erat de auxilio gratiæ ad iustificationē. Ob idque dilucidū est sancitam illic fuisse libertatem nostrā, dum iustificamur adulti. Enarrauimus ergo causam decreti nostræ S. Synodi ses. 6. quo habetur, non recipere nos beneficium reconciliationis, ueluti inanime organum, sed libere assentientes & cooperantes, ita ut possimus inspirationem abijcere: ut habetur cap. 5. Et inter canones can. 4. Atque in can. 5. condēnatur uerbum Lutheri: scilicet, quod liberum arbitrium sit res de solo titulo,

Qui creauit te, sine te &c.

Ioan. 1.

Aristo. 3. Ethi.

Cōdēnatio Pela.

Synod. Triden.

Quo argumentis in contrariũ apparentibus rñdet. cap. 16.

NOn aũt satis est ueritatem hanc liberi arbitrij suis ꝓprijs fundamentis constabilisse, nisi qui cõtrafa cere uident, cõplures loci scripturę sacræ, & appa rentes quoqꝫ rõnes enodent. Et primum omniũ illud, qđ tã a se pugnare arbitrant Lutherani, Sine me nihil potestis facere, & id qđ ait Aug. liberũ arbitriũ ad malũ ꝑ se posse, ad bonum uero parꝝ, nisi diuinitus adiutũ, nullius sunt prorsus momenti. Eadẽ. n. fallaci argumentatiõe conficerẽt, neqꝫ solẽ illuminare, neqꝫ ignem calefacere, quia neqꝫ foliũ ar boris cadit, sine nutu & uolũtate Dei. Vt ergo non cõsequit, Sine Dei generali cõcursu sol nõ illuminat: ergo nõ ipsemet naturaliter illuminat, ita nec sequit, Absqꝫ Deo peculiariter præueniẽte, uolũtas hominis non mouet ad opus ueræ uirtu tis: ergo uolũtas ipsa non mouet libere. Est. n. Deus causis se cundis in uniuersũ cã, ut secundũ suas ipsaꝝ naturas singulæ peragãt oꝑa sua: nẽpe naturales, naturalr̃: & quæ liberę sunt, libere. Tametsi in oꝑibus gratię necessariũ sit specialius auxi lium. Eodẽ pacto diluitur argumẽtũ, quo ijdẽ, uelut achille, passim utunt. Si qñ Deus uel ad bonum uel ad malũ nos mo uet, in nostra esset potestate, nõ moueri, motio Dei non esset efficax, atqꝫ adeo neqꝫ esset omnipotens: contra illud, Omnia quęcũqꝫ uoluit Deus, fecit, in cęlo & in terra. Quo argumẽto ꝑsuadẽt sibi, quoties nos Deus mouet, necessitatẽ nobis infer re. Illatio sua tñ nullius ẽ uigoris. Qđ. n. nos Deus libere mo ueat, nihil cõtra eius cũctipotẽtiã, et efficaciã pugnat. Quini mo inde amplissime patet infinita eius uirtus & sapiẽtia, qđ alias cãs instituit naturalr̃ mouere, & alias, libere: & cũ singu lis modo ꝓprio cõcurrere. Quocirca, quicquid Deus uult uo lũtate absoluta, & quę dicit beneplaciti, fit: iuxta illud Ro. 9. Volũtati eius quis resistet? Qñ aũt cum libero homine cõcur rit, non uult illud fieri, nisi salua hũana natura & libera uolũ tate: quæ idcirco resistere Deo põt, ut de Pharaõe legit, Exo. 10. et. 2. Timo. 3, Ita & hi resistũt ueritati. Et Actu. 7. Vos sem per spũi sancto resistitis, sicut patres uestri. At restat, nonni hil præterea explicandum. Aut. n. sumus liberi in huiusmodi actionibus ante momẽtũ tẽporis, quo nos Deus mouet, aut præsente motiõe Dei: nõ ante, quia absqꝫ eo mouẽte, moueri nequimus,

Lutherani.

Solutio alterius argumẽti.

Explicatio libertatis.

nequimus, neque cum nos ipse actu mouet, quia non stat ipsum nos mouere, quin una moueamur. Sunt enim mouere, et moueri, ceu actio & passio, correlatiua. Ad dissoluendum argumentum hoc supponenda est diffinitio libertatis. Illa enim causa, libera est, quae positis omnibus requisitis ad agendum, potest et agere et non agere. Cui contraria ratio est causae naturalis. Sunt ergo inter scholasticos, qui doceant, posito concursu Dei, non esse utrumque in potestate uoluntatis, scilicet agere & non agere. Ob idque secundo aiunt, eiusmodi concursum non connumerari inter requisita ad agendum. Imo dicunt (ut sua utamur uoce) concomitari actionem ipsam. Horum autem duorum, uel utrunque nunquam intellexi, uel neutrum unquam credam. Etenim non est dubium, quin concursus Dei, licet concomitetur (ut aiunt) actionem, sit nihilominus cuicunque causae secundae requisitus ad agendum; imo uero & natura praerequisitus. Quoniam non solum Deus est causa effectus secundae causae, uerum ipse et mouet eam ad agendum. At quamuis ille concursus sit praerequisitus, nihilosecius, illo posito, tunc et est in facultate uoluntatis agere & cessare. Alias nullus dabitur requisitorum numerus, quibus positis, uoluntas possit agere & non agere, atque adeo neque erit libera. Nam ante diuinum concursum non potest agere: et quando ille adest, ut isti aiunt, non potest non agere. Solutio ergo dubitationis est, quod illo tunc temporis momento, quo Deus mecum concurrit, sum liber, ut tunc agere renuam. Etenim dum libere moueor, possum in sensu diuiso non agere: & tunc cessabit concursus Dei. Tametsi in sensu composito contra se inuicem pugnent. Deum agere erga me actione illa, et me non agere. Neque aliud sibi uult Aristot. ubi ait, illud quod est, quando est, necesse est esse, quàm quod sit iam tunc determinate uerum. Sed quo argumentum hoc physicum, isto tamen loco necessarium, penitus enodetur. Nunquid Deus potens est uoluntatem hominis seu cogere, seu ex necessitate mouere? Facilis est responsio. Cogere enim uoluntatem, repugnantiam inuoluit. Cogere enim aliquid, est contra suam ipsam inclinationem, mouere. Et ideo potest quidem homo cogi, cum mouetur contra propriam uoluntatem (quae est propria hominis inclinatio) siue ad intelligendum, siue ad sentiendum, uel ambulandum,

Diffinitio causae liberae.

Dissolutio dubij.

An possit uoluntas uel cogi uel necessitari.

& cætera id genus. Attamen uoluntas non cogitur. Nam cũ sua inclinatio eadem sit, quæ suus ipsius actus, quomodocunq; & undecunq; habeat uelle uel nolle, est sua inclinatio, atq; adeo repugnat tales habere actus contra suam inclinationem. Necessitari tamen uoluntatem a Deo, qui author est naturæ, nihil uetat, sed tunc auferret illi libertatem in tali actione, mouendo illam ceu brutam pecudem. Quod tamen nunquàm facit lege communi. Authoritates ergo scripturæ, quibus asseritur Deus nobiscum agere, sine cuius nutu nihil ualemus, nihil obstant, quo minus liberæ sint actiões nostrę ¶ At uero aliæ sunt lõge maioris energię, utpote quibus Deus solus prædicatur author salutis nostræ. Quarum tres ego contemplor ordines. In primo sunt illæ, quibus ita Deus affirmatur erga nos agere, ut denegemur nos simul cooperari. Vt. Non est uolentis neq; currentis, sed Dei miserentis. Et. Quoties uolui cõgregare filios tuos, & noluisti. In secundo uero ordine sunt, quibus licet expresse non excludatur cooperatio nostra, Deus tamen solus inducitur author. Vti est apud Ezechielẽ. 36. Ego auferam cor lapideum de carne uestra, & dabo uobis cor nouum. Cui respondet Dauid. Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectũ innoua in uisceribus meis. Et. Domine labia mea aperies, & os meum annunciabit laudem tuam: quasi Deus solus sit causa conuersionis nostræ. Vnde Oseæ. 13. Perditio, tua Israel: tantum in me auxilium tuum. Et Paul. Ipsius sumus factura in Christo Iesu in operibus bonis, quæ Deus præparauit, ut in illis ambulemus. Et alibi. Deus est qui operatur in uobis uelle & perficere. Neq; res satis expeditur, si quis dicat, simul nos cum Deo concurrere. Nam sicut Esa. 46. habetur. Nos sumus lutum, Deus autem fictor noster. Neq; id tantũ intelligendum est qua parte nos creauit, ut essemus, sed qua nos iustificauit, ut iusti essemus. Quare Paul. eandem persequitur analogiam de luto & figulo Rom. 9. Lutum autem mere receptiuę se habet, uti materia, nihil cooperans ad sui effor mationẽ. Qua de re non potest lutum dicere figulo, cur me in talem effingis formam. Tertius autem est locorum ordo, quibus nomen ipsum collati beneficij plane explicat, nihil

Tres au thoritatũ ordines.

Rom. 9.

Matt. 23.

Eze. 36.

Psal. 50.

Oseæ. 13.

Eph. 2.

Esa. 46.

Rom. 9.

nos cooperari in eius productione. Vt est illud Psal. 83. Gratiam & gloriam dabit dominus. Siquidem gratia et uirtutes quibus iustificamur dona Dei sunt. Vnde Pau. Gratia enim estis saluati per fidem, & hoc non ex uobis. Dei enim donū est: non ex operibus, ut ne quis glorietur. Et 1. Cor. 4. Quid habes quod nō accepisti, si aūt accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis. Creberrima sunt huiusmodi elogia, quibus interdicit nobis gloria operum nostrorum, eo qd non nos ipsi, ut Pelagiani blasphemabāt, sed Deus nos iustificat. De qua re peramplior futurus est nobis sermo libro. 2. At quantum ad rem modo attinet, ratio præterea contra nos depugnat apertissime. Ea enim quæ supernaturalia sunt, a solo Deo sine opera nostra creantur: nam authore Esaia. Quis adiuuit spiritum domini? aut consiliarius eius fuit: at gratia & uirtutes infusæ, sunt supra naturā: ergo se ipse solo, sicuti mundū, ita & eiusmodi dona creat in nobis. Propter quod uirtutem infusam diffiniunt theologi (uti colligunt ex Augu. 2. de lib. arb.) quod sit bona qualitas mentis, quam Deus in nobis sine nobis operatur. Ideoq; respectu gratiæ iustificātis, &, quæ illam comitantur, diuinarum uirtutum, mere sumus, ceu receptiuum subiectum. Ecce unde fit quæstio hæc de gratia & libero arbitrio difficillima. Nempe, quod hæc & huiusmodi alia testimonia scripturæ ita uidentur gratiam Dei extollere, ut nullatenus ad iustificationem nostram liberum concurrat arbitrium. Sed sunt tamen pleraq; multa quibus liberum arbitrium cum gratia cooperari, imo ipsam antecedere designatur: ut illud: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, Et illud præcipue Zacha. 1. Conuertimini ad me, & conuertar ad uos. Quo potissimū loco Pelagiani fundabant suam blasphemiam: nempe quòd a nobis sit initium salutis nostræ. Vnde trac. 53. super Io. Aug. Quosdam inquit nimia suæ uoluntatis fiducia extulit in superbiam, & quosdam nimia suæ uolūtatis diffidentia deiecit in negligentiā. Illi dicūt, ut quid rogamus Deum, ne uincamur in tentatiōe, quod in nostra est potestate. Isti dicunt, ut quid conamur bene uiuere, quod in Dei est potestate. Igitur quo hæc manifesta luce clarescant, iuxta tres designatos ordines, tria extant operum genera.

Marginalia: Esa. 40. — Aug. — Matth. 11 — Zach. 1. — Aug. — Tria operū Dei genera.

diuinorum genera in nostra iustificatione. Prima enim sunt opera quæ sic Deo sunt propria, ut nullã in eis uoluntas nostra partem habeat: scilicet nec cõsensum nec cooperationẽ. Vti sunt prædestinatio, uocatio, admonitio, pulsare ad ostiũ, & aliquãdo inspiratio, & illuminatio. Quamobrem ita hæc in scriptura tribuuntur Deo, ut nullatenus exigantur a nobis. Hæc ergo ita prçeunt iustificationem nostram, ut tempore etiam quandoq; præcedant nostrum consensum. Tale est illud. Non est uolentis neq; currentis, sed Dei miserẽtis. Admonemur enim illic, primam, altissimãq; nostræ iustificationis causam, esse æternã prædestinationẽ. Quia cum Iacob & Esau nondum nati fuissent, alterum dilexit Deus, alterum odio habuit. Quin uero nõnunq; huiu smodi appulsum Dei nullus subsequitur cõsensus noster. Quorũ duritiem improperat Christus dominus noster, dũ ait. Quoties uolui cõgregare, sicut gallina, filios tuos, et noluisti. Gallina enim nõ cogit, sed uocãdo allicit. Et. Vç tibi Corozaim, quia si in Tyro et Sidone factæ fuissent uirtutes, quæ factæ sũt in uobis, olim in cilicio et cinere sedentes pœniterent. Et sçpenumero alibi.

Quod autem Deus aliquando illuminet, inspiret, & tangat corda nostra absq; nostra uoluntate, patet similitudine tentationis ad malum. Non enim est in nostra uolũtate, ut ait August. quin uisis tgaãmur. Quos motus theologi appellãt naturales, & idiomate suo, primo primos. Quos & Ambrosius agnouit super illum Psal. Auerte oculos meos ne uideant uanitatẽ. Vnde Aug. in fine tertij libri de libero arbitrio. Quid inquit, quisq; uel sumat uel respuat, est in potestate, sed quo uiso tãgatur, nulla potestas est. Fatendũ est, & ex superioribus & ex inferioribus uisis animum tangi, ut rationalis substantia ex utroq; sumat quod uoluerit, & ex merito sumendi uel miseria uel beatitas subsequatur. Hæc August. In eiusmodi ergo influxibus mere se habet homo receptiue, ceu aer, dũ illuminatur a sole, Quamuis nisi animo fouerimus hæc numina, raptim elabuntur. Atq; hac ratione intelligendæ sunt authoritates primi ordinis, Quod si hic forte quis percontetur, quo pacto sit intelligibile, inspirationẽ in nobis intus fieri, illuminationẽ, pulsationẽ, aut internã uocationẽ absq; nostra

Motus naturales.

Ambro.

Augu.

cooperatione. Illuminatio nãq; actũ dicit intellectus: & cætera, motus cordis: utpote animi, seu uolũtatis. Nec ego equidẽ contrariũ potui unq; excogitare. Prædestinatio, inq;, æterna est absq; actiõe creaturę. Et externã itẽ uocationẽ p prędicatorẽ, fieri nihil uetat absq; interna motiõe audiẽtis. At uero deũ quẽpiã illuminare, nihil est plane, q̃ mentẽ excitare in aliquẽ bonũ cogitatũ: & inspirare, uoluntati suggerere bonũ motũ. Quæ iõ opa ẽt sunt potẽtiarũ. Et eadẽ est rõ de cęteris. Sed qđ nos dicimus, id tantũ est, qđ fiunt sine libero assensu & cõcursu nostro. Qm̃ sunt repẽtini motus p modum coruscationis præuolãtes, instar naturaliũ. Nisi iudicio & libera uoluntate foueant̃. Sunt ergo alia secundi generis opa, quę ita in nobis Deus exercet, si nos tñ assẽsum præbeamus. Qualia sunt omnia quę motũ quẽpiã liberũ animi nostri designãt. Hęc, p inde non prius tpe a Deo, q̃ libere a nobis, sed simul ab eo & a nobis fiunt. Ab eo tñ, prius natura. Veluti trahere ad se nos, aperire cor nostrũ, & ipsum qđ est, conuertere nos. Quocirca opa hæc ita in scriptura promittit nobis Deus, nosq; ab ipso sedulis precatiõibus efflagitamus, ut uicissim a nobis ẽt ipse requirat. Est. n. in euãgelio. Nemo põt ad me uenire, nisi pater meus traxerit eũ. Et in Cãticis. Trahe me post te. Et admonet nihilominus nos mutuo Deus, ut ad ipsũ ueniamus. Vt est illud. Venite ad me oẽs, qui laboratis & onerati estis. Et. Si quis uult post me uenire. Et his similia. Precat̃ ẽt Dauid, dicens. Domine labia mea apies. Et tamẽ in alio Psalmo ait Deus. Aperi os tuum, & implebo illud. Atqui cũ clamemus nos. Deus uirtutũ cõuerte nos. Reclamat & ipse. Cõuertimini ad me in toto corde uestro. Et Zacha. 1. Conuertimini ad me, et cõuertar ad uos. At ne ordo iste a nobis inchoãs, quẽpiam, ut Pelagianos fallat, meditanda est hic regula, & in memoriam recondenda, quod ubicunq; Deus nos admonet, ut ueniamus, cõuertamur, aperiamus, &c. promptitudinem misericordiæ suæ significat, qua præsentissimus nobis est ad ostiũ pulsans. Et ideo q̃uis prius dicat, conuertimini, q̃ dicat conuertar, non significat exordium a nobis esse: sed per nos stare, quo minus nos trahat, nostraq; aperiat corda. Ob idq; ait Hierem. Si conuerteris, conuertam te. Quando autem

Opa secũdi generis.

Ioan. 6.

Ioel. 2.

Adnotãda regula.

Hier. 15.

nos similia ab illo petimus, inopiam nostram, imbecillitatem, & impossibilitatem exprimimus: nimirū, qui nisi nos ipse præueniat, nihil per nos ipsi possumus. Et ideo subiungit idem Propheta ordine conuerso ca. 31. Conuerte me domine & conuertar. Et Threno. 5. Conuerte nos domine ad te, & conuertemur. Vnde Aug. deprecatur. Domine da qd iubes, & iube quod uis. Scientissime ergo, ut diuinitus datū est, S. Syno. Tri. ses. 6. cap. 5. citato ait, quod cum in sacris literis dicitur. Conuertimini ad me & conuertar ad uos, libertatis nostræ admonemur. Cum uero respondemus. Cōuerte nos dñe ad te, et conuertemur, Dei nos gratia præueniri confitemur. Atq; exhinc dilucida responsio elicitur ad authoritates secundo loco congestas. Enimuero ita omnes attestantur, Deum esse causam conuersionis, salutisq; nostræ, præmouendo nos, ut tamen nisi nos annuerimus, nihil fiet. Quod autem inter cætera insertum est de similitudine luti & figuli, ad æternam prædestinationem refert Paul. cuius nos nulla causa fuimus, neq; consensum dedimus. Nihilominus tamen adultum hominem, neminem prædestinauit conuertere, nisi lubentem & assentientem. ¶Sunt autem opera tertij gradus, quæ licet solius Dei sint munera, non tamen infunduntur, nisi in eo, qui eius ope dispositus est per propriū motū liberi arbitrij. Veluti sunt gratiæ & uirtutes, quæ per modum habitus consignātur nobis. Nunquàm hic sermo est de paruulis, absq; propria uoluntate baptismate ablutis. Hic ueruntamen scopulus est, in quem illi offendunt, qui exhinc illatum uolūt, fidem, & gratiam, quibus iustificamur, sine ulla prorsus assensione cooperationeue nostra in nobis recipi. Porro ex hoc quod gratia & fides a solo Deo fiāt. Latet tamen fallacia, quod quàmuis ita sit, ut assumitur, non tamen infunduntur adulto, nisi diuinitus disposito per motum liberi arbitrij. Quod si motus ille est sufficiens contritio, cōsequitur simul tempore necessitate diuinæ legis, gratia. Et ideo nemo eam inuitus, sed uoluntarius tunc, & in eodem sensu non mere passiue, sed consentiens recipit. Et pari modo cum confertur prima gratia per sacramentum attrito, datur libere suscipienti. Atqui per hæc responsum est ad authoritates tertij

Aug.

Syno. Triden.

Ad authoritates primi ordinis rñdetur.

Opa tertij generis.

Gratia & uirt. qūo sunt a Deo.

ordinis. Concedimus enim, quod Deus gratiam producit in nobis nihil agentibus ad productionem, sed tamen libere assentientibus & cooperantibus receptioni. ¶ Per hanc trimēbrem operū partitionem satisfieri interroganti potest, utrū æqualia Deus auxilia specialia cōferat uniuersis, an alijs maiora, alijs uero minora: quinimo maiora his, qui, uel nihil mouentur, uel minus promouentur. Etenim si de illis primi ordinis fiat interrogatio, utpote de inspirationibus & splendoribus ueritatis, quas Deus in nobis sine nobis libere assentiētibus repēte operatur, procul dubio maiora subsidia pro sua misericordia cōfert uni Deus quàm alijs. Adest enim omniū cordibus pulsans: impariter tamen. Quinimo sæpenumero qui cumulatiora huiusmodi dona recipiūt, uel nullo modo, uel segnius proficiunt, quàm qui exiliora: propter maiorem duriciem obstinati pectoris libertatem comprimentis. Id q̃d in illis seu flagellis seu allectamentis, atq; id genus uocationibus, quibus nos Deus in uiam forinsecus reuocat, euidentius est. Duorum enim eadem audientium consilia & exhortamenta, alter animo perculsus in uiam redit, alter uero minime. Quemadmodū uidere est in Pharaone & Nabuchodonosor: quorum primus maioribus portentis commonitus induruit: alter uero minoribus resipuit flagellis. De quibus cap. 18. redibit sermo. Huc pertinet, quod ait Christus Bethsaidæ & Corozain. Si in Tyro & Sidone factæ essent uirtutes quæ factæ sunt in uobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egissent. Et Scribis ac Pharisæis. Viri Niniuitæ surgent in iudicio cum generatione ista, & condemnabunt eam, quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Ionæ: & ecce plus, quàm Ionas hic. Si uero quæstio proponaẽ de auxilijs secundi ordinis, quæ liberam in nobis dicunt motionem: ut trahere, conuertere, promouere, & similia, inæqualia quidem largitur diuersis hominibus Deus, sed tamen quo sunt in aliquo auctiora, eo etiam magis meliusq; mouetur. Aliud profecto non est intelligibile. Quoniam mouere & moueri relatiua sunt. Neq; aliud est me Deum hoc modo mouere, quàm mecum cōcurrere ad alliciendum liberum actum. Ob idq; ueluti in naturalibus rebus, quo Deus celerius mouet

Ad authoritates tertij ordinis.

primum orbem, quàm infimum, celerius & ipse orbis mouetur, ita & in auxilio speciali, quanto Deus Magdalenam & Paulum uehemētius mouit quàm alios tepidos & remissos, impensius etiam ipsi ardentiusq; uenerūt, maioriq; & cumulatiori sunt gratia iustificati. Necq; cohærent, ut Deus eū magis moueat, qui minus mouetur. De gratijs autem gratis datis, quæ non semper in bonum recipientis, sed in commune bonum ecclesiæ dispensantur, diuersa ratio est. Dantur enim quibus & quomodo Deus sua sapientia iudicat expedire. Responsum ergo est ad sacra eloquia, quibus uideri cuipiam posset. ita in nobis Deus operari salutem, ut sine nostro id libero arbitrio fiat. ❡ At præter testimonia hæc supersunt argumenta duo dissoluenda. Primum sumitur a distinctione illa secundum Augustinum in lib. de gra. & libero arbitrio, cap. 17. theologis celeberrima, inter gratiam operantem & cooperantem. Ait enim Augusti. quod Deus quod operando incipit, cooperando perficit. Et paulo inferius. Vt ergo uelimus, sine nobis operatur, cum autē uolumus, & sic uolumus, ut faciamus, nobiscum cooperat̃. Ex qua distinctione consequens palā fit, Deum sine nobis cooperātibus se solo exordiri beneficium salutis nostræ. Ad hoc argumentum, quod in re theologa positum est, respondetur, quod nomen gratiæ operantis accipi primum potest de operibus illis diuinis primi generis: quæ sunt uocare, inspirare, pulsare, & cætera: quæ sine nobis fiunt. Nihilosecius quod menti Augustini propius accedit, congruit etiam in opera secundi generis: quando scilicet nos actu mouet ad agendum. Sed est adnotandum (quod magnus philosophus August. optime cognouit) uolūtatem aliter moueri, prima intentione ad finem, aliter ad eligendum media. Cum enim (ut ipse insinuat. 3 lib. de lib. arb. cap. 2.) alicui malo uoluntate inhæremus, non potest uoluntas illa mutari in bonum, nisi ab aliquo moueatur. Omne enim quod mouetur, ab alio mouet̃: uti est in physicis lib. 7. Et ideo motio illa non attribuit̃ uoluntati, etiam si consentienter & libere moueatur, sed motori. Cum autem iam habet intentionem finis, per ipsam se mouet ad electionem mediorum. Eadem est sententia S. Tho.

[Margin: Gratia operans et cooperans. — Aug. — S. Tho.]

12. q.

1.2.q.9.ar.3. Nam qui iam proposuit Deo inseruire, per illud propositum agit se, ut per commoda media potiatur optato fine. Propter hanc ergo theologiam auxilium gratiæ, quo a malo primum dimouemur, & in bonum conuertimur, nuncupauit Aug. gratiam operantem: auxilium uero, quo bonā iam habentes uoluntatem, operamur ad bonum, appellauit gratiam cooperantem. At neq; Aug. neq; suus assecla Thomas cogitabant (uti quosdam falso diuos istos interpretātes audiui) quod per gratiam operātem cogendo nos Deus moueat. Quinimo mouet libere. Hæc distinctio quoq; locū habet in gratia gratū faciēte, ut author est S. Tho. 1.2.q.cxi. ar. 2. Hæc enim respectu huius effectus, qui est sanare & iustificare, dareq; nobis esse gratos, dicitur gratia operans, sed qua parte est principium meritorie deinceps operādi, dicitur gratia cooperans. Hinc fit, ut distinctio hæc non sit ita prorsus intelligenda, ut gratia operās sit respectu omnis actus interni uoluntatis, atq; illius duntaxat: cooperans uero respectu externi operis, ut ex diuo Augustino & Thoma quispiā deceptus colligere posset. Si enim est gratia cooperans ad largiendam eleemosynā, cooperans etiam est ad uolendum largiri. Sed quod Aug. gratiā operantem, esse ait, dum uolumus bonū: cooperan[tem] uero, dū operamur, id penitus sentit, dū a malo primū mens nostra dimouet in bonū. Cum tñ postea exercemur in bonis operibus, siue internis, siue externis, gratia est cooperās. Et hoc est, quod S. Th. loco citato nobis suggessit: ubi dixit quod, quantū ad actum uolūtatis Deus per gratiā opantē nos mouet: præsertim cū uoluntas incipit bonū uelle, quæ prius malū uolebat. De gratia aūt præueniēte alia est ratio, ut illic habes apud eundē doctorem articulo subsequēti. Corol.

¶ Alterū deniq;, et ut postremū, ita maximū argumentū est, quod si nos simul cū Deo in hanc nostræ iustitiæ cām cōcurreremus, liceret ea quæ sibi ipse proprie adscribit in sacris eloquijs, nobis nosq̄ua forte arrogare. Vt sicut ipse ait. Sine me nihil potestis facere. Et. Nisi dñs custodierit domū, frustra uigilat qui costodit eā. Et. Nemo potest uenire ad me, nisi pater meus traxerit eum, ita nos pariter Deo uere responderemus. Sine nobis nihil potes in nobis facere. Et. Nisi nos uigilare- Præcipuum argumētū.

Augu. mus, frustra tu nos custodires. Et nisi nos ueniremus frustra traheres. Id quod uidetur absurdum. Ait enim Aug. lib. 2. de bono perseuerantiæ. Viuimus recte, si totū Deo demus: non illi ex parte, & nobis ex parte. Et in Enchir. cap. 32. acerbius perurgens hunc locum, ait, quod si propterea dictum est. Nō est uolentis, neq; currentis, sed Dei miserentis, quia ex utroq; fit, id est, ex uoluntate hominis & misericordia Dei, cur inquit, non & econtrario recte dicitur, non miserentis est Dei, sed uolentis est hominis? Quia id misericordia Dei sola non implet. Quod tamen ait, nullus christianus dicere auderet.

Respon sio. Ad hanc ueruntamen dubietatem respondentes, negamus, opera quæ Dei sunt in nostra iustificatione, licere eadem nobis ratione usurpare: diuersa tamen, nihil prohibet. Quod enim ait. Sine me nihil potestis facere, & alia id genus, quæ ad nostram iustificationem referuntur, non possumus nos tali modo dicere, uidelicet, quod sine nobis Deus non potest, quoniam ipse non solum est causa uolitionis nostræ, & operis boni, sed est causa ita præueniens, quæ facit, ut nos possimus ac uelimus. Vnde Ezech. 36. non ait: Cooperabor uobiscum, ut operemini, sed auferam, inquit, cor lapideum de carne uestra, & dabo uobis cor carneum. Et spiritum meum ponam in medio uestri, et faciam, ut in præceptis meis ambuletis, & iudicia mea custodiatis, & operemini. Itaq; ipse facit ut nos faciamus, dans nobis, uelle, et operari, ut ait Paul. Nos autem non mouemus ipsum, nec facimus, ut ipse faciat. Si autem hoc referatur ad assensum nostrum, qui secundum ordinariam, præscriptamq; legem necessarius est, nihil cunctamur dicere cum Augustino. Qui creauit nos sine nobis, non iustificabit nos sine nobis. Et secundum hāc intelligentiam, uerum etiam est, quod nisi nos uelimus, frustra nos custodit Deus, & trahere conatur. Sed ecce ubi latet punctum. Deus dat nobis uelle: ergo ipse efficit in nobis assensum ipsum, per quem aperit corda nostra: atq; a Deo nos nihil facimus. Negamus hanc postremam consequentiam. Ita enim efficit ipse nostrum assensum, si nos tamen simul libere concurramus. Quare per eundem assensum, & nos illi aperimus, & ipse aperit. Vnde nostrum concurrere, est permittere:

nos ab ipso moueri:coagendo illi,qui iugiter ad ostium pulsat. Et hoc est quod ait. Qui audit & didicit, uenit ad me. Quod autem citatum est ex Augustino in de bono perseuerantiæ,& in Enchiridio,puta,quod non est partim attribuẽdum nobis,partim Deo,sed totũ Deo,illud obijcit Pelagianis,qui dicebant initium salutis nostræ esse a nobis,saltem fidem. Aug. autem contendebat (uti res habet)quod uoluntas a Deo præparatur omnino,& ideo non esse uolẽtis,neq; currentis. Quoniam utmodo in proxima responsione dicebamus,actio illa tota tribuitur Deo. Ob idq;, & si assensus noster sit necessarius:nullam tamẽ debemus nobis tribuere partem:sed Deo totum:qui dat nobis cogitare, uelle, & perficere. Multa hic attigimus,quæ sunt lib.2.rursus exigenda inter explicandam gratiam iustificationis,sed plurima sunt etiam illic ex hoc loco petenda:adeo sunt & hic & ille locus complexi. Perstringere autem hæc duximus paulo urgentius. Idcirco quod Lutherani hoc inter alia intentant argumentum,ut conficiant,nulla opera nostra esse meritoria. Porro quod nõ sint nobis libera, & ideo neq; nostra, sed quæ Deus a se solo operatur in nobis.

De libero arbitrio in malum. cap.17.

Membrum alterũ,quod de humana uoluntate disserendum superest, spectat ad libertatem eius in malum. Etenim,ut supra narrare cœpimus, in utrãq; partem Lutherani inficiantur libertatem, & in bonum scilicet,et in malum. In his uel maxime peccatis, quæ sunt pœna præcedentis culpę. Ita enim retulimus ex Luthero,quod non est in potestate nostra malas uias facere, sed mala opa in impijs Deus opatur. Cui subscribit Philippus. Asserens,quod sit Dei proprium opus,non minus proditio Iudæ,quàm uocatio Pauli. Et consentit Bucerus super epistolam ad Romanos,ubi ait Paul. quod tradidit Deus gentes in reprobum sensum. Tametsi Melanthon in.2.editione se appareat retractasse. Hoc enim secundum membrum longe plurimum absurditatis accumulat superiori: dum nõ solum subuertit liberum arbitrium,sed Deo tribuit,ut sit causa peccati,principaliter,& effectiue,ut dicunt,cogendo nos ad pec

candũ. ¶ Pleraq; omnia istorum dogmata eiusmodi sunt, ut prima sui statim prolatiõe apertius cum communi sensu depugnent, q̃ ut alia opus habeant impugnatione. Cui nanq; fiat persuasibile, ut quempiam Deus compellat contra suam ipsius legem agere? Quinimo contra suã ipsiusmet uoluntatem. Nã lex Dei non est aliud, q̃ signum et norma suæ uoluntatis. At uero si expandere amplius, proferreq; lubet disputatione, prima eadẽq; luculentissima demõstratio aduersus commentum hoc ex natura peccati desumitur, quod est dictũ, uel factum, uel concupitum (ut author est contra Faustum li. 22. Aug.) contra legẽ Dei. Lex aũt Dei, quæ regula est nostrarũ actionũ, idem re est, quod sua uolũtas. Si quidẽ intellectus & uolũtas, eadẽ essentia sunt in Deo. Quare impossibile est, esse aliquid contra legẽ Dei, quin sit cõtra eius uoluntatẽ. Quinimo propterea est contra diuinã uolũtatem, quia contra eius regulam. Ex his construitur hoc argumentum. Deus mouet hunc ad peccandum, quin etiã compellit effectiue, ut aiunt, ergo mouet eum ut faciat contra regulam suam, & perinde contra suã uolũtatem. Quod autem Deus moueat quempiã contra suã uoluntatem, repugnantia est manifesta. Nã si mouet & compellit, uult ita fieri. Quin accipe repugnantiam alteram. Si Deus uult me hoc facere (quod negare non potest, qui dicit me ab illo compelli) hoc est cõforme regulæ suæ (nihil enim uult Deus, quod non sit conforme suæ regulæ) si autem ita est, non est peccatum. Nam peccatum est contra regulam Dei. Et confirmatur etiamnum argumentum. Propterea Deus errare non potest, neq; peccare, quia peccare est a regula deficere: quod non potest omnipotens, cum sit ipse sua regula. Veluti si manus scribentis esset regula, & manus pictoris esset ipsa rectitudo, quacunq; lineam duceret, scriberet, & pingeret recte. Ergo eadem ratione quemcunq; Deus mouet efficienter & principaliter, eundem ducit iuxta regulam & legem suam. Et idcirco contradictio est, quempiã peccare in eo, quod a Deo actus agit. Potest etiam deduci aliter argumentum. Deus (uti Dio. 2. cap. de diui nomi. ait) omnia in se ordinat, quæ facit, tanquàm in finem: peccatum uero dũ fit, exorbitat ex ordine illo: ergo tunc non fit ab eo, licet inde

Primum argumẽtum.

Peccatũ.

Cur Deus peccare nequit.

Alia cõfirmatio

poſt ipſe eliceat bonum. Reuera niſi adeo conſulto uoluiſſent theologiam ignorare, quæ ex rerum naturis ratiocinatur, nunquàm in hæc præcipitia fuiſſent collapſi. Intelligerẽt enim tanta oppoſitione diſtare inter id quod Deus facit, ſiue per ſe, ſiue per alium, & peccatum, quanta inter bonũ & malum, & inter dilectum Deo, & odio ipſi habitum. Vt enim quicquid Deus creauit in rebus naturalibus, uidit quod eſſet bonum, quia conſentaneum regulæ ſuę, ita quicquid facit in humanis uoluntatibus. Vnde cum Sapiens cap.xi. ita pronũciaſſet. Diligis omnia quæ ſunt, & nihil odiſti eorum quæ feciſti: neq; enim odiens, aliquid conſtituiſti aut feciſti, poſtmodum cap.14. ſubdit, quod ſimiliter ſunt odio Deo impius & impietas eius, ſignificans, ideo peccatum eſſe odio Deo, quia non eſt opus ſuum. ¶ Secundum argumentum ſumitur ex altera qualitate peccati. Etenim ut uirtutis, ita & peccati neceſſaria conditio eſt, ut ſit uoluntarium. De quo cap.12. partim dictum eſt. Atq; hoc eouſq; uerum eſt, ut nemo unquàm S. Patrum non hanc iudicauerit eſſe uocem naturæ. Vnde antiquiſſimus Tertullianus aduerſus Martionem lib.2. Nec boni, inquit, nec mali merces iure penſaretur ei, qui aut bonus, aut malus neceſſitate fuiſſet inuentus, non uoluntate. In hoc & lex conſtituta eſt, non excludens, ſed probans libertatem de obſequio ſponte præſtando, uel tranſgreſſione ſponte committenda. Ita in utrunq; exitum libertas patuit arbitrij. Et in libro de Iacob, & uita beata cap.3. Ambroſius ſic habet. Non eſt quod cuiquàm noſtram aſcribamus culpam, niſi noſtræ uoluntati. Nemo tenetur ad culpam, niſi uoluntate propria deflexerit. Non habent crimen quæ inferuntur reluctantibus. Et Auguſt. aduerſus Fortunatum diſputatione ſecunda. Ego inquit, dico peccatum non eſſe, niſi propria uoluntate peccetur. Adeo ut in libro de duabus animabus peccatum definierit, quod ſit uoluntas retinendi uel conſequendi, quod iuſtitia uetat, & unde liberum eſt abſtinere. Et de uera religione cap.14. ubi de hoc proprie diſputat, ita concludit. Nunc uſq; adeo peccatum uolũtarium malum eſt, ut nullo modo ſit peccatum, ſi non ſit uoluntariũ. Et hoc quidem ita manifeſtũ eſt, ut nulla huic doctorum pauci-

Sapientiæ.xi.

Secũdũ argumẽtum.

Tertul.

Ambro.

Auguſt.

tas nulla indoctorum turba dissentiat. Quare aut negãdum est peccatum committi, aut fatendum est, uoluntate committi. Vide quàm censeat Aug. sibi esse inuicem contradicentia, peccatum esse ullum, & tamen non uoluntarium. Et ne quis illa peccata exciperet, quæ sunt pœna peccati, huius etiã ansam adimit lib. 1. retrac. cap. 15. dicens, quod quàmuis concupiscentia in nobis sit pœna peccati, nihilominus hoc peccatũ quo consentitur concupiscentiæ, non nisi uoluntate committitur. Sed aiunt, quod quàmuis omne peccatum uoluntate committatur, non tamen omne fit libere. Ecquid autem est uoluntate, nisi libere, & non ex coactione? Nomẽ enim ignorat, qui ait, fieri posse aliquid uoluntate, sub propria ratione uoluntatis, & tamen in hoc eundem ipsum cogi. Vnde continuo eodem loco Aug. ubi ait. Non enim nisi uoluntate peccatur, subdit. Voluntas autem est animi motus, cogente nullo, ad aliquid uel non admittendum, uel adipiscendum. Hæc Aug. Cum ergo tam sit per se notum, non esse peccatum nisi uoluntarium, consequens fit manifeste, Deum necessitatem inferre nemini ad peccãdum. Alias non erit peccatum.

Lutheranorũ euasio.

¶ Sed tertium adhuc urgentissimum est argumentum. Nam quod quis a Dæmone uel hoste homine cogeretur ad peccãdum, esset quidem nihil peius, quàm cõtra naturam peccati. Quod autem a Deo sit huiusmodi coactio, ob nouam causam, uerã auersaretur rationem peccati. Nam si peccatum non est, nisi quod fit contra obediẽtiam Dei, quem Deus constringit, ut quidpiam faciat, quo modo facto suo peccauerit? At perspice quod sibi isti perfugium muniuere, ubi se huiusmodi rationibus obrutos sentiunt. Aiunt (ut est uidere apud Bucerum loco citato super Paulum) præstare in hac quæstione rationi prorsus uale dicere, & uerbis Domini simpliciter inhærere, ubi legimus. Tradidit illos Deus in desideria, & in reprobum sensum. Nam de hoc, inquit, ait Paul. tu quis es o homo, ut respondeas Deo. Et O altitudo diuitiarum & cætera. Quoniã inter homines, inquit Bucerus, nemo peccat in eo quod uitare non potest, ideo horret animus Deo tribuere, ut cogat hominem peccare. Sed alia est, inquit, ratio inter homines, alia uero inter nos & Deum. Quid Bucere non exhor-

Tertiũ argumẽtum.

Lutheranorũ cõmentũ.

Contra Bucerũ.

rescat animus, Deo impingere, quod est absurdissimum inter homines concedere? Audi Augustinum, cõtra monitionem tuã ab homine ad Deum hoc loco arguentẽ, lib. 83. q. q. 3. Deo authore, aut uolente nemo fit deterior: quia nullo homine probo uolẽte, fit alius deterior. Cui ego addiderim, multo esse argumen tum de Deo ualidius. Nanq; si quod coactu humano quis admittit, peccatum non est, ea ratione, quia nõ est uolũtarium, longe minus peccabit, qui a Deo cogitur, cũ non solũ nihil sit inibi libertatis, sed id fiat ex impulsu Dei, cõtra quem solum peccatur. Vel respondeas precor, si facere id quod Deus præcipit, uel consulit, uel admonet, tam longe est a peccato, ut sit etiam obediẽtiæ opus, propterea quod Deus est causa, ut fiat, ubi nos Deus non solum iubet aut instigat, uerum efficaci (ut dicitis) impulsu, in nostra nos tradit desideria, quibus non possimus resistere, quenã ratio ibi inobedientiæ subesse potest? aut reuera culpæ? Paulus equidem secretissima iudicia Dei dicebat nobis esse inaccessa, nempe quod unum prædestinauerit, & dilexerit, alterum uero odio habuerit. Tamen quod peccatum sit illud penitus, quod est cõtra legem Dei, & quod libertate peccetur, id & lumine naturali & fidei aperte mõstrauit nobis Deus. Ex quo palam colligitur, neminẽ coactu peccare, impendioq; minus a Deo quempiam in peccatum adigi. ¶ At uero, ut quartum prætera argumentum aduersus errorem hunc uestrum intendamus. Nunquid non Deus nobis reuelauit, quod non sit ipse tentator ad malum? quid ergo uos ipsum non tentatorẽ tantum, sed authorem etiam mali prædicatis. Ecce quid Iaco. de hac re testatur. Nemo cum tentatur dicat, quoniã a Deo tentatur. Deus enim intentator malorum est: ipse autem neminem tentat. Vnusquisq; uero tentatur, a concupiscentia sua abstractus & illectus. Deinde cõcupiscentia cum cõceperit, parit peccatum, peccatum uero cũ consummatum fuerit, generat mortẽ. Ecce, inquàm, Apostolus, in causis peccati non Deum, at prorsus concupiscentiam & consensionem uoluntatis commemorat. Sed aiũt isti, neq; nos commemoramus, imo uero dicimus hominem propria uoluntate esse causam, quàmuis cogatur a Deo. Attamen nihil ad uerba Iacobi re-

Quartũ argumẽtum.

Iaco. 1.

Luthera norũ cauillus,

ſpondent. Cauit enim nobis errorem illum, ne mentiremur, Deum eſſe tentatorem in malum, quia inde palam fieret cōſequens Deum eſſe authorem peccati: ergo cum plus ſit cogere, quàm tentare, qui dicunt, Deum nos efficaciter cogere ad peccatum, quo rogo defugiant, ut non eum neceſſario faciāt authorem peccati? Enimuero Aug. quem ſibi iſti in hac cauſa ſuffragari autumant libr. 83. q. ex uerbis Iacobi elicit irrefragabilem illam ſententiam, in quā ſcholæ omnes theologorum ſubſcribunt, quod Deo authore aut uolente nemo ſit deterior. Et expreſſe de pecca. meri. lib. 2. cap. 5. Ad peccandum (inquit) nō adiuuamur a Deo, ſed ut iuſta omni ex parte agamus. Iſti tamen dicunt, quod non ſolum uolente & iuuante Deo, ſed cogente, deteriores efficimur. Atqui lib. de libe. arbi. cap. 2. ait, quæſtione hac, ſcilicet de cauſa, unde male facimus, ſe olim fuiſſe uehementer exercitum, & fatigatum, atq; adeo in Manichæos impulſum & coniectum, ut crederet unum eſſe primum principium, quod nos compelleret ad malum, quoaduſq; lux illi effulſit cælitus, qua cognouit uniuerſa noſtra peccata, in noſtras ipſorum proprias uoluntates eſſe prorſus referenda. Neq; uero neſcio, quàm iſti differant a Manichæis. Nam quod illi tribuebant falſo Deo, ſcilicet, cauſam eſſe peccati, iſti adſcribunt, uero. ¶ Tandem (ut iſtorum mentem quinto argumento perpendamus) aiunt uel propter peccatum Adæ, uel propter alia cumulatiora noſtra, ita nos a Deo ipſo cupiditatibus noſtris eſſe addictos, et in reprobum ſenſum, & in deſideria noſtra traditos, ut non poſſimus errores euitare, & cupiditatibus obſiſtere. Quod ſi intelligerēt, hoc nos nequire abſq; auxilio Dei & fauore, qui tamen præſto nobis eſt, ac præſentiſſimus, nihil aliud profiterentur quàm ueritatem catholicam. Sed quia ſentiunt, ita nos eſſe numine deſertos, ut neceſſitate ſuccumbamus erroribus & prauis affectibus, hoc eſt, quod nos perſiſtimus ſacris eloquijs expugnare. Nā niſi in noſtra poſitum eſſet ſemper uoluntate cum promptiſſimo auxilio Dei euitare ſingula mala, quid eſt, quod nos cōmonefacit Paul. ne regnet peccatum in noſtro mortali corpore, ut obediamus concupiſcētijs eius, ſed neq; exhibeamus membra noſtra arma iniqui-

Aug.

Vnde Aug. defecerit ad Manichæos.

Diſcernículū inter Luthera. & Manich.

Quintū argumētum.

tatis peccato. Et ne sim omnia percensendo molestissimus, quid libros tres edidit Aug. de libero arbitrio, quibus ostēderet, nec Deum, nec dæmonē, nec ullā prorsus causam nos cogere ad malum, sed unūquemlibet per propriā uoluntatem eē authorē sui malefacti? Ob idq; bona omnia Deo esse adscribenda: mala autem culpæ, soli nostræ uoluntati: iuxta illud Oseæ. Perditio, tua Israel, tantum in me auxilium tuum. De quo ferme præterea argumēto scripsit librum de gratia & libero arbitrio, ubi nos edoctos cōmonitosq; fecit, ueritatem eādem omnibus receptissimā, quod sola scilicet propria uoluntate peccemus. Alias frustra esset tā numerosus præceptionum ordo, ne homicidiū, aut furtum faceremus, ne seruiremus cōcupiscentijs. Et, Noli uinci a malo. Et, Nolite fieri, sicut equus & mulus. Et, Noli deficere a disciplina domini. Et, Noli negligere legem. Et quibus hoc genus q̄plurimis est sacra pagina refertissima. In fine tādem Lutheranos istos cū sanctis Apostolis conferamus. Ait Iaco. neminem a Deo tentari. Addit Paul. neq; permittere nos fidelem Deū tentari supra uires nostras. Obganniunt nihilominus Lutherani, a Deo nos in peccatum cogi. Sanctissimus ergo est canon. 6. nostri sancti concilij Tridentini sess. 6. Si quis dixerit nō esse in potestate hominis uias suas malas facere, sed q̄d mala opera, ita ut bona, Deus operatur, nō permissiue solum, sed etiā proprie & per se: adeo ut sit eius proprium opus, non minus proditio Iudæ, quàm uocatio Pauli, anathema sit.

Sola uoluntate peccat̄.

Scripturæ testimonia.

Collatio Lutheranoꝝ cū apl'is.

Synod. Triden.

De aduersariorum argumentis dissoluendis. cap. 18.

CErnere autem operæpretium est istoꝝ lubrica, uidelicet, cū scripturas, tum argutias, quibus in hāc foueā coniecti sunt. Primum est eis hoc usurpatissimum argumentū, quo Bucc. etiā loco citato super Paulū utit̄. Ex hoc, inquiunt, q̄d Deus non sit efficax nostræ indurationis causa, nostriq; traditiōis in desideria mala, consequit̄, Deū non esse Deum: hoc est, rerum omniū primā & totam cām. Sua sunt ipsorum uerba. Perspice pie lector, ut nouā semp accessionē faciunt ad suum errorē. Non satis hn̄t asserere, Deū nos cogere ad malū, nisi adijciant, q̄d ipse est tota causa mali. Nā dicunt, non solum esse primā, sed & totam cām omnium quæ sunt in rebus. Hac rōne conuulsam fundi

Primū argumētū aduersarioꝝ.

tus uolunt e mentibus hominū philosophiā oēm naturalem ac diuinam. Quòd enim solus Deus omnia ex nihilo creauerit, nullus ē inter christianos, qui inficias eat. Sed et qd' nulla nunc causarū efficere quicq̃ possit, sine nutu & influxu Dei, non modo christiani in confesso habemus, sed & philosophi naturales edocent. Quod aūt (uti isti philosophantur) Deus ita sit tota causa rerum, ut causæ secundæ nihil agant, hoc ut scripturæ sacræ contradicit, ita & ordinē tollit uniuersi. Omnes enim causæ suo quæq; ordine simul coeunt in eundē effectum. Deus scilicet, uti altissima: cęlū, ut suo modo uniuersalis, & tandem gradu suo particulares. Nanq; sol & homo generāt hominē. Habetur enim Gene. 1. Germinet terra herbā uirentē, & facientē semen, et lignū pomiferum faciens fructū iuxta genus suū. Cuius semen in semetipso sit super terrā. Ecce terra germinat. & arbores fructificāt, semen habentes perpetuum in semetipsis. Quare lib. 3. de trin. Aug. Sic Deus inquit, res quas condidit, administrat, ut eas suos motus agere sinat. Et lib. 9. de Genesi ad literam, cap. 17. Ratiões & uirtutes agendi non tantum in Deo sunt, sed ab illo ēt rebus creatis inditæ sunt & concretæ. Memini me sup secundū librum Physicorum. q. 4. permultis egisse aduersus insanā hanc opinionē, quòd causæ secundæ nihil agāt, sed per se solus Deus ad præsentiam ipsarum. Si. n. in suis singulæ naturis non haberent, ut diuersam hanc uarietatem effectuum agerent, quā experimur in orbe, cur magis ad præsentiam solis Deus illuminaret, quàm ad præsentiam alius rei cuiuslibet? Et ad pręsentiam aquæ gigneret frigus, quàm præsente igne. Quin uero, nisi Deus res uniuersas propter sua cuiusq; officia & opera condidisset, frustra tam numerosam creasset rerum molē. Nanq; si ipse solus præsente sole, lumina ederet, tantundem faceret absente. Et præterea quid commixtiōe sexuum opus esset generādis animalibus? quid mēbrorū tam cōsona diuersitate, nutriēdis? quid deniq; oculis ad uidendū, & ad audiendum auribus, si Deus solus ita hæc pficit, ut creaturæ nihil faciāt? Quod si res naturales reuera sunt cāę suorū operū et munerū, cur nō ēt sit suorū, uoluntas? Quàmuis ut nihil facit sine generali auxilio Dei, ita neq; opus faciat gratiæ, absq; speciali. Porro aūt si Deus nō est ita cā bonorū operū, multo minus

Gene. 1.

Aug.

eſt tota, malorũ. Quin uero nulla eſt, præterq̃ permittens, uti iam iã pgimus cõmonſtrare. ¶ Nã unde nos iſti uehemẽtius oppugnant, ſunt teſtimonia ſacra. Legimus enim ad Rom. 1. quod tradidit Deus gentes in deſideria cordis eorum, et in reprobum ſenſum. Eſa. 6. Excæca domine cor populi huius, & aures eorum aggraua. Et ad Roma. 9. Cuius uult miſeretur, et quem uult indurat. Et Exo. 10. Indurauit dominus cor Pharaonis. Et Matth. 6. Ne nos inducas in tentationem: tradere autem, excęcare, aggrauare, indurare, & inducere quandam deſignant neceſſitatem. Quippe quod Deus immiſerit tenebras in corda populi, addixeritq; gentes ſuis cupiditatibus, a quibus uincerentur, & ſuggeſſerit Pharaoni malignitatem in cor. Vnde Amos. 3. Si erit malũ in ciuitate quod Deus non fecerit. Patres omnes ſancti in enarratione Pauli, uerbum, tradidit, interpretantur, permiſit. Et in locis cæteris Deum dicunt per ſe & directe neminẽ inducere ad malum. Eſt enim regula Fulgẽtij, theologis celeberrima, quod Deus nõ eſt author eius, cuius eſt ultor. Ex quo fit, ut ideo Deus dicatur excæcare corda, quod ſubtrahit lumen gratiæ: & indurare, qđ ſubducit auxiliũ, ſine quo homo non põt cor in bonũ emollire. Hoc interpretamẽtũ iſti noſtri Luthecani uanũ exiſtimãt, & eluſorium. Qm̃ uerbum, inquiunt, permittere, non eſt mitius aut mollius, q̃ facere. Nã cum Deus certo ſcit nos nõ poſſe abſq; eius lumine & fauore cupiditates noſtras ſuperare, & peccata cauere, fit, ut dũ has nobis ſuppetias non mittit, ueriſſime ſit cauſa peccati noſtri. Vnde adhuc conſequit̃, ait Buce. omne peccatum præcipue a Deo eſſe. Et ideo nõ eſt, cur timeamus affirmare, quod ipſe directe cõpellendo indurat, & immittendo efficacẽ errorem, excæcat & ſeducit. Vide q̃ palam fatent̃ omne peccatũ a Deo eſſe: quod aures expaueſcũt. Quid ergo rñdeamus? Vere, falſiſſimũ eẽ, quod aiũt, nihil diſtare inter pmittere & facere. Vbi hoc cõſyderate animaduertendũ eſt, quod Deum auxilia ſubducere bifariam cogitare poſſumus. Vno modo, quod in pœnã præcedentis peccati, ita Deus deſtituat hominẽ fauore ſuo & ſubſidio, ut ſtatuerit, quaſi prolata ſententia, nunq̃ ei amplius ſuccurrere, ſed fixum apud ſe habeat, & firmum, illum ppetuo deſerere: ita ut p Deũ ipſum fiat, ut non ille & a præterita cul

[Margin notes: Secũdũ argumẽtum. — Tradere, excæcare, indurare, &c. — Amos. 3 — Fulgen. — Buce. — Permittere.]

pa emergat, & noua uitet crimina. Veluti contraria rõne dñ sanctissimã uirginem & apostolos confirmauit in gratia, statuit nunquàm eos sinere, ut caderent. Alio modo permittere idẽ pollet, quod sinere quẽq; libere agere secundum propriã uoluntatem, ita tñ, ut semper sit Deus paratissimus manum porrigere, nisi p hominẽ steterit. Primo modo certo certior sum: quin uero & certissimos credo semper fuisse sanctos doctores, qui modo fuerint hoc nomine digni, neminem unquàm a Deo fuisse derelictũ, suisq; cupiditatibus pmissum in hac mortali uita, sed praecise secũdo modo. Permittere enim, primo modo, fateor tãtũdem ferme pollere, acsi Deus nos directe subigeret prauis nostris cupidinibus, adigeretq; ad malum. Sed absit ut in animũ christianus inducat, ita de illo sentire. Enimuero si Deus ita quẽpiã auxilio destitueret, cui statuisset nunquàm opitulari, qũo uerum esset, quod Deus uult oẽs homines saluos fieri? Nã & si Aug. de uoluntate id beneplaciti (quã uocant) & consequẽte alicubi intellexerit, ideoq; distributionẽ constrinxerit ad genera tãtum, id est, quod ex singulis ordinibus, & statibus aliquos uult saluos fieri: uel taliter, ut quotquot salui fiunt, uoluntate Dei seruent, tñ est ninihilominus authoritas haec uerissima in uniuersum de singulis hominibus, si de uoluntate antecedẽte intelligatur: uti ferme sancti doctores consonãtissimo ẽt sensu interpretanẽ. Vult enim ita in uniuersum oẽs & singulos fieri saluos, ut quẽadmodum leges omnibus, consilia, & exempla abunde dederit, ita sit omnibus praesentissimus ad ostiũ pulsans, ut a se nihil omnino desit officij, quin pditissimo etiã cuiq; opem ferat, nisi per se homo ipse abnuerit. Et hunc intellectum praesefert Paul. admonẽs Timotheum, pro omnibus & singulis ut oraret, quia Deus uult, &c. Alias non esset communis sol de se illuminãs omnem hominẽ uenientem in hunc mundũ, qui modo animum non occluserit. Neq; uerũ in uniuersum haberent de omnibus hominibus, uoces illae euãgelicae. Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, et ego reficiã uos. Et, Poenitentiã agite. Et, Cõuertimini ad me in toto corde uestro. Et, Deus nõ uult mortem peccatoris, sed ut magis conuertatur &c. Et, Ego ad ostium sum & pulso. Et, ne, quae absq; numero sunt, per omnia discurramus, qũo esset uerum,

Primo modo nemo derelictus.

Deus uult oẽs homines sal. fieri.

Scripturae testimonia.

Impietas impij non nocebit ei, in quacunq; die cõuersus fuerit ab impietate sua. Ezech.33. Et ut Aug. & sancti citant. In quacunq; hora ingemuerit peccator, iniquitatum eius amplius non recordabor. Quo maxime uerbo nihil significantius Deus exprimit, quàm quod sit semper (ut Chryso. habet in quadã homilia) parturiens misericordiã suam, & quasi doloribus ingemiscens, q̃d non amplissimos sinus adparamus, in quos benigne uberrimos fructus pariat. Atqui quonã pacto fuerit credibile, eum qui sic dilexit mũdum, ut filiũ suum unigenitum daret. ut omnis qui credit in eum non pereat, ita propter aliquam culpã uiscera suæ misericordiæ homini obserare, ut fixum habeat, nunquàm eadẽ tali misero expandere. Reuera lõge aliter Petrum uicarium suum instituit Christus, ubi roganti, an septies in die errata lapsis cõdonaret, respondit, Non tantum septies, sed septuagies septies. Et cõfirmatur. Si ita de Deo fas esset opinari, liceret homini scelestissimo ambigere, taliter ne esset a Deo in perpetuũ derelictus. Quapropter neq; esset, cur tãtopere reprehẽderet, aut desperatio Iudæ, aut blasphemia illa Cain. Maior ẽ iniquitas mea, q̃ ut ueniã merear. Iam uero cũ hõ nõ plus ualeat a culpa sine speciali fauore & ope Dei exurgere, q̃ sine pedibus ambulare, aut sine oculis uel lumine uidere, non intelligo cur culpę magis daretur peccatori illi, ita adeo excæcato aut destituto, non resipiscere, quàm cæco, non uidere: aut compedito, non ambulare. Licet esset pœna commissæ culpę. Hoc quippe ab illis qui in infernũ detrusi sunt, distamus in hac uita, q̃d dum uiuimus, uiatores sumus. ratio autem uię, hæc est, ut nemo sit ita firmatus in gratia, cui (pręter priuilegiũ) nõ immineat periculũ decidendi, neq; sit ullus a Deo ita lõge abalienatus, cui non sit paratissimus suppetias ire, nisi culpa sua gratiã respuerit. Alioqui intelligibile non est, q̃uo id quod homo ille derelictus faceret, esset peccatum, noua pœna dignum. Lex enim inferni est, ut sint prorsus neq; illi a Deo deserti & abiecti, ob idq; irreparabili obstinatione in perenni odio Dei persistãt. Sed quia ita sunt destituti, ut non habeant mutãdæ mentis possibilitatem, non cõmerentur odio illo noua supplicia. At uero in hac nostræ peregrinationis & militiæ uita haud secus cõtemplari Deum condecet, quàm ueluti patentissimũ

Chryso. Ioan.3. Matth.18 Inferni lex.

solem fores cordium uniuersaliter omnium irradiantem, & spiritum iugiter adspirantẽ, &, quo se insinuet, aperire gestiẽtem. Nos autẽ sumus, qui ferream molem prauitatis nostræ obijcimus. Et ideo, ut ipse est, qui nostræ nos libertati pmittit, ita nos quoq; sumus, qui nõ ipsum intrare pmittimus. Nã cum assensus noster, effectus ẽt sit ipsius, ut ca. 16. dicebamus; nõ aliter ipse apit, q̃ si nos ad eundẽ assensum coopantes coaperiamus. Quo ergo ad rẽ cum Lutheranis reuertamur, negamus nihil distare inter illud, quod est Deum quicquàm pmittere, & hoc, qđ est, intenta actiõe facere. Hoc. n. dicit ueiã & propriam cãm: quæ respectu peccati, Deus esse nõ potest. Permittere autem, est sinere & pati unumquenq; agere ut libitum est animo suo. Neq; uero eodem istud recidit, acsi faceret. Quoniam Deus tanquàm author naturæ, liberum hominẽ libere agere pmittit. Ob idq; ita statuit nostrã salutẽ operari, ut in nostro collocaret arbitrio, si suo uti uelimus beneficio. Et ideo quod nos cõuertat, sua est gratia: qđ uero perditum nos ire sinat, in causa & culpa est uoluntas nostra. ¶ Qđ si nos isti pressius obtundere pgãt: urgẽtes uocibus, tradere, indurare, & reliqua, quæ aliud latine significãt, quàm pmittere: Deus autẽ non dicitur nos tãtum pmittere in desideria nostra, & in duritiam cordis, sed uere tradere, & indurare, & inducere in tẽtationem, respondet̃ secundum S. Thomã. 1. 2. q. 79. quod cum Deus sit lux uera, illuminans oẽm hominẽ uenientem in hunc mundum, ueluti planeta solis, uniuersalis est perenniśq; fons corporei luminis, differt tamẽ, quod sol lucet necessitate naturæ, Deus autem ratione & iudicio. Ob idq; ubi aula, occlusa fenestra, priuatur lumine, eiusmodi tenebrarum, sol nullo modo est causa, sed obex clausuræ fenestræ. Cum autem Deus, seu lumen cognitionis, seu fauorem gratiæ subtrahit, licet causa directa sit, conuersio hominis ad malum, qua Deum a se auertit, tamen quia Deus prudens & sciẽs permittit hominem arbitrio suo, subtractio illa gratiæ, qua mens illuminatur ad recte uidendum, & cor emollitur ad recte uiuendum, dicitur excæcatio, & obduratio, & aggrauatio. Quæ quidem distinguuntur comparatione ad effectus gratiæ. Sunt enim organa duo & sensus ad comparandam scientiam; nempe uisus, inseruiens inuentio-

Rñdet̃ Lutheranis.

Induratio.

S. Tho.

Duo sensus scientiæ.

& auditus, disciplinæ. Excæcare, refertur ad primum: aggrauare, ad alterum: atq; indurare, ad affectum. Veruntamen subdiderim, neq; abs re forte, quod latius pateat permittere, quàm alia. Vt omnis induratio sit permissio, non tamen conuertantur. Permittitur enim homo cadere in primũ peccatum, at non ita proprie dicitur indurari, aut excæcari, aut aggrauari, quoadusq; longa cathena malorum in profundum pertraxerit miserum. Tũc enim & cæcus & surdus, & lapis utiq; fit, ad auxilia diuina. Vnde Paul. ubi Roma. 1. retulit priscos illos gentium commutasse gloriam Dei, cum similitudine uolucrum, & serpentum, quia prima erat impietas, non dixit eos tunc trahi: tametsi permissi id cõmiserunt: Sed cum deinceps carnalibus se desiderijs per abrupta flagitiorum decliues præcipitabant, tunc significanter ait, eos traditos esse in desideria cordis ipsorum: id est, cordis, quod nõ Deus abs se, at illi prius ab ipso alienum fecerãt. ¶ Tertium istoru m argumentũ est, quod Aug. aduersus Iulianum lib. 5. & in de gratia & libero arbitrio, cap. 20. & expressius. 21. inter explicandum quomodo peccatum subsequens, in pœnam præcedentis quandoq; permittatur, testimonijs compluribus sacræ paginæ asseuerare perseuerat, quod Deus aliquando inclinet homines ad malum. Inter quæ commemorat illud Pauli, Tradidit eos Deus in desideria cordis eorum. Quibus percensitis circa finem eiusdem cap. 21. duriuscula concludit hæc uerba. His & talibus testimonijs diuinorum eloquiorum satis, quantum existimo, manifestatur, operari Deum in cordibus hominũ ad inclinandas eorũ uoluntates quocunq; uoluerit, siue ad bona pro sua misericordia, siue ad mala pro meritis eorum: iudicio utiq; suo aliquando aperto, aliquando occulto, semper autem iusto. Ad hoc autẽ ut respondeamus, consydera primum oculate lector, quàm sit asperius uerbum illorum, q̃ hoc augustini. Quod.n. hic dixit, Deus inclinat, illi aiunt, Deus cogit. Sed præterea ex diuersa natura boni, & mali, nisi essent cæci, diuersam esse rõnem in Deo inclinandi ad bonum, & inclinandi ad malum, facile fuissent uenati. Cũ enim bona uniuersa in Deũ ipsum, qui summa bonitas est, suapte natura referantur, inclinatio Dei ad bonum, intentionẽ eius, numenq; designat, ut id ip-

Differt inter pmittere, & obdurare.

Ad. 3. argumẽtũ.

Aug.

Rñsio.

ſum fiat. At cùm malum culpæ, deuiatio quædã ſit liberi arbitrij noſtri a lege Dei, ſecundum inclinationem propriæ cupiditatis, idem pollet, Deum inclinare nos ad malum, quod noſtræ nos propriæ inclinationi pmittere. Id quod Aug. ipſe, optimus ſui interpres, crebro explicatiſſimeq; agnouit. Etenim in epiſt. ad Sixtum, quæ eſt. 105. ſic ait. Nõ Deus obdurat impartiendo malitiã, ſed non impartiendo gratiã. Vnde apoſt. Roma. 9. miſericordiam appellat, gratiæ appoſitionem, indurationem uero, gratiæ priuationem. Et ad Simplicianum. Non intelligendũ eſt inquit, quod Deus ita induret, quaſi quẽquàm peccare cogat: ſed tñ quibuſdã peccatoribus miſericordiam iuſtificationis ſuæ non largitur: & ob hoc eos indurare dicitur, quia non eoꝝ miſeretur: non quia ui impellat, ut peccẽt. Et in li. de eſſentia diuinitatis. Indurare, inquit, dicitur Deus quorundã maloꝝ corda: ſicut de Pharaone ſcriptũ eſt. Nõ qđ õnipotens Deus p potẽtiã ſuã corda eoꝝ induret, qđ eſt impium ita credere: ſed exigẽtibus eoꝝ culpis, cum duritiã cordis, quã ipſi ſibi mala ꝑpetrando nutriunt, nõ aufert, quaſi eos induret, quia iuſto iudicio indurari ſinit. Quid apertius? ¶ Auguſtino aũt Chry. Amb. atq; oẽs patres conſentiũt, ſup illud Pauli Rom. 1. Tradidit eos Deus & c. Quo circa gratis, pfecto doctiſſimus aliàs Roffẽſis ar. 36. elargitus eſt Luthero, qđ Deus ita nõnullos deſerat, ut reſipiſcere nequeãt. Eſt. n. (ut citra iniuriã dixerim grauiſſimi uiri) cõſideratior ſentẽtia. S. Tho. 3. q. 86. aſſerẽtis, erroneũ eſſe, qđ aliqđ ſit peccatũ, de quo homo pœnitere nõ poſſit. Vbi ad illud. 2. Macha. de Antiocho, Orabat ſceleſtus Deum, a quo nõ eſſet miſericordiã conſecuturus, rñdet, cãm fuiſſe, qm̃ nõ habebat uerã pœnitentiã, ꝑpter Deũ, ſed propter infirmitatẽ, quã patiebat. Idemq; agnouit Hier. in illo uerbo Amos Sup tribus ſceleribus Moab, & ſuper quarto non exaudiã eum: nempe quod ſola impœnitentia eſt in cauſa, cur Deus iniquis non parcat. Quod ſi cui animus eſt, rem hãc planiſſime expoſitã intueri, conſulat Orig. lib. 3. de princ. in aureo illo capite de libertate arbitrij. Negabant enim illi contra quos illic diſputat, perinde atq; iſti, ſolo nos libero arbitrio peccare, innixi loco illi de induratione Pharaonis. Eos autem acerrime reuincit Orig. quod ſi Deus ita indurauit cor illud miſerum, auxiliumq;

Marginalia: Aug. — Roffen. — S. Tho. — Hiero.

xilium𝓆; denegauit, ut non esset ipse paratus illud emolliri: etiam si Pharao consensisset, certe Deus ipse fuisset causa p̄di tionis eius, nec𝓆; merito culparet eum, dicens. Tu autem quo niam non uis dimittere populum, ecce percutiam omnia pri mitiua Aegypti. Consyderatè adnotauit uerbū Orige. Quo niā non uis. Vnde consyderatissime subdit, q̄d Deus non ali ter indurat corda, q̄ patienter nos tolerãdo. Nec𝓆; uero opus Rom. 2. est Origenis testimonio ubi Paul. tanta utitur euidentia. An diuitias, inquit, bonitatis eius ac patientiæ & longanimita tis contemnis, ignorans quia benignitas Dei ad pœnitentiã te adducit? Secundum aũt duritiam tuam, & impœnitēs cor thesaurizas tibi irã in die iræ. A benignitate ergo, qua Deus nos intendit lenire & allicere, occasionem nos nanciscimur, ut induresçamus pertinacius. Atq; adeo (inquit Orig.) indu Orig. si militudo. rare dicitur nos Deus tropo tali sermonis, quali herus, dum quo benignior in seruum est, & clementior, insolentior ipse & improbior efficitur, dicere potest. Ego te talem serue feci, ergo te p̄didi: patientia mea insolentiæ tuæ causa extitit. Hac enim figura aiunt illi apud Esaiam. Quare errare nos fecisti Esa. 63. dñe de uijs tuis? Indurasti cor nostrũ ne timeremus te. Con uertere propter seruos tuos. Deum enim tali ratione ad seip sos ut conuerteretur, precabantur, ne amplius illis indulge ret (quod illis erat occasio in malum) sed flagellaret eos po tius: quoniam, ut est apud Iacobum. Quē diligit dominus, corripit. Et hoc idem compertissimum habemus in historia Pharaonis. Idcirco enim Deus nō statim filios Aegyptiorũ Pharao. occidit, & in mare demersit parentes: quia nolebat mortem peccatoris, sed ut magis cõuerteretur, & uiueret. Ob idq; ue luti imbribus terrã, ita & plagis leuioribus irrigabat cor Pha raonis, ut mitesceret, emollireturq; ad pœnitentiam. Quini mo nonnihil rex ille nequàm profecerat flagellis illis, quan do dicebat. Iter trium dierum ite: non tamen satis erat emen datus: quandoquidem prohibebat, dicens. Ne longe abeatis & uxores uestras relinquite &c. Hoc tamen in historia Pha raonis agnouerim, quod induratio illa peculiarē habuit ra tionem in diuina prouidentia. Nempe ut iudicia illa diuinæ maiestatis hebræorum animos ad timorem, amoremq; Dei

erigeret. Colligamus ergo ex his omnibus, obstinatam duritiem, cruditatemq́ nostram, non a Deo esse intentam, sed nostram ipsorum potius uoluntatem, patientia Dei abutentiū in causa illius esse. Vt enim eadem pluuia in altera terra preciosas progignit herbas, in altera uero, spinas & tribulos: & sicut eodem sole cera liquescit, lutum autē exiccatur, ita eadem benignitas, & patientia Dei, quæ suapte natura uniuersos ad pœnitentiam inuitat, alios perducit, alios uero maioris est occasio obdurationis. Porro uero quo sententia Augustini, a quo isti auxilia deposcunt, postrema sit omnium confirmatio. Audiamus eum in lib. de prædest. & grat. cap. 14. An forte, inquit, si pie de Deo, sicut expedit sentiamus, etiam Pharaoni datam misericordiam reperimus? Patientia enim Dei ualere ei debuit ad salutem. Et cap. 15. conferens Pharaonem cum Nabuchodonosor, quod quantum ad naturā, ambo homines erant: quantum ad dignitatē, ambo reges: quantum ad causam, ambo captiuum populum Dei possidentes: quantum ad pœnam, ambo flagellis clementer admoniti. Quid ergo, inquit, fines eorū fecit esse diuersos, nisi q̄d unus manum Dei sentiens, in recordatiōe propriæ iniquitatis ingemuit: alter libero cōtra Dei misericordissimā ueritatem pugnauit arbitrio. Ite Lutherani. Citate Augustinum dicētem, quod Deus homines inclinat ad malum. Nos autem post tot tum scripturarū elogia, tum probatissimorum Patrum, etiā Augustini, monumenta cauebimus Deum infamare, qui nobis sit causa peccandi. Tanto abest, ut uel suspicemur eius coactu, aut certè appulsu nostris cupiditatibus addici.

Simile. Aug. Nabuchodonosor.

Quomodo Deus est causa pec.

¶ Haud equidem diffitentur theologi, entitatis (ita uocant) quę est peccatū, Deū esse cām: eo efficientiæ genere, quo cuncta & animantia & inanima ad suas naturales actiones permouet. Non tñ inde statim cōficitur, causam esse peccati, qua parte deflectitur a lege & uoluntate Dei. Et q̄uis permulti sint, quibus non sit explicatu facile, quomodo in odio Dei, quod internam habet & indiuisam malignitatē, possit Deus causa esse entitatis, culpæ uero non item, non tamē est ita intellectu difficile. Quādo enim patres (imo scriptura canonica) negant Deum esse cām peccati, non ad illum uniuersalē

influxum spectant. Ille enim ut cap. 2. explicuimus inter causas naturales censetur. Et ideo sicut Deus non dicitur cā homicidij, quia dedit homini manus et oculos (sicuti neq; faber qui bona intentione fecit gladium) ita neq; ex eo quod auxilium præbet homini uniuersale, eo modo quo præbet beluæ, dicitur causa peccati. Quoniam in moralibus ille prorsus est uere, iudicaturq; causa, qui lege, ope, consilio, fauore, uel persuasu mouet quempiam, siue ad bonum, siue ad malū. Atqui his modis & ratiōibus, uniuersos Deus mouet ad bonum & honestum, neminem autem ad malum. Immo uero uti dum claudus ambulat, homo est causa ambulatiōis, quod tamen male & incommode gradiatur, in detortam tibiam penitus reijcitur: atq; dum optimus scribendi artifex, siue incōmodo calamo, siue in mala papyro scribit, ipse quidem est causa scripturæ, malitia uero characteris refert̄ uel in calamum uel in papyrū, ita prorsus dum quis delinquit, Deus quidem cum homine est causa actionis, quatenus res quædam est. Quod autem a lege declinet, soli imputatur libero arbitrio. Et hæc de libero arbitrio satis hic. Nā præterquàm, quod (ut præfati sumus) nō omnia hic persequi statuimus, multa quoq; addenda sunt in subsequētibus libris, inter disserendū de dispositionibus, & de operibus. Simile.

Quidnam possit homo per liberum arbitrium quàmdiu est in peccato. cap. 19.

POsteaq; sex illa de peccato originali, ꝓposita expediuimus: porro an transeat in omnes, quæ nā causa illius, quid sit, & quomodo traducatur, quæ sit eius pœna ac deniq; effectus, subsequitur euestigio, ut ꝑscrutemur quidnā homo, quàmdiu in miserādo peccati stercore sordet, efficere libertate sua ualeat. Et est quæstio biformis. Prima scilicet: utrū omnia opera liberi arbitrij, siue in infideli, siue in recidiuo christiano, sint peccata. Altera uero, utrum absq; auxilio gratię, solo generali influxu Dei possit homo p sua naturalia opus ullū facere, quod sit genere, seu (quod aiūt) moraliter, bonum. Neq; uero una est, sed duæ ac diuersæ quæstiōes. Prioris nanq; affirmationē in nullo unq; ex catholicis offendi. Nā & si quosdam uideā Gregorio ari- Quęstio duplex. Grego. arimi.

minensi eam notam inurere, attamen hoc solum ille astruit, quod nemo citra speciale auxilium ualet uel minimum præstare opus bonum morale. Censet tamen eum qui est in peccato, imo & eũ qui foris est extra fidem, auxiliũ eiusmodi suscipere, quo bene agat moraliter: quis non cõuertatũ: uti se ipse procul dubio exponit inter soluẽdũ quoddam nonũ argumentũ. Verũ Lutherani sunt, qui accerso suorũ errorum hũc etiam apponunt: uti cap. xi. in textura suorum dogmatum commõstrauimus. Quippe ex eo quod omnia opera peccatoris dimanãt a uitiata concupiscentia, quæ est illis peccatũ, omnia delictoris opera damnant, ut peccata. Vnde in Apologia cõfessionis Augustanæ sic habent. Falsum est & hoc, et contumeliosum in Christum, quod non peccent homines facientes præcepta Dei sine gratia. Et paulo inferius. Vere peccant homines, etiam cum honesta opera faciunt sine spiritu sancto, quia faciunt ea impio corde: iuxta illud. Quicquid non est ex fide, peccatum est. Profecto si natura humana figmentum esset cacodæmonis, non peius de illa isti obloquerentur. Quod ergo indubitata ueritas unusq; theologorum animus contra edocet, subijciam. Primum omnium constitutissimum omnibus est, nullum peccatoris opus meritum esse, dignum, siue gratia Dei, siue uita æterna. Esset enim Pelagianus, qui secus sentiret. Statuitur deinde in uniuersum de omni illo qui est in peccato, seu infidelis sit, seu fidelis, qđ non omnia eius opera sunt peccata: at illa tantũ, quæ uel genere suo sunt mala: uti fornicatio, homicidium, & cætera opera carnis: uel si bona sint ex obiecto, polluuntur tamen uel a fine, uel ab aliqua circunstante qualitate. Ex quo fit consequẽs, inter opus Deo acceptum ad uitam æternam, & illud quod est peccatum, medium inter stare opus morale, id est, conforme rationi naturali. De quo cap. proximo latius. Vnde. 2. 2. q. 10. S. Thom. ubi percontatur, utrum omnia opera infideliũ sint peccata, respondet, quod & si omni opere, quod ex infidelitate agunt, peccent (sane dum deos suos colunt, legiue obsequuntur suæ) tamen dum opera bona faciunt, ad quæ inclinat, sufficitq; bonum naturæ, non est necessarium, ut peccent. Atqui conclusio hæc præ se fert manifestam ueri-

Margin notes: Lutheranorum error. — Dictum Lutheranorum. — Veritas rei. — S. Tho.

taté, cui naturali ſenſu adhæreat humanus animus. Quis.n. adeo ſiniſtre ſentiat de natura humana, ut propterea quod perſona quælibet ſit extra gratiã Dei, quodcunq; opus agat, ſit recens peccatum, quo inimicitia ingraueſcat. Licet enim hoc ex conuictu hominum conijcere. Vbi notum eſt, nõ omne opus illius, qui inimicitias exercet, ex odio id fieri inimici. Igitur dum homo, laborans alias uitio aliquo, ueſcitur licitis, non alio peiori animo, quàm ut uiuat: laborat, ut alat familiam: commiſeretur fratris: erogat egenis, obedit parentibus, & maioribus: quod ſi perſona publica eſt, iuſtitiam cuſtodit, tuetur rempublicam, & id genus operum quodlibet facit, neq; ex odio Dei, neq; ullo obliquo propoſito, aut ſiniſtra circunſtantia, ſed quando & ubi oportet, quidnã rogo eſt, unde opera huiuſmodi defœdentur, ut ſint peccata? Sed ais propter concupiſcentiam carnis. Hanc autem iam ſatis demonſtrauimus in renatis nullam habere rationem culpæ. At ſaltem in infidelibus dixeris cauſam eſſe, ut omnia ipſorum opera ſint peccata. Ita enim aiunt quidam, tum catholici, tum alias docti, ſuſtinentes opinionem Gregorij. Aiunt inquàm, omnia opera quę fiunt ſine auxilio ſpeciali, eſſe peccata. Non quidem noua culpa, ſed participatione originalis, quod uniuerſa cõmaculat. Hoc tamen cõmentum inprimis non habet locum in homine iam chriſtiano, ubi nullũ eſt originale. Sed neq; in infideli. Quoniã unum peccatũ nũquàm opus aliud inficit, niſi quando fit ex intentione eiuſdem peccati. Vt cum quis, intendens homicidiũ, exacuit ferrum, uel intentione fallendi, incumbit literis. Cum ergo originale peccatum non ſit actuale, quomodo opera ſubſequentia ita polluat, ut ſint abſq; alia mala uolũtate, actualia peccata? Et pręſertim illa opera quæ non oriuntur ex inclinatiõe carnis, ſed ex intentione boni & honeſti: qualia modo referebamus. Quocirca peruerſa eſt interpretatio illius loci Ioan. 3. Quod natum eſt ex carne carọ eſt, ad ſuadendum omne opus peccatoris eſſe peccatum: quia non omne illud naſcitur ex amore carnis. Et peruerſiſſima, illius. Arbor mala non poteſt bonos fructus facere: quia nomine arboris intentio operis uenit: iuxta illud. Si oculus tuus fuerit ſimplex, totum corpus tuum

Argumẽtũ primum.

Cauillatio.

lucidum erit. Et tamen non est consequens, ut qui in peccato est, omnia faciat mala intentione. Sed istas & tales authoritates fusius lib. 3. explicabimus, inter disputandum de operibus iusti. Sed adiungitur confirmatio ad eandem conclusionem ex diffinitione peccati. Est enim peccatum, doctore contra Faustum. Augustino, dictum, uel factum, uel concupitum contra legem Dei. Cum autem ille qui est in peccato patrocinatur (uerbi gratia) pupillo, eo duntaxat, quod est opus honestum, nihil tunc facit contra legem Dei: cur ergo imputabitur culpæ? Et præterea si omnia opera iacentis in peccato, peccata essent noua, adeoq; noui supplicij merita, uix possemus animo comprehendere, quantum pœnarum penderet in inferno, quicunq; in minimo peccato mortali permansisset longo tempore. Nam si dormit, si uigilat, si comedit, si ambulat: deniq; quiduis gerat negotij, peccatum est apud istos. ¶ Adde rationem illam, quam capite quarto formabamus. Porro homo animal est rationale, qui ideo suapte natura efficere opus ualeat secundum rationem: atqui per peccatum tantummodo sumus supranaturali dono expoliati, & in puris naturalibus nudi relicti: possumus ergo naturali uigore rationis, cũ uniuersali Dei influxu opera præstare, quæ sint rationi consentanea: atq; adeo utcunq; bona: nimirum quæ finem non exuperent naturalis honestatis. Id quod a nostris aduersarijs, si quæ ipsi concedunt penitius perspexerint, facile extorquebimus. Fatentur nanq;, eas nobis uires libertatis post lapsum suppetere, ut ualeamus (quod ait lib. 3. Hypog. Aug.) agros colere, plantare uineas, conuersari cum amicis, & cætera. Et præterea confitentur quandam (quam inficias ire nequeunt) naturalem iustitiam: quam appellant rationis, quæ posita est in usu rerum secundum rationem. Quam dicunt cognitam fuisse philosophis. Ita habent in confessione Augustana, & reliquis colloquijs. Quin etiam in Apologia Melanthon libẽter huic iustitiæ tribuit suas laudes, probans sententiam Aristotelis. 5. Ethi. quod neq; Hesperus, neq; Lucifer pulchrior est quàm iustitia. Ac deniq; aiunt iustitiam hãc a Deo ornari corporalibus præmijs, licet non sit meritum iu

Confirmatio argumẽti. Confirmatio. 2. Secũdũ argumẽtum. Argumẽtum ex dictis aduersariorum.

stificationis. Si ergo naturales uirtutes dignæ sunt qualicunq; illa laude, exiguaq; mercede temporanea apud Deum, cur peccati charactere subnotentur, si tamen nulla uanæ gloriæ intentione fiant? At quod huc forsan quispiam ex Augustino libro. 5. de ciuitate dei, accerseret Romanorum exemplũ, ut qui rebus clare gestis digni uidentur censeri ab Augustino, quorum Deus secularia imperia tam late augeret & amplificaret, illud ego exemplum perparum ad rem conducere existimo, sane qui nunquàm Augustinum ita potui intelligere, ut Romanorum uirtutes arbitraretur uere dignas fuisse illo præmio. Quas siquidem exercebant, ut ipse ibidem fatetur, ad aucupandam gloriam mundi, atq; adeo neq; culpa carebant. Sed ait, quod Deus permisit illis potiri mercede quam intendebant: sicuti de hypocritis ait Christus. Receperunt mercedem suam. Nam & hac authoritate utitur illic idem ipse. Porro autem maioris est in præsentiarum momenti testimonium eiusdem Augustini de spir. & lite. cap. 28. ubi ait. Nihil prosunt impio aliqua bona opera, sine quibus difficillime uita cuiuslibet pessimi hominis inuenitur. Ecce confitetur bona opera impij, quæ tamen nihil ad uitam æternam prosunt. Quare illud quod ex. 3. capitulo eiusdem libri citauimus supra: scilicet liberum arbitrium nihil ualere, nisi ad peccandum, si lateat ueritatis uia, de utroq; lumine, diuerso tamen modo, intelligendum est. Nimirum, quòd sine lumine naturali nullũ fieri ualet opus moraliter bonum: neq; sine lumine fidei, meritorium æternæ uitæ. ¶ Sed age testimonia sacræ scripturæ perpendamus, an inde fulciri possit ueritas nostra. Ad remissionem peccatorum necessaria est pœnitentia, quam post præcursorem clamantem in deserto, Christus ipse, cum prædicauit, tum etiam in uniuersum mundum prædicatum dimisit Apostolos: ad dolorem autem excitandum, ueramq; erratorum detestationem, quàmplurimum conducit meditatio gehennæ, memoriaq; iudicij illius, ira & furore pleni. Vnde Ioannes. Progenies uiperarum, quis uos demonstrabit fugere a uentura ira? Et seruator noster uehementer nos perterrefacit signis illis exhorrendis, quæ dabũt

Aug. de ciui. dei.

De spi. & lit.

Testimonia scripturæ.

Matth. 3

tunc sol & luna: adeo ut arescant homines præ timore. Et alibi. Nolite, inquit, timere eos qui occidunt corpus, animã autem non possunt occidere: sed eum potius timete, qui potest & animam & corpus perdere in gehennam. Quibus omnibus persuasi quoq; Lutherani, iam sunt compulsi concedere terrores pauoresq; conscientiarum necessarios esse, ut a peccatis emersi homines ad diuinam misericordiam perfugiãt. Expostulauerim ergo libenter cum eis, num metus gehennæ & iræ Dei, quæ, authore Paulo, per fidem reuelatur de cęlo, peccatum sit? Non credo hoc dabũt unquàm nobis. Quo enim nos metu Christus ipse inducit, ut timeamus, quis nam eum metum, peccatum dixerit? metus autem ille non est quo gratiam cum Deo ualeamus inire: est ergo opus aliquod extra gratiam, quod culpa uacat. De quo reuera scriptum est. Initium sapientiæ timor domini. Non enim uerbum hoc de timore filiali enunciatur: sane qui non initium, sed consummata est sapientia. Ergo si timor seruilis initium est sapientiæ, non parum utilis est: adeo nõ est peccatum. Necq; huic ulla ratione aduersatur, quod secundum Apostolum Ioannẽ, perfecta charitas foras mittit timorem. Haud enim ait, quod quiuis gradus charitatis auersẽt timorẽ, sed perfecta tãtum. Necq; illa foras timorem pellit, quasi contrarium malum, sed tanquàm imbecillum bonum, & imperfectum. Id quod pulcherrima comparatione exposuit Aug. in filo sutoris & setæ: de quo lib.2. Est tandem argumẽtum, quod illos, qui in peccatorum sordibus agunt, admonemus, & quidem saluberrime, ut eleemosynis erogandis, assiduis orationibus, & id genus officijs assuescant. Quemadmodum ait Aug. Si non es tractus, ora ut traharis. Quod reuera nunq; faceremus, nisi talia opera culpę immunia essent, tametsi extra gratiã Dei fiãt. At uero insinuamur iam in materiam de dispositiõe ad gratiam, quam ne exenteremus, satis hæc sunt in præsentia. Reliqua enim lib. altero sunt adiecta. Est ergo error asseuerare, omnia opera ante iustificationem esse peccata, isq; merito in nostra Tridentina synodo condemnatus, can.7. Cuius uerba sunt. Si quis dixerit, opera omnia, quæ ante iustificationẽ fiunt, quacunq; ratione facta sint, uere esse peccata, &c. anathema

Marginalia: Matth. 10. — Eccl'i.1. — Ioan.4. — Aug. — Quartũ argumẽtum. — Aug. — Synod. Triden.

thema sit. Et can. 8. Si quis dixerit gehennæ metum, per quē ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, uel a pecca[illegible] abstinemus, peccatum esse, aut peccatores peiores facere, anathema sit. Neq; uero est, quod ad diluenda aduersarior; argumenta integrū hic debeamus capitulū adhibere, eisdem enim ferme utuntur ad persuadendū sibi omnia opera antecedentia gratiā, peccata esse: atq; omnia, ēt subsequentia. Quocirca ubi li. 3. tractandū nobis est de ualore operū iustificati hominis, illic cuncta dissoluent. Audi tñ interim prudens lector, post illa recitata uerba in præfata Apologia. Porro quod oēs homines peccent, cum honesta opera sine spiritu sancto, & diuina præcepta sine gratia faciunt, audi inquàm expendeq; neruum causæ. Huius, inquiunt, nostræ sententiæ testimonia habemus, non solum in scripturis, sed ēt ex Patribus. Nam Aug. copiosissime disputat cōtra Pelagianos, gratiam non dari propter merita nostra. Et de natura & gratia, inquit. Si possibilitas naturalis per liberū arbitrium, & ad cognoscendum quomodo uiuere debeat, & ad bene uiuēdum sufficit, sibi ergo Christus gratis mortuus est. Ergo euacuatū est scandalum crucis. Cur non etiam ego (inquit Melan.) hic exclamem? Imo exclamabo, & istos increpabo dolore christiano. Euacuati estis a Christo, qui a natura iustificamini, a gratia excidistis. Ignorantes enim iustitiam Dei, & uestram uolentes cōstituere, iustitiæ Dei non estis subiecti. Istis inclamatiōibus incantāt populos suos. Sed unde, rogo, locus ille. Gratia non datur secundū merita nostra, ergo omnia opera, quæ fiunt extra gratiā, peccata sunt. Non satis habetis, artificialem dialecticā a uestris scholis relegasse, nisi & naturalem dissimuletis? Quē unq; ex nostris legistis, qui dicat, gratiā secundū merita nostra dari? Nametsi quidā meritū de cōgruo nominent, quā uocē, ut lib. 2. uidebimus, neq; alij, neq; ego satis ꝓbo: nemo tñ cōstituit rōnem aliquā iustitiæ in opibus nostris, respectu gratię Dei. Sed tñ opera media statuimus, quę ut nullo modo sint merita gratiæ, ita neq; sunt cōtinuo peccata, sed bona (qđ aiūt) secundū quid, id est, bona ex genere, seu bona moraliter: iuxta sententiā Aug. citatā de spi. et lit. ca. 28. Qđ aūt adferūt ex Esaię uaticinio, Facti sumus immūdi oēs,

Luthera norū uer ba.

& quasi pānus mēstruatæ uniuersæ iustitiæ nostrę,ad memoratū capitulum lib.3.ptinet,de operibus quæ fiunt in gratia. Et qđ adijciūt ex euangelio Ioānis. Si quis in me non manserit,mittet̃ foras sicut palmes & arescet,ad capitulū de dispositione ad gratiam.Id aūt proprie hic cōtra nos facere uidetur,
Rom.14 quod est ad Rom.14.Omne quod nō est ex fide, peccatū est. Vnde aduersarij colligunt,omnia opera agentis in peccato, peccata esse.At uero si aliquid locus hic habet momenti, de
S.Tho. operibus duntaxat infidelium est. Id tamen S. Tho. q.citata. 2.2.exponit de ipso rum operibus,quæ faciunt ex infidelitate. Vt tantum ualeat,Nō ex fide,quantum, contra ueram ex falsa fide. Tametsi alibi ipse,& pleriq; multi intelligant perinde esse.Non ex fide, acsi dictum esset contra conscientiam: qui profecto sensus genuinus esse uidet̃ illius loci. Præmittit illic enim Paul.Qui autem discernit,id est,iudicat(scilicet cibum talem non esse licitum)si manducauerit damnatus est, quia non ex fide:hoc est,facit quod iudicat non licere.

Vtrum absq; auxilio speciali gratiæ possit homo ulla ex parte bene agere moraliter. cap.20.

HOc autem loco aduersus Lutheranos constituto, e uestigio subsequitur,ut cum nonnullis catholicis expostulemus, utrum possit homo dum est in peccato,solo generali Dei influxu, absq; speciali auxilio gratiæ, opus aliquod utcūq; honestum(quod uocāt
Opus moral'r bonum. moraliter bonum) agere. Est enim opus moraliter bonum (ut nomē ab scholis recipiamus)illud quod eo est honesto fine naturali intentum, ac circunstantijs uestitum, ut cum nō sit gratiæ apud Deum & gloriæ meritum,nullum sit tamen peccatum,sed infra lineam naturalem,studiosum.Sunt autē
Quinq; ueniunt in qōnē. quinq; hic ex ordine discutienda,ex quorum diffinitione palam constet,quo se uis,facultasq; naturalis extēdat bene agēdo.Id quod ex cap.4.in hunc locū,copiosius ac limatius disserendum,reposuimus.Quinq; autem hæc sunt. Vtrum natura sua ualeat homo,ēt qui in peccato existit, uerum quodpiam nosse,quod satis sit ad bene moraliter agendum:bonū huiusmodi, uelle,& facere:Deum super omnia diligere :diuina implere præcepta: ac deniq; uitando peccata,in bono

perseuerare. Duo priora hoc capite, & proximo, tria uero reliqua, cap.22 excutiemus. Atqui primum omnium id firmũ nobis, solẽneq; sit, quod aduersus Pelagium sancitum est ab ecclesia. Porro quod ex puris naturalibus non solum mereri non possumus, aut uitam æternam, aut nostram iustificationem, uerum neq; cogitare aliquid (ut ait Paul.) quod illius sit causa, tanquàm meritũ. Id quod libro secundo discussuri strictius sumus. Vbi et illud enucleandum est, an per naturam suam se saltem homo possit ad gratiam disponere. Cõstitutissimũ fũdamẽtum.

¶ Hac catholica ueritate constanter præfixa, ante Gregoriũ Ariminensem neminem legisse memini, qui, quantum iudicio assequi possum, negare hoc cogitauerit, quod primis duabus quæstiõibus interrogatur: posse nimirum hominem, dũ est in peccato suapte natura, citra specialem succursum Dei, cum nosse, tum etiam, uelle, & exequi officium aliquod naturali honestate præditum. Et hanc nos hic primam statuimus assertionem. Grego. uero utrunq; negat q.1. sup di.26. et.27. et.28. in.2. sentent. Amboq; existimat, non solum esse contra Augustinum, cuius innumera more suo complicat testimonia, uerum concidere in errorem Pelagij. Addit, S. Thomã eiusdem secũ fuisse sententiæ. Cui subscribit Capreo. eadẽ distinc.28. idem de S. Thoma arbitratus. Ego uero (quod meum est exile ingenium) ut certo assentior huic contra Greg. assertæ ueritati, ita neq; sum usquàm suspicatus, uel Augustinum, uel S. Thomam contrarium habuisse iudicium: præterquàm quod reliquus theologorum cœtus nobiscum sentit, ut ipse confitetur Gregor. Et quoniam S. Tho. inducitur author, inde exordiamur. Is. 1.2. in q.109. sciscitatur, utrum homo sine gratia aliquod uerum cognoscere possit. Et respõdet (quantum hic sufficit) hisce uerbis. Intellectus humanus habet aliquam formam, scilicet ipsum intelligibile lumen, quod est de se sufficiens ad quædam intelligibilia cognoscenda: ad ea scilicet, in quorum notitiam per sensibilia possumus deuenire: altiora uero intelligibilia intellectus humanus cognoscere non potest, nisi fortiori lumine perficiatur: sicut lumine fidei, uel prophetiæ: quod dicitũ lumen gratiæ, inquan-

Grego. Arimi.

Assertio prima.

S. Tho.

tum est naturæ superadditum. Sic igitur dicendum est, quod ad cognitionem cuiuscunq; ueri, homo indiget auxilio diuino, ut intellectus a Deo moueatur ad suum actum: non autem indiget ad cognoscendam ueritatem in omnibus noua illustratione superaddita naturali illustratiōi: sed in quibusdam, quæ excedūt naturalem cognitionē. Ecce omni procul dubietate respondet, quod lumine naturali sufficimus multa uera cognoscere: puta, quæ per sensibilia (unde authore Aristo. incipit nostra cognitio) rimari possumus. Quare cū ait, ad horum cognitionem indigere nos auxilio diuino, manifeste id enunciat de generali auxilio Dei, tāquàm instituto-ris & uniuersalis gubernatoris naturæ rerum: quippe in quo uiuimus, mouemur, & sumus. Quocirca dum Capreol. interpretatur, diuum Thomam in hoc sensu, quod licet absq; habitu gratiæ gratum facientis possimus ueritates circa mores cognoscere, non tamen absq; speciali auxilio, nescio unde hoc potuit elicere. Etenim quod illic S. Thom. in disputationem profert, est, quid homo possit ex naturalibus suis, quidq; non ualeat absq; ope supernaturali: ubi proinde de gratia gratum faciente nihil meminit. Et quoniam eadem oppositio, qua distant naturalia a supnaturalibus, est inter generale auxilium & speciale, ait, quod ad naturalē quidē ueritatem intuēdā, uti ingenerauit nobis Deus naturale lumē tanq; formā agendi, ita tribuit generale auxilium, tanq; naturalē cām motus. Ad cognoscendū aūt supernaturalia, sicuti supernaturali nos lumine illustrauit, puta fidei, aut prophetiæ, ita ad cognitionē ipsam specialiori nos mouet auxilio. Et prꝺterea sermo S. Thomæ non est contractus ad certam cognitionis speciem, scilicet uel practicam uel speculatiuam, sed in genere percontatur, atq; respondet, pari modo de speculatiuis, & moralibus: absurdissimum uero esset assertu, quod speculatiuas ueritates, utpote iudicia ueri coloris, & aliorum sensibilium, perq; se notas ueritates, & quæ consequūtur ex illis, non ualeamus sine speciali ope cognoscere. Quod ergo de speculatiuis, id ipsum & de practicis ueritatibus manifeste intelligit. Caue, qđ solo generali auxilio cognoscere utrasq;

Capreolus.

Secūda ratio.

possumus. Et merito quidem. Nam quæ precor maior difficultas fingi potest in cognoscendo uero practico, quàm speculatiuo? Quod autem ad Augustinum attinet, patenter de se ipse testatur, huius, quam astruimus, fuisse sententiæ li. 1. retract. cap. 4. ubi ait. Non approbo, quod in oratione dixi, (nempe lib. 2. soliloquiorum) Deus qui nisi mundos uerum scire uoluisti. Responderi enim potest, multos etiam non mundos multa scire uera. Et profecto, quando August. aut quiuis ex patribus scriptum quidpiam reliquisset, quo contrariæ sententiæ uideretur applaudere, glossandum esset potius, quàm deneganda manifesta ratio naturalis. Ea præsertim, locus scripturæ sacræ refragatur, quinimo suffragantur multi. Vbi adnotandum est, quod quemadmodum in speculabilibus, ita & in practicis, quæ ad mores spectant, quædam sunt naturali rationis lumini commensurata, quædam uero sublimiora, quàm quibus inspiciendis lumen nobis suppetat a natura. Vt enim per se notũ est, quantitate, totum excellere parti, tam notum & illud principium est. Id facias alijs quod tibi uis fieri: & quæ inde sunt consequentia. Vti honorare parentes & seniores: subuenire miseris, & id genus reliqua. Atq; adeo ut speculabilia illa, ita & hæc practica naturali mentis oculo peruia sunt, aut certe naturali diligentia cognoscibilia. Appetit enim homo naturaliter hæc scire, ut ait Philosophus, ad quæ proinde natura, cum eius finem non excedant, uires nobis suffecit. Vnde in Psalmo. 4. interroganti Dauid. Quis ostendit nobis bona, ipse sibi respondet. Signatum est super nos lumen uultus tui domine. Quod doctores intelligunt de lumine naturali. Quinimo Paul. ubi incusat philosophos, quod cum Deum cognouissent, non tanquàm Deum colentes honestassent, palam loquitur de cognitione naturali: uti omnes agnoscunt enarratores in subiunctis uerbis, quibus exponitur, quonam pacto se illis Deus fecerit manifestũ. Inuisibilia enim, inquit, ipsius a creatura mũdi per ea, quæ facta sunt intellecta conspiciuntur. Hoc nãq; philosophorum acumen ac munus fuit, ex his quæ subiecta sunt sensibus, causas inuestigando, ad notitiã Dei conscẽdere. Et quod huiusmodi co-

Aug.

Rõ prç cipua cõ clusiõis.

Psal. 4.

Paul. Rom. 1.

gnitio sufficeret ad bene agẽdum, ex eodem etiam loco constantissimũ est: Alias non fuissent inexcusabiles: ut ait Paul.

Assertio secunda.

Quàmuis de hoc, lib. 2. cap. xi. exactior erit sermo. ¶ Quo ergo ad secundam quæstionem progrediamur, secunda hic assertio nobis sit, quod potest homo solo suffultus generali auxilio, uelle, & operari bonum morale. Cuius in promptu est ratio. Vt opus quodlibet sit bonum morale, satis est, ipsum esse rationi naturali consonum, atque ad ius exactum naturale, etiam si nulla super naturã perornetur circunstante qualitate. Nam profecto non aliter dignoscere uideor, inter res horum nominum, opus morale, & opus meritorium, quàm quod illud soli sit congruens naturali fini, hoc autem in eum, qui supra naturam est, referatur. Illud autem totum potest homo a natura præstare: sane qui cum sit animal rationale, naturalis sit ei scopus a natura præstitutus, ut quæ rationi sunt cõsentanea, & cognitione prehendat, & affectu appetat, atque adeo effectu exequatur: ut cap. 4. dicebamus.

Id possumus post peccatũ quod in puris natu.

Sed ait quispiã forte, quàmuis id nostrapte natura possumus, quatenus rationales sumus, ubi nulla præisset gratia uel culpa, peccatum tamen originale ademit nobis huiusmodi uigorem. Hoc autem responsum satis existimo cap. xi. refutatum esse, ubi exponebamus, quemadmodum præuaricatio illa Protoplasti, solum nos despoliasset originali iustitia cum annexis suis cælestibus donis: nosque reliquisset in puris naturalibus, absque corruptione cuiuspiam naturalis principij. Sed ex eo fuisse læsos uulneratosque in naturalibus, quod nõ possumus ubique & semper agere secundum rationem, quo nos natura ipsa rationalis agit.

Grego.

¶ Hic autem locus est, quo nobis Grego. obuiã exit, negans ullum esse opus moraliter bonum, antequàm in ultimum finem referatur, qui est Deus. At uero, non immerito scholæ omnes theologorum sibi reclamant, ut ipse fatetur.

Primum argumẽtũ cõtra ipsum.

Nanque uel id sentit de relatione in Deum, quatenus naturali lumine ostẽditur, finis esse ultimus uniuersi: atque adeo nostrarum actionum: aut de relatione in ipsum, qua ratione est finis supernaturalis: id est, uires nostras exuperans. Si de priori, ad illam certe non est necessarium speciale auxilium. Quia omne bonum, et maxime honestum, ratione intrinseca

ordinatum est in Deum. Sane qui cum res cōderet, ad se uni uersas retulit, ut cap. 6. explicatius dictum est. Et ideo quādo non sinistra intentione agentis præfigitur alius finis, de se ipsum bonum, uirtute intenditur in Deum, quoad satis est, ut sit moraliter bonum. Adde quod actu etiam potest illo primo modo naturaliter referri opus in Deū. Quocirca fallax est collectio illa Gregoriana. Quicunq; opus facit alio fine, quàm propter Deum, peccat: quicunq; non actu illud refert in ipsum, alio fine facit, ergo peccat. Est enim secunda præmissa falsa, tum quia licet opus non referatur, nisi in bonū honestum, non fit diuerso fine a Deo, tum quia satis est, si actus referatur in ipsum, tanquàm in finem naturalem omniū bonorum. Si uero sentiat de relatione secunda, omnino inficias imus, operi moraliter bono necessariam esse illam relationē. Quinimo hoc differt ab opere meritorio. Et quod hoc quidem suum fuerit ipsius inuentum (bona pace dixerim doctissimi doctoris) uel hac ratione liquido constat. Id quod in humana est, & naturali ratione positum, non est refellēdum, nisi sacræ scripturæ aut catholicæ ecclesię quoquo pacto aduersetur: at scriptura sacra, ecclesia catholica interprete, solū hoc denegat opibus nostris naturalibus, qđ sint merita gratiæ & gloriæ Dei, definiens aduersus Pelagium, in his quæ ad nostram iustificationem pertinent, non esse sufficientes mortales, uel aliquid, quasi a nobis cogitare. Vt est uidere in cōcilio Mileuitano can. 4. et. 5. & explicatius in Arausicano can. 7. ubi id tantum sancitur, quòd nemo per naturæ uigorem, bonum aliquod, quod ad salutem pertinet uitę æternæ, cogitare aut eligere potest absq; illuminatione & inspiratione spiritus sancti. Atq; idem penitus censet modo præsens Tridentinum in tribus primis canonibus: scilicet, neminem per humanæ naturæ uires, uel per legis doctrinam absq; diuina per Christum gratia posse credere, sperare, aut diligere, quatenus pertinet ad iustificationē. Et ratio est, quod si a nobis, uel (quod ait Paul.) a lege esset iustitia, gratis Christus pro nobis mortuus esset. Cæterum de bonitate bonorū moralium, sane quæ nulla esse affirmamus merita apud Deum, neq; proximam gratiæ dispositionem, sed quæ illis sunt etiā

Respondet Gregorio.

Altera obiectio

prauis communia, qui nihil de mutanda in Deum mente cogitant, nihil profecto uel scriptura uel ecclesia prohibuit credere, quod naturalis ratio dictaret. Quãdoquidem nullatenus hoc dominicæ gratiæ derogat. Hæc præsertim ueritas confirmat authoritate illa Apostoli ad Roma. 2. Gẽtes quæ leges non habent, naturaliter ea quæ legis sunt faciunt. Eiusmodi enim legem (scilicet positiuam) non habentes, ipsi sibi sunt lex: qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis. Sed de hoc inferius adhuc, cap. 22. & libro altero. cap. xi. Est ergo prẹter legitimam causam intrusum, auxilium huiusmodi speciale ad opera moraliter bona. Miraculo enim adscribendum esset, ut cap. 4. dicebamus, quod reliquis omnibus natura constantibus potestas a natura suppeteret suos cuiusque fines adipiscendi, homini autem rationali & libero, nullus esset præscriptus a natura scopus & finis, quo posset rationis usu & libertate officia naturaliter referre: quæ essent rationi consona. Profecto S. Thomas expresse aliter sentit. Qui nimirum. 1. p. q. 23. introducendo tractatum de prædestinatione, præfigit duos hominis fines, alterum qui excedit proportionem naturæ creatæ, quæ est uita æterna: alterum qui naturæ creatæ proportionatus est. Quem res, inquit, creata potest attingere secundum uirtutem suæ naturæ: ad quorum priorem transmittit nos Deus per prædestinationem: ad secundum uero, inquit, non: quia possumus illum assequi per naturam nostram. Quem uel unum locum si consyderassent isti, qui S. Thomam in opinionẽ Gregorij adsciscũt, nunquam id fecissent: quandoquidem secundũ eum non omne opus moraliter bonũ pertinet ad prædestinationẽ, quod idcirco fieri ab homine potest naturaliter. Ad hæc quãdo. 2. 2. q. 10. dixit, non omnia opera infidelium esse peccata, et quando. 1. 2. q. 109. adiecit, quod potest homo absque auxilio gratiæ implere præcepta quo ad substantiam operum, manifeste asseruit opera moraliter bona sine speciali auxilio: quoniam cum apud ipsum nullum sit opus indifferens, ea quæ non sunt mala, bona continuo sunt. Et quod intelligat illa fieri absque auxilio speciali, patet, quia nullum ipse tale ponit, nisi ad præparationem & dispositionem ad gratiam, ut uidere

Alia obiectio.

S. Tho.

est

est eadem.q.modo citata.1.2.quæstiõe.65.art.2.& explicatius 2.2.q.23.arti.7.ait,quòd licet perfecta uirtus non possit esse extra charitatem, nihilominus uirtus in ordine ad aliquod particulare bonum,& respectu finis ultimi in aliquo genere, scilicet quatenus est finis naturalis boni, potest esse uirtus secundum quid. Et quòd intelligat naturaliter,adhuc patet in solutione ad primum:ubi ait, quòd extra charitatem fit aliqua talis uirtus secundum quod homo habet aliquod aliud donum Dei:scilicet fidem,uel spem,uel etiam naturæ bonũ. Quod cum distinguat cõtra dona supnaturalia, palã sentit, ex puris naturalibus. ¶ Sed ut S. Thomã missum faciamus, est præterea ad nostram conclusionem urgentissimum argumentum,cõmuni sensui obuium. Potest homo ex suis naturalibus,id quod suopte genere bonum est,malo fine & circunstantia facere:ergo poterit idem facere propter honestũ. Exempli gratia. Potest homo naturali conamine deambulare,sinistra intentione:ergo poterit id facere causa bonæ ualetudinis:& tunc certe erit bonum morale. Potest homo comedere aut bibere naturaliter, quando ei nocet, ergo potest quando prodest. Certe risum tali theologia moueret, qui diceret,posse me comedere sine speciali auxilio pomũ,quod est ante me,dũ mihi est pestilẽs:non autem dũ est salubre. Præterea dum quis ueritatem illius rei interrogatur, cuius rei est conscius,potest naturaliter negare(quod est peccatum mendacij)cur nõ poterit,quod facilius est, citra auxilium speciale,affirmare? Et potest unusquilibet pro libito suo proijcere denariũ in flumen,cur non poterit donare pauperi, sine alia mala circunstantia,eo quod est honestum? Et honorẽ quem inique ualet deferre quisq; naturaliter indigno, cur non poterit eundem legitime deferre parentibus, & urbane probis uiris. Neq; uero me latet istorum responsio: nimirum quod non possunt referri talia opera in ultimum finem, sine speciali auxilio. At responsio hæc,petitio est principij. Respondeãt enim uelim,utrũ possit homo huiusmodi minima opera efficere sine auxilio speciali,non actu referendo in superiorem finem,quàm propter bonum honestum,uel in Deum,ut finis est naturalis boni. Haud equidem negabunt, nisi esse malũt

Tertia rõ cõclusionis.

Refutatio respõsi aduersariorũ.

V

ridiculi. Si uero affirment, iam demonstratum est, esse bona opera: quia cum sint propter bonum honestum, imo propter Deum, rationi sunt congruentia. Et idcirco suo gradu & modo bona. Et eodem pugione confoditur aliorum responsio, qui dicũt, posse quidem nos naturaliter bonum ex obiecto, non tamen cum omnibus circunstantijs. Nam si non est necessaria circunstantia illa supnaturalis, reliquæ (ueluti quando, & ubi oportet) naturaliter adhiberi possunt. Porro uero præter rationes has naturales uidetur, & redemptor noster de hoc nos operum discerniculo erudisse, quæ sunt naturaliter bona, citra meritum gratiæ: ubi ait. Si diligitis eos qui uos diligunt, quam mercedem habebitis? nonne & publicani hoc faciunt? Et si salutaueritis fratres uestros tantum, quid amplius facitis? nonne Ethnici hoc faciunt? Estote ergo uos perfecti, sicut & pater uester cælestis perfectus est. Ibi enim non uituperat officia quæ exhibentur propter honestatem humanam & naturales necessitudines, quę sunt bonis & malis communia: sed dicit, esse imperfectas uirtutes, nisi fiant ex uero & germano amore Dei: quo pater cælestis perfectus diligit se. Cui etiamnum sententiæ forte arrisit Apostolus illis uerbis. Si Abraham ex operibus iustificatus est, habet gloriã, sed non apud Deum. Vbi nõ damnat naturalem iustitiam, sed ait esse imperfectam.

Respõdet alij cauillo.

Matth. 5

Rom. 4.

In quo ad obiecta responde-
tur. cap. 21.

Expositio sentẽtiæ communis.

PRius tamen quàm testimonijs Gregorij satisfacio, patentius exponam sententiam meam: neq; id solum propter Gregorianos, sed quoniam & aduersus Lutheranos est operæpretium. Quando affirmamus, bonum opus in genere morum naturali facultate fieri, primum id intelligimus, ubi nullus præfigitur malus finis, nullaq; affigitur circunstantia praua. Mox neq; huiusmodi opus censemus, nuncupamusue simpliciter, aut bonum, aut uirtutis: sed cõtracte: & (quod idiomate suo aiũt in scholis) secundum quid, quippe opus ex genere, seu moraliter bonum. Et ideo consulto nos dissimulauimus particulam, quam Greg. cõponit in diffinitione; dicens, quod actus

Opus moraliter bonũ

bonus moraliter, est ille, qui habet omnes circunstantias, ut sit uere uirtuosus. Opus enim moraliter bonum, ita est studiosum, ut non tamen mereatur absolute nomẽ uirtutis. Cuius incogitantia statim a diffinitione Gregoriũ fefellit. Etenim August. ubicunq; loquitur simpliciter de bono opere, aut de uirtute, ea duntaxat officia comprehendit, quæ fiunt in charitate, quæ una est forma uirtutum. Expressa eius sententia est de gratia & lib. arbi. cap. 18. ubi ait. quod quicquid se putauerit homo facere bene, si fiat sine caritate nullo modo fit bene. Et ideo apud gentiles nunquàm censet, fuisse ueras uirtutes, non solum quia pleraq; omnia faciebãt propter inanem gloriam, sed quia cognitione carebant, & charitate ueri Dei. Id quod peregregie, tum sæpe alibi, tum lib. 4. aduersus Iulianum cap. 3. disserit: confirmans, non esse uere iustum, nisi qui ex fide uiuit: neq; esse ueram iustitiam, nisi ubi est regnum Dei: neq; ueras uirtutes, nisi ubi uera est sapientia & charitas Dei. Et ideo non esse inter Romanos & Grecos, qui essent ueri sapientes, studiosiq; censendi. Excipere nihilominus possumus aliquos forsan rarissimos (id quod non credo negasse Augustinum) quibus legitime seruantibus ius naturale, Deus peculiariter ferret opem, ut secum reconciliaret. Et inde tertio consequitur, quam diximus cognitionem Dei posse quempiam naturaliter adipisci in materia morali, minime nos intellexisse de uera prudẽtia. Quippe quæ non est, nisi ubi uere connectuntur uirtutes. At uero ubi negat August. ueras esse uirtutes extra charitatem & fidem, & ubi eas uocat falsas, non sentit quod sint idcirco peccata, sed id tantum, quod non habent legitimum gradum uirtutis. Sed sunt tales secundum quid. Sicuti aurichalcum, licet sit falsum aurum, est tamen in suo genere res bona. Et ita glossat eum S. Thom. 1. 2. quæstione. 65. artic. 2. Et præterea neq; illa opera, utcunq; bona, damus, posse hominem multo tẽpore, aut in materijs, uel pluribus, uel arduis efficere. Est enim homo post peccatum, imbecillior, & infirmior, quàm ut possit in bono, neq; in eo quidẽ quod est naturale, durare sine auxilio Dei. Nanq; in infidelibus, & in perditis christianis experimento didicimus, quàm homines di-

Aug.

uino fauore destituti in diuersos malorum abyssus præcipites dilabātur. Neq; postremo omnino diffitemur, quin quādoq; in peccato iacentes, inspirationes aliquas peculiares & fauores recipiāt. Nam ait loco supra citato S. Tho. 1. 2. quod Deus quādoq; per suam gratiam aliquos instruit, de his etiā, quæ per naturalem rationē cognosci possunt. Quinimo addiderim, quod nonnunquàm recipiunt aliqua supernaturalia subsidia, quibus ullo modo mollescant, & disponātur ad gratiam. Sed id tantum constituere uolumus, quod sine auxilio speciali potest peccator multa opera facere, quæ nō sint peccata, neq; merita gratiæ, sed medio modo moraliter bona. Neq; uero sint proxima dispositio ad gratiam: sed remotissima. Qua ratione ait ille. Prima uirtus est, uitium fugere.

Resolutio sententiæ Authoris.

¶ His explanatis moderaminibus & temperamentis, facillimum est ad omnia respondere testimonia Gregorij. Si tamē de S. Thoma dicere etiamnum adijciam, nunc; opinionem eius cogitasse. Eodem enim titulo quo percontatur articulo 1. quæstionis illius. 109. an homo sine gratia possit bonum cognoscere, interrogat etiam art. 2. an possit absq; gratia, uelle, & facere bonum. Et respondet comparādo statum nostrum ad illum primum innocentiæ primorum parentum: dicens primo quod secundum utrunq; statum, natura humana indiget auxilio diuino ad faciendum uel uolendum quodcūq; bonum, sicut primo mouente. Quod uerbum, & Capreol. & qui eum auscultant, glossant de auxilio speciali, cum tamen luce sit clarior mens S. Thomæ de auxilio generali. Primum quia cum illic disputet, quid homo possit uelle, & facere naturaliter, & quid sit illud ad quod indigeat particulariori auxilio, sicut in præcedenti articulo fecerat de cognitione, respōdet pari modo præiaciens fundamentum, quod sicut nihil possumus cognoscere, neq; in speculatiuis, neq; in practicis, ita nihil possumus uel uelle, uel facere sine auxilio Dei. Et ideo subiungit philosophicum uerbum. Sicut primo mouente, quo exprimitur generale auxilium: & addit, Sicut dictum est, scilicet in superiori articulo. Et idem explicatissime habetur in subsequentibus uerbis, Porro ubi subdit differentiam, quod in statu naturæ integræ eodem auxilio generali pote-

Exponitur mēs S. Tho.

Verba S. Thomæ.

rat homo per sua naturalia, uelle, & operari bonum, suæ naturæ proportionatum, quale est bonum uirtutis acquisitæ: non autem bonum supernaturale uirtutis infusæ. Sed tamen in statu naturæ corruptæ etiam deficit homo ab hoc, quod secundum naturam suam potest, ut non possit totum huiusmodi bonum implere per sua naturalia. Quia tamen natura humana per peccatum non est totaliter corrupta, ut scilicet toto bono naturæ priuetur, potest, inquit, etiam in statu naturæ corruptæ per uirtutem suæ naturæ aliquod bonum particulare agere. Sicut ædificare domos, plantare uineas, et alia huiusmodi, non tamen totum bonum sibi cõnaturale. Sicut homo infirmus potest per seipsum aliquem motum habere, non tamen perfecte potest moueri motu hominis sani, nisi sanetur auxilio medicinæ. Hæc sunt uerba S. Thomæ, quibus, quid potest dici perspicatius et euidentius in explicationem nostræ sententiæ? Ait enim quod homo naturæ corruptæ potest per uirtutem suæ naturæ aliquod bonum particulare agere. Ecquid est (etiam si detur fingendi libertas) p uirtutẽ suæ naturæ, nisi cũ solo concursu generali Dei? Quãdoquidem auxilium speciale nemini sufficitur, nisi ad supranaturalia officia. Itaq; homo corruptæ naturæ differt ab homine integræ, respectu naturalis boni in materia morum, non sicut mortuus a uiuo, ut ille possit totum ex suis naturalibus: nos uero, nihil, ut Grego. & Capreo. confingunt: sed sicut infirmus & debilis a sano & ualido. Porro quod ille habebat potestatem in totum bonum: nos uero nõ possumus totum: id est, in uniuersum omnia bona facere naturalia: possumus tamen aliquod. Et subdit exemplum Aug. in.3. lib. Hypog. quod possumus ex naturalibus ædificare domos, plantare uineas, & cætera. At conãtur quidam eludere hoc exemplum, dicentes, quod hæc opera, dum naturaliter fiunt, nõ sunt moraliter bona. Nihil est tamen in hac elusione probabilitatis. Quoniam plantare uineas, & domos ædificare, cum ex genere suo non sint peccata, sed honesta opera, fit, ut etiam extra gratiam sint bona: maxime in uia S. Thomæ, qui non ponit actus indifferẽtes. Vnde inferius arti. 5. dicit, quod homo per sua naturalia non potest mereri uitam æternam, potest

Discerniculum inter hominẽ integrũ, & ho. lapsũ

August. Hypog. lib. 3.

tamen facere opera perducentia ad bonum aliquod connaturale homini, ut laborare in agro, habere amicum. Quis dubitat, quin habere amicum sit opus moraliter bonũ? Quod cum dicat, posse hominem per sua naturalia, manifestissime intelligit, sine auxilio speciali, solo concursu generali, quem Deus pepigit cum natura. Quare quod subdit in eodem. 2. articulo: scilicet quòd Adam indigebat auxilio gratiæ, non ad sanandam naturam, sed ad operandum bonum supernaturale, nos uero nõ solum ad opera supernaturalia, sed ad sanandam naturam: intelligẽdum est ad exercitium omnium bonorum naturalium, ita ut nunquã deficiamus. ¶ Ecqua omnino euidentia est in Aug. sane qui eiusdem fuerit sententiæ. Et ne pergamus prolixitate grauiores esse, satis fuerit locum illum protulisse, quẽ modo citabamus Hypog. li. 3. cuius de homine lapso uerba sunt. Esse fatemur liberum arbitrium omnibus hominibus, habens quidem iudicium rationis, non per quod sit idoneum, quæ ad deum pertinent, sine Deo aut inchoare, aut certe peragere: sed tãtum in operibus uitæ præsentis, tam bonis quàm etiã malis. Bonis dico, quæ de bono naturæ oriuntur: id est, uelle laborare in agro, uelle manducare & bibere, uelle habere amicum: & huius generis complura. Quidnam poterat dicere, quo luculentius sententiam nostram confirmaret? Dignoscit enim inter ea quæ ad Deum pertinent, nempe supernaturalia, & opera uitæ præsentis: uidelicet, quæ non sunt digna præmio uitæ æternæ: Et ait, quòd ad illa nõ est per se sufficiens liberum arbitrium, ad hæc autem est quidem: sicuti ad opera mala. Quibus profecto exequendis nullo opus est fauore Dei præter generale auxilium. Et inter illa quæ naturaliter possumus, cõmemorat, habere amicum, uxorem ducere, artem discere, ac deniq; uelle quicquid bonum ad præsentem uitam pertinet. Quæ inquit, omnia nõ sine gubernaculo diuino subsistũt. Quod indubitãter intelligit, non de auxilio speciali, sed de generali influentia, qua uniuersa prouidendo gubernat, ut patet ex subiũcta authoritate Ex ipso enim, inquit, sunt, & per ipsum esse cœperunt. Alludens nimirum ad illud Pauli in actis. In ipso uiuimus, mouemur, & sumus. Et est manifestus locus

Aug. exponitur.

quem citauimus cap.19. de spi. & lite. ubi asserit, nõnulla bona opera iniquos facere, tametsi nihil eis prosint ad meritũ. Cum ergo dilucida sit sententia hæc Augustini, per hanc sunt omnes eius authoritates, quæ cõtra uideãtur facere, interpretandæ. Prima, quam Greg. opponit, est cap. 1. de prædest. sanct. Sane ubi nemo, inquit, sibi sufficit ad incipiẽdum uel perficiendum quodcunq; opus bonum, sed sufficiẽtia nostra ex Deo est. Si tñ antecedentia & subsequentia simul uerba circũspectasset, uideret hunc locum nullum cõtra nos habere momẽtum. Tractatur enim illic causa Pelagianorum, qui dicebant respectu iustificationis nostræ nos esse qui incipimus: Deum autem, qui perficit. Et ideo ait, quod qui confitẽtur præueniri uolũtates hominum Dei gratia, atq; ad nullum opus bonum uel incipiendum uel perficiẽdum sibi quẽquàm sufficere, plurimum a Pelagianorũ errore dissentiunt. Et paulo inferius. Quoniam non solum a nobis, non est incremẽtum fidei, sed neq; initium eius. Non ergo mirari satis possum Gregoriũ qui idcirco quod Augu. dixit, opus bonũ cõceperit opus morale: cũ potius lis ipsa, quæ agebatur Pelagianorũ, luculẽtissimus sit interpres, quod intelligat de operibus pertinentibus ad iustificationem. Quare quod dixit, quodcunq;, non refertur ad quodcunq; genus bonitatis, sed ad id quod est incipere, & perficere: puta, cogitare, uelle, & operari. Vide quomodo se ipse Aug. propalam exponit Hypog. li. 3. Quisquis sic liberum arbitrium esse dixerit, quod sine Deo bonum opus, id est, quod ad eius sanctum propositum pertinet, neq; incipere nec perficere possit, catholicus est. Hæc Aug. Vt ubicunq; dixerit bonum opus, intelligatur de eo quod pertinet ad sanctitatem. Vnde subdit. His enim dicitur, uos amici mei estis, si feceritis, quæ ego mando uobis. Nam opus moraliter bonũ (uti superius adnotabamus) non est Augustino absolutum bonum. Item li. de correp. & gra. Cum dixisset, quod sine gratia nullũ prorsus bonũ homines faciunt: subdit. Non solum ut monstrãte ipsa quid faciẽdum est sciant, uerum etiam, ut præstante ipsa faciant cum dilectione, quod sciunt. Nota, Cum dilectione, id est, meritorie. Et lib. 2. cap. 5. Ad peccandum (inquit) non adiuuamur a

Respõsa ad argumenta Grego. Aug. de prædest. sanct.

Aug.

Deo, iusta autem agere, uel iustitiæ præceptum omni ex parte implere nō possumus, nisi adiuuemur a Deo. Nota, Omni ex parte: id est pfecte. ¶ Secundū testimonium, et quod nullā omnino exceptionem pati, Greg. existimat, est in epistola ad Paulinum inter condemnationes Pelagij. Vbi inter alia dānatur, uictoriam nostram, quando tentationes deuincimus, non ex Dei adiutorio esse. Et fateri omnes iubemur, quando contra tentationes, concupiscentiasq; illicitas dimicamus, q̄uis & illic habeamus propriam uoluntatem, non tamen ex illa, sed adiutorio Dei nostram prouenire uictoriā. Hinc extruit Grego. insuperabilem hanc demōstrationem. Qui tentationi succumbit, peccat, debellare eam nemo ualet, sine auxilio Dei: ergo citra tale auxilium non possumus euitare peccatum: & ideo neq; facere opus quoquo pacto bonum. At uero quàmuis largiremur, ubi insultat tentatio, nequire nos naturaliter efficere bonum morale, nullum tamen haberet Grego. triumphum. Quoniam sunt alia opera, quæ possumus facere sine repugnāte tentatione. Vt dicere ueritatem, quæ nihil nobis refert, erogare tenuem stipem pauperi, obedire parētibus in re parua, & huius generis alia. Sed adiecerim prętere, quod quàmuis uehementes tentationes superare non possimus sine auxilio speciali Dei, possumus tamē exiguas: nō quidem ut Deo sit accepta uictoria nostra ad uitam æternam, sed tamen ut nouum euitemus peccatum. Natura enim nostra mansit post peccatum infirma, non tamen fuit prorsus extincta. Et ideo cum sit rationalis, potest quandoq; in rationis arce cōtinere se aduersus tentationes. Quod autem cōdemnatum est Pelagio, euidentissimum est, nō esse aliud, quàm quod ipse blasphemus affirmabat. Nempe quod poteramus taliter resistere tentationibus, ut uictoria nostra complaceret Deo, & æterno esset pręmio digna. Id quod mirum est non attendisse Grego. in alia authoritate quam ipse citat Augustini lib. 21. de ciui. dei, cap. 16. dicentis. Tunc uicta uitia deputanda sunt, cum Dei amore uincuntur. Cui consonantissime concinit S. Tho. 2. d. 28. q. 1. art. 2. ad 6. argumentum. Aliud enim, inquit, est resistere peccato, & aliud uictoriam de peccato habere. Quicūq; enim uitat peccatum, pec-

Secūdū argumētū Greg.

Rñsio.

Aug.

S. Tho.

cato

cato resistit. Unde hoc potest, inquit, fieri sine gratia. Et, quicquid alij cōminiscant̄, indubitāter intelligit, sine auxilio gratiæ. Neq; oportet, ait, quod tunc homo resistendo peccato mereatur æternum præmiū. Sed ille proprie uincit peccatū, qui potest pertingere ad hoc contra quod est pugna peccati: puta ad meritum uitæ æternæ. Et hoc nō potest esse sine gratia. Hæc ille. Quod si quis nobis obijciat quotidianam precationem, qua a Deo petimus, ne in tētationem inducamur, ubi perinde profitemur, nisi eius peculiari ope, nō posse nos ab illis illæsos seruare, huic respondemus, quod neq; solum postulamus uictoriam aduersus quasdam tentatiōes, sed aduersus omnes: neq; uictoriam qualemcunq;, sed, ut modo dicebamus, ex amore Dei uincere: & tamen neq; omnes ullo modo, neq; aliquam tali modo, sine speciali auxilio possumus superare. Et præterea, quod aliquam per solum actum bonum moralem uincamus, hoc etiam Deo acceptum referre tenemur, tanquàm authori & uniuersali gubernatori naturæ. Petimus enim ab eo pluuiam, & alia benigna tempora: atq; temporalia bona, quæ tamen per causas secundas solo generali adiutorio elargitur nobis. ¶ Aliam nobis condēnationem in eadem epistola ad Paulinum a se adfert Greg. Est enim condemnatio sexta Pelagij, dicentis, adiutoriū non ad singulos actus dari. Unde subinfert, condemnari eos qui negāt auxilium speciale ad actus moraliter bonos. Ex eo scilicet, quod dicitur, ad singulos. At uero perspicacissimum est, uocem singulos, non nisi ad tres actus referri, qui sunt, cogitare, uelle, & operari, qua parte spectant ad iustificationem. Dicebat enim Pelagius, quod saltem cogitatio, & initium fidei est a nobis. Et hoc illi cōdemnatur. Nihil autem de opere moraliter bono: sane quod ad iustificationē nihil, uel remotissime, attinet. ¶ Postremū deniq; argumentū Grego. est, qđ si sola nobiscum Deus generali influentia operaret̄ ad bona opera moralia, non aliter nos ad huiusmodi bona moueret, q̃ ad contraria mala. Quandoquidē eadē influentia cōcurrit ad hęc. Nulla tñ est huiusmodi collectio. Nam in malis culpæ solū concurrit, ut supra dicebamus, quasi author illius actus materialis, quatenus est res naturæ: in bonis uero nō id tātū,

Dimitte nobis debi. nostra.

Tertiū argumētum Gregorij.

Ultimū argumētū Greg.

ſed quatenus habent uirtutis formã, rationi congruentẽ. Dat enim nobis leges, exemplum, & naturale lumen, oſtendens nobis bona. Quibus modis non eſt Deus efficax, ut oblique diuertamus a rationis ſemita. Et hac de cauſa Aug. reprehendit Iulianum tribuentem hominibus ſi quid boni haberent, cum omnia, etiamnum naturalia, debeamus Deo. ¶ Ex ſa-

Ioan.15. cra ſcriptura nihil eſt ſane, quod nobis opponere iſti poſſint alicuius ponderis. Nam illud Ioan.15. Sine me nihil poteſtis facere, ſi obijciatur in eo ſenſu, quo deſignare poteſt auxiliũ generale, nemo negat quin ſit neceſſariũ ad quodcũq; ineundum munus. Si uero in eo quo ſignificat auxilium ſpeciale, tunc non uenit intelligẽdum niſi de opere, uel meritorio, uel diſponente ad gratiam. Et hic eſt ſenſus germanus illius loci. Præmiſerat enim Redemptor noſter. Sicut palmes non poteſt ferre fructum a ſemetipſo, niſi manſerit in uite, ſic nec uos niſi in me mãſeritis. Vbi ſermo habetur de operibus gratiæ, quæ ſunt fructus paſſionis eius. Et ideo ſubdit. Ego ſum uitis uera, & uos palmites: qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum. Quia ſine me nihil poteſtis facere. Quo nihil pertinet opus moraliter bonum. Eſt enim mos ſcripturæ, ſola opera pertinentia ad iuſtificationem, reputare aliquid: reliqua uero, nihil. Vt 1. ad Cor.7. Circũciſio nihil eſt, & præputium nihil eſt, ſed obſeruatio mandatorum Dei. Atqui de eiſdem cæleſtibus bonis ait Iaco. Omne datum optimum &

Iacobi.1. omne donum perfectum, deſurſum eſt, deſcendens a patre luminum. Ab illo autem uerbo 1. ad Cor.10. Omnia in gloriã Dei facite. nihil roboris accreſcit opinioni Gregorij. Quoniam ſi gloriam adeo uult uſurpare ſtricte, neq; illa quæ auxilio ſpeciali fiunt ab eo qui pſiſtit in peccato, fiunt in gloriã Dei: quippe cui nullũ placeat opus peccatoris. Gloſſam ergo huius loci habes cap.23. ¶ Hæc preſſius q̃ quiſpiam forte neceſſariũ iudicauerit, urgere conatus ſum, quia nõ poſſum, fateor, non ægre ferre, quàm hoc ætatis naturam humanã nõnulli proſtrauerint: affirmantes nihil prorſus boni in moribus liberum arbitrium auxilio generali Dei poſſe, at quicquid ab homine naturaliter procedat, peccatũ eſſe. Id quod ſemper abſurdiſſimum exiſtimaui. Tametſi authores nihilo

minoris sane æstimem. Dñm cum primis Roffensem, uirum sane, cum egregia eruditiōe, tum maxime omni religionis pietate usq; ad mortem præclarum, qui tamen contra Lutherum, arti.36. existimat hanc, quæ a nobis repulsa est, fuisse sentētiam Patrum, sed theologos scholasticos esse, qui hac parte contra Patres sentiant. Id quod forsan ex disputatione Gregorij ita sibi persuasit. Etenim de Augustino abūde pro tenui facultate mea commōstrasse me arbitror, non fuisse in tali opinione. Et quod Chrysost. & alij patres crebro repetunt, scilicet extra gratiam Dei, atq; minime extra fidem reperiri bonos mores, aut bonam uitam, ultro nos concedimus. Primum quod infideles opera ferme faciant ex sua falsa fide, aut alio malo fine. Mox quod si quæ sint extra gratiā. opera moraliter bona, permixta sunt cum alijs delictis multis. Et tandem, quod opera, utcunq; sint absq; charitate bona, haud tamen merentur nomen ueræ uirtutis.

Roffensis. Chryso.

De dilectione Dei & impletione præceptorum. cap.22.

IIs quæ explanata sunt instructi, facile tria reliqua quæ cap.20. in quæstionem producebamus, possumus expedire. Videlicet an possit homo ex puris naturalibus Deum super omnia diligere, seruare præcepta eius, ac deniq; omnia peccata perseueranter deuitare. Hoc enim est, de quo nos ubiq; Lutherani flagellāt, & quasi Pelagianos traducūt: hanc semp nobis intentarunt ignominiā, qd asserere pertendamus, homini a natura libertatem cum potestate suppetere, diligendi Deum super omnia, atq; seruandi præcepta absq; speciali eius fauore & auxilio. Qua de causa, inquiūt, instituere nos monachatus, aliasq; humanas leges, et pharisaicas cerimonias excogitare, quibus uelut proprijs meritis subnixi, confidimus in amicitiam cū Deo reconciliari, & æternam comparare beatitudinem. Id quod nemini unq; apud nos in mētem uenit, sed apertissime ubiq; aduersus Pelagium theologi oēs dimicant. Quā calūniam lib.2 cap. de merito congrui, & lib.3. cap. de impletione legis per auxiliū gratiæ iterum atq; iterū purgabimus. Quo ergo ad id quod propositum est, regrediamur, exordiar ab

Lutheranoɀ calumnia.

Impletio mādatorum duplex.

impletione mandatorum, de qua cap. iam. 6. diuisio à nobis facta est theologis solennis, & profectò necessaria. Porro qđ implere præcepta uno modo contingit quantum ad substātiam duntaxat operum. Atqui hoc modo constituimus illic hominem in statu innocentiæ potentem fuisse per suam naturam, utpote uestitam originali iustitia, absq; alio speciali auxilio implere omnia præcepta, propter naturæ tunc sanitatem & robur. ¶ Sit ergo hic de homine lapso propositio prima. Potest homo existens in peccato, siue ante receptam fidem, siue cum fide mortua, per sua naturalia, id est, solo generali Dei auxilio implere quādoq; præcepta, uidelicet naturalis iuris, uel diuini, uel humani, quantum ad substantiā actus. Quod est dicere, ut nec sit opus illud meritum amicitiæ Dei, neq; adeo simpliciter bonum, sed tamen neq; ullo modo peccatum: at opus moraliter bonum, quo nouum euitatur peccatum. Propositio est non solum S. Thomæ. 1. 2. q. 109. artic. 4. uerum Scoti & omnium theologorum nemine excepto. 2. sentent. d. 28. Quamuis Grego. ut sit opus moraliter bonum, exigat suum auxilium speciale. Aliter autem contingit implere præcepta, puta non solum quantum ad substantiam operis, sed quantum ad modum & finem præcipientis: nempe ut ex charitate hoc fiat, tanquàm meritum uitæ æternæ. Et de hoc iam diximus ibidem, quod neq; Adā in statu innocentiæ sufficeret uel minimum præceptum complere absq; gratia Dei gratum faciente: tantum abest, ut nos idem ualeamus. De hoc ergo secundo membro conclusionis nihil opus est disputemus: sane de quo Lutheranis unanimis consensus nobiscum est. Sed primum membrum est, de quo a nobis resiliunt, dicētes nullum ab homine euitari posse peccatum absq; speciali gratia Dei. Quod quàmuis duobus capitibus proximis ex parte demonstrauimus, denuo etiam nunc corroborandum est. In præceptis discernendum est inter substantiam præcepti, & eius finem. Præcepit nobis Deus (uerbi gratia) illa quibus nos ius naturæ astrinxerat, puta unum colere Deum, charos honorare parentes, non occidere, & cætera: atq; hæc quidem ut per ea charitatem Dei, quę, authore Paulo, finis est pręcepti, custodiremus. Sub prę-

Prima cōclusio. Mēbrū secundū cōclusionis. Primum argumētum. 1. ad Timoth. 1.

ceptis autem aliarum uirtutū (quicquid ſit de ſingulari præcepto charitatis)non comprehēditur finis, ſed ſola ipſorum ſubſtātia:ut theologi conſentienter agnoſcunt cum S. Tho. q.100. in p.2. Porro ut ſubueniatur parentibus,quando, & ubi oportet, abſtineamus a furtis,cædibus,& reliquis flagitijs. Cum ergo opera cuiuſcunq; legis (ut cap.6.dicebamus) a ratione proficiſcantur, ſitq; rationalis naturæ homo,conſequitur,ut opera eiuſmodi,quatenus ſub præcepto cadunt, naturaliter poſſit præſtare. Eatenus ſcilicet,ut non ſit reus uiolatæ legis,ſed noua ſe illa culpa liberet. Atqui ſic explicatius accipito uim argumenti,qua parte contra illos pugnat, qui aiunt, obedientiam omnem legis extra gratiam peccatum eſſe. Si unumquodlibet præceptum obligamur in gratia & charitate facere(quam tñ charitatē humano conatu cōſequi nequimus)obligatio illa naſceretur,uel ex præceptionibus ipſis,quæ ſuis proprijs materijs diuerſa ſunt,uel ex ſingulari mandato charitatis:non quidem ex alijs:quippe quibus id tantum iubemur , ut honorem habeamus parentibus , opitulemur miſeris,non furtum,non homicidium,non adulterium faciamus : quorum proximus , intrariusq; finis eſt,ut unicuiq; ius ſuum tribuatur,& alijs alij adiumento, ſubſidioq; ſimus. Neq; uero ad id tenemur ex peculiari præcepto charitatis. Nam illud, ſiquidem affirmatiuum eſt, non obligat pro tempore quocunq;, atq; adeo non eſt neceſſe,ut eodem temporis articulo, cum quocūq; alio concurrat:ſed eſt tantum exterus,& ſupremus omnium aliorum finis:& ideo eatenus neceſſarius,ut aliorum obſeruātia Deo placeat, acceptaq; ſit illi in meritum uitæ æternæ. Alias ſi ubicunq; neceſſitas alius præcepti accidit,ſubinde concurreret obligatio charitatis,quicunq; in alio delinqueret,contra hanc etiam peccaret,ut quoties quis (uerbi gratia) non honoraret parentes,aut furtum perpetraret,duorum eſſet præceptorum reus : quod eſſet præter ueritatem aſſertum . Et confirmatur præterea doctrina hæc catholicis omnibus receptiſſima ex ipſorum dogmate Lutherauorum: ſane qui in ſuis iam colloquijs,& apologijs(ut cap.19.dicebamus)lar

S. Tho.

Explicatio argumenti.

Lutheranorũ confeſſio.

giuntur nobis, sufficere liberum arbitrium lapsi hominis ad opera illa, & munera naturalia, quæ illic retulimus: puta colere agros, alere familiam, benefacere amicis, atque his similia. Hæc autem præcepta sunt & consilia iuris naturalis. Cur ergo non eisdem naturæ uiribus ualeamus etiã quandoque præcepta implere decalogi? Eo saltẽ usque, ut a nouo nos reatu seruemus incolumes. Sed respondẽt in Apologia Augustana, quod quàmuis externa illa opera ciuilia secundæ tabulæ sine Christo & sine spiritusancto aliqua ex parte fieri a nobis possint, non tamen illa quæ sunt propriæ legis diuinæ: puta Deum intus ex corde diligere, quod pertinet ad primam tabulam. Itaque nos insimulant & sugillant, quod tãtum intueamur præcepta politica & externa, quæ pertinent ad secundã tabulam, in quibus posita erant, inquiũt, iustitia philosophorum, non tamen interna, quæ pertinent ad primam: in qua

Contra Lutheranos.

proprie consistit lex diuina. Huius autem operum diuisiõis iure se ipsi possunt authores iactare. Fuit nanque semper ante ipsos merito ignota. Non enim prima & secunda tabula discernuntur per interna & externa opera, sed ex parte obiecti, quia prima tabula continet ea officia, quæ Deo in se debẽt, tam externa quàm interna. Secunda uero, illa, quæ debentur proximo itidem tam in affectu quàm in effectu. Qui enim iubetur honorare parentes, succurrere indigentibus, non furari, & reliqua, simul etiam præcipitur talem habere uoluntatem, quale est opus ipsum imperatum. Præcipimur enim non solum abstinere alieno thoro, alienisque bonis, sed non cõcupiscere uxorem aut rem proximi. Nec solus impius est, qui non defert externum honorem parẽtibus, sed qui intus odio habet. Et uice uersa, in prima tabula non tantũ præcipimur, animo super omnia Deum diligere. Quinimo hoc non est præceptum contentum intra decalogum, sed præambulum toti decalogo, quasi quoddam genus per particularia præcepta decalogi distributum, & explicatum. At primum

Primum preceptũ decalogi

præceptum primæ tabulæ est unũ Deum colere. Quo præcipimur nullum alium habere pro Deo, præter illum uerum illique soli honores habere diuinos; non modo in animo in-

tus, sed extra in opere. Atqui suo item cuiusque modo de reliquis est sentiendum. Neque uero nos tantum iustitiam philosophorum naturalium, externorumque operum, sed ueram iustitiam diuinam & totius decalogi agnoscimus. At hoc tantū docemus, quod possumus implere huiusmodi præcepta, & intus in affectu, & extra in effectu, quantum ad substantiam quidem operum quandoque naturaliter, modo iam explicato. Veruntamen quantum ad modum & intentionem præcipientis, ita ut obsequium nostrum acceptum Deo sit ad uitam æternam, nullatenus, nisi a peccato prius uere liberati per gratuitum beneficium Christi. Ita enim omnes theologi nostri sentiunt, licet nonnulli, cōpluribus alijs reclamantibus (ut statim lib. 2. patebit) uerba aliqua proferant de dilectione Dei super omnia, & merito de congruo: quæ sana indigent expositione. Quam facile aduersarij ipsi cernerēt, nisi nos iam cœpissent loco Pelagianorum habere. Quin uero addiderim tandem in calce huius cōclusionis, quod qui præcepta impleret metu gehennæ, aut infamiæ, aut cuiuslibet pœnæ temporalis, nihil peccaret, nec esset transgressor pręcepti: quoniam circunstantiæ illæ, bonæ sunt & licitæ genere suo. Timere enim malum, nihil aliud est quàm bonum. Neque ausculto theologos quosdam, qui autumant obedientiam legis timore pœnæ, peccatum esse. Si enim intelligerent, quando quis ita esset affectus, ut animo diceret, nisi obsisteret metus pœnæ nihili propter Deum legem facerem, faterer affectionem illam peccatum esse. Attamen ubi quempiam non ita Deum contemnentem timor pœnæ a transgressione arcet legis, ibi nihil inest culpæ. Licet sit obedientia illa imperfectorū. ℂ Quo ergo in diuerticulum redeamus. secunda propositio huius capituli est, quod neque quantū ad substantiā operūm possumus in hac per peccatū uulnerata natura, omnia præcepta semper implere. De hac conclusione, sicuti et de præcedēti, nonnulla est inter theologos dissensio. Nāque Greg. ut sustinet, nullum morale bonum lapso homini esse possibile absque auxilio speciali Dei, ita protinus & negare cogitur, posse ullum præceptum quoquo pacto seruari absque eodem auxilio. Nam opus præcepti etiam si fiat extra charitatem, est Secūda cōclusio.

moraliter bonum. Atq; adeo falsam reputat conclusionem proxime a nobis assertam, sua tamen opinio iam satis superq; expugnata est. Scotus uero & Duran.d.18.lib.2.in alterum extremum Gregorio contrarium, uergunt: sane opinati, quod possit homo lapsus, quo ad substantiam operum omnia præcepta facere, licet non tanta promptitudine & facilitate, quàm homo naturæ integræ: quoniam qua ratione potest unum, potest & aliud, atq; adeo omnia. Quamuis Duran. excipiat præcepta fidei & sacramentorum, quæ (ut inquit) comitem habent gratiam. De quibus statim dicturi sumus sequenti cap. At S.Thom. medius ait, quod quàmuis in statu naturæ integræ poterat homo ex suis naturalibus seruare omnia, tamen natura iam saucia minime id ualet. Sed est sicut homo ex infirmitate languens, aut cæcutiens, qui potest passus aliquot recta ire, haud tamen longius progredi. Non equidem negamus, quin quodcunq; genus præcepti possit homo implere quantum ad substantiam, sed tamen non potest omnia: id est, non pōt diu durare quin decidat, nisi Deus peculiare ferat auxilium. Et reuera experientia abunde id cōprobat. Oculis enim cernimus, homines a gratia Dei abalienatos frequenter corruere, nec esse aduersus tentationes ualidos. Vnde non consequitur. Si possit homo unam uel alterā sensualitatis incursionem sustinere, quod possit plures. Aut si possit aliqua officia, possit omnia. Vt in exemplo ualetudinarij compertū est. Et de peccatis uenialibus, etiam in eo qui est in gratia omnes negant consequentiam. Vnde Aug. lib. de hæresibus. Ad hæresim inquit Pelagianorum pertinere, ut credant sine gratia hominem posse facere omnia diuina mandata. Omnia, inquit, non, aliqua. Et eodem ptinet quintus canon Concilij Mileuitani. Quo anathema pronunciatur quicunq; dixerit, ideo nobis gratiam iustificationis dari, ut quod facere per liberum iubemur arbitrium, facilius possimus implere per gratiam, tanquàm & si gratia non daretur, non quidem facile, sed tamen possimus etiam sine illa, implere diuina mandata. Atqui ubi dicitur mandata, intelligitur, omnia. Quamobrem non solum damnatum est aduersus Pelagium, quod possumus meritorie implere mandata,

Scot. & Duran.

S. Tho.

Singula sed non omnia.

Aug.

Cōciliū Mileui.

sed

ſed etiam quod poſſimus omnia, quantum ad ſubſtantiam, ut cap. proximo dicebamus inter reſpondendum Gregorio. Enimuero, ut cap. 13. expoſitum dedimus, utranq; plagam accepimus ex culpa Adę, nempe in ſupernaturalibus, quod nõ poſſumus gratiam & gloriam noſtris uiribus promereri, & in naturalibus, quod neq; ualemus eiſdem omnia rationis officia, uti Adam, perficere: unde Aug. de pec. me. lib. 2. cap. 5. Iuſta (inquit) agere: uel iuſtitiæ præceptum omni ex parte implere non poſſumus, niſi adiuuemur a Deo. Atq; ita intelligendus eſt locus Pauli. Gentes quæ legem non habent, naturaliter quæ legis ſunt faciũt. Nempe, nõ quod omnia poſſint, ſed aliqua. Atq; id quidem per opera moraliter bona: nam meritorie nihil fieri poteſt ſine auxilio Dei. Et ita intelligendi ſunt can. 9. et. 20. concilij Arauſicani, ubi decernitur, quòd nulla facit homo bona, quæ non Deus pręſtet ut faciat homo. Scilicet quod bona moralia preſtat per generale auxiliũ: meritoria uero, per ſpeciale. Nimirũ ut omnia ſicut oportet, agere ualeamus: ut habetur can. 6. Concil. Arauſi.

¶ At de dilectiõe Dei, quod alterum membrum eſt interrogationis huius capitis, implicatior eſt, ac magis perplexa dubitatio. Videlicet an diſtinctio hæc operum, quantum ad ſubſtantiam, et quantum ad modum, locum etiam habeat in dilectiõe Dei ſuper omnia. Quod eſt dicere, an poſſit homo humanitus cum ſolo generali Dei iuuamine habere dilectionẽ Dei ſup omnia, duntaxat quantum ad ſubſtãtiam actus: itaq; per illam impleat præceptum dilectionis ut liberet ſe a noua culpa, non tamen ſufficiat obtinere diuinam gratiã. Apparet enim primo aſpectu cõtradictio, quod ſit dilectio Dei ſuper omnia, abſq; gratum faciente gratia: quoniã neq; dilectio aliud eſt, quàm charitas, neq; charitas aliter, quàm cum gratia eſſe poteſt. Et quoniam hic locus eſt, ut paulo ante dicebamus, ubi Lutherani ex nonnullis uerbis Scoti occaſionẽ nacti, manifeſtarios nos Pelagianos faciunt, nemo mihi uitio dabit, quod paulo latius ſolito rem hanc ſcholaſtice diſcutiam. Nanq; in catholicis, etiam qui hactenus a nobis ſcripſerunt, claritas ſemper huius implexi loci deſideratur. Primum omnium, quo pun-

Dilectio Dei ſup omnia.

Tribus modis accipit dilectio.

ctum, & neruus huius interrogationis aperiatur, duobus, tribusue modis usurpant theologi uocem hanc, Dilectio Dei super omnia. Vno modo pro singulari actu amoris erga Deum, qualis hac oratione profertur. Volo Deo in omnibus & per omnia complacere. Et hanc uocant dilectionem imperfectam, & obiectiuam, atque adeo naturalem: quia potest esse cum peccato mortali. Alia est perfecta & executiua, atque efficax praeceptorum Dei. Quae quidem non dicit tantum singularem actum, sed uniuersalem observantiam mandatorum. Quae propterea supernaturalis est ex gratia orta. Haec quidem distinctio fundari in illo forte posset. 1. Ioan. 2. Qui dicit se nosse Deum, & mandata eius non custodit, mendax est. Qui autem seruat uerbum eius, uere in hoc charitas Dei perfecta est. Quasi alia sit charitas imperfecta: utpote solus actus uolūtatis, quo quis dicit. Volo Deo in omnibus placere: qui tamen actus non est efficax. Et Matth. 7. Non omnis inquit Christus, qui dicit mihi domine domine intrabit in regnum caelorum, sed qui facit uoluntatem patris mei. Quasi dicat. Sunt qui in affectu dicunt, domine domine, et in effectu non obsequuntur uoluntati domini. Et quod primus actus possit haberi naturaliter, est uulgatum argumētum. Potest quis eiusmodi actum habere erga parentem, erga filium, erga aliquem utique amicū: quid ergo obstat, quo minus possit eundem habere erga Deum? Eo uel maxime, quod ut dicebamus capitulo. 4. & capitulo. 20. potest homo naturaliter cognoscere, Deum esse finem omnium. Quinimo ut praefati sumus ca. 6. naturalis inclinatio hominis est Deum supra se diligere. Hoc argumento conficiunt nonnulli, posse a nobis Deum diligi super omnia naturaliter. Quod reuera & absonum est christianis auribus, & praeter rationem collectum. Nam esto haberi ille actus naturaliter possit ab illo, etiam qui est in peccato mortali, nequaquàm dicendus est dilectio Dei super omnia. Enimuero dilectio Dei sup omnia, quod uox ipsa statim primo sono auribus exhibet, est, qua ita quis Deum diligit, ut ipsum omnibus praeferat, seque & sua omnia in ipsum referat: saltem nihil diuinae amicitiae contrarium

Actus singula. non censetur dilectio, dū est cū peccato.

admittat: iuxta euangelicam uocem. Ex toto corde, ex tota mente. Contrarium inquàm: quoniam uenialia non obstant dilectioni Dei super omnia. Hanc autem dilectionem fateor, binam esse: sane alteram naturalem, & alteram supernaturalem. Quocirca doctissime profecto & meditatissime S. Thom. 1.2.q.109. artic.3. percunctatus, an sine auxilio gratiæ possit naturaliter homo Deum diligere super omnia, respondet affirmando de homine in statu naturæ integræ, & simpliciter id negando de homine lapso. Et causa est, quoniam homo in statu innocentiæ ratione suæ naturæ, iustitia originali instituta, consyderatus etiam absque gratia gratum faciente, & alio speciali auxilio, cum nullam haberet causam peccandi, poterat perseueranter implere præcepta omnia quo ad substantiã per opera moraliter bona, & pari ratione uno actu uere referre se & omnia sua in Deum, tanquam finem naturalis boni. Homo autem lapsus non item, quia non potest naturaliter, nec quantum ad substãtiam operum, omnia seruare præcepta, quare neque omnia uno actu mẽtis uere referre in ipsum: siquidem absque speciali auxilio non potest nõ incidere in culpam, quæ sit contra diuinam amicitiam. Obidque actus ille diligẽdi Deum supra nominatus, non est censendus dilectio Dei super omnia. Tertio tamen modo accipitur dilectio pro uera amicitia Dei, ita placens Deo, ut sit meritum uitæ æternæ: nempe qua diligitur Deus, non modo tanquàm finis naturalis rerum, sed tanquàm supernaturalis, beans intellectuales rationalesque personas. Et hæc non solum in statu naturæ lapsæ, sed neque in illo naturæ integræ poterat esse absque auxilio gratiæ. Quamobrem eodem arti.3. in solutione ad primum distinguit S. Thom. duas dilectiones Dei super omnia in Adam, scilicet naturalem, & supernaturalem: alteram qua omnia referuntur in Deum, quatenus finis est naturalis boni: alteram uero, qua diligitur tanquàm obiectum beatitudinis. Per hæc apertissime intelligitur doctrina eiusdem doctoris. 1.2. quæstione. 100. arti. 10. Vbi disputans, utrum modus charitatis cadat in præcepto, id negat de reliquis: affirmat uero de præcepto ipso charitatis. Ait enim ut supra dicebamus, quod non, quotiescunque oc-

Duplex uera dilectio.

Perfecta dilectio.

S. Tho.

currit materia et tempus aliorum præceptorum tenemur ea facere ex charitate: quoniam charitas est finis extrinsecus aliorum: id est, extra ipsorum substantiã. Quandocunq; uero occurrit præceptum singulare dilectionis Dei, tenemur omnia in ipsum referre, quoniam intra eius substantiam est diligere ex toto corde. Vnde elicit, quod reliqua quidem implere possumus naturaliter, modo exposito in prima conclusione: hoc uero, minime, nisi auxilio speciali: quod tamen Deus paratissimus est nobis annuentibus ferre. His præhabitis, conclusio est tertia huius capitis. Homo lapsus non potest diligere Deum super omnia ex puris naturalibus. Quæ sic demonstratur. Diligere Deum super omnia, est omnia in ipsum referre: puta omnia præcepta eius facere, ut nulla admittatur contraria culpa: iuxta illud Ioan. 14. Qui habet mãdata mea et seruat ea, ille est qui diligit me. Et. Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & pater meus diliget eum. Hæc autem homo lapsus facere nequit sola uirtute naturali: tum propter naturæ infirmitatem, tum propter tam multa pericula, quæ per præuaricationem protoplasti nobis iniecta sunt: ergo neq; Deum ualet super omnia diligere. Vnde Augu. in epistola ad Vitalẽ. Liberum arbitrium ad diligendum Deum peccati granditate perdidimus. Et in de gratia & libero arbitrio ca. 18. ubi hunc locum ex professo constituit, omnino condemnat tanquàm Pelagianum, quod dilectio Dei non sit suum ipsius donum: his uerbis. Vnde est in hominibus charitas Dei & proximi, nisi ex ipso Deo? Nam si non ex Deo, sed ex hominibus, uicerũt Pelagiani: si autem ex Deo, uicimus Pelagianos. Et subdit uerba. 1. Ioan. 4. Charissimi diligamus nos inuicem, quia charitas ex Deo est. Primũ inquit (scilicet, diligamus inuicem) lex est: quod autem subdit, Dilectio a Deo est, gratia est. Hæc August. Quasi dicat. Diligere Deum & proximũ, idem est quod implere legem: & ideo ipse qui præcipit, dat ut possimus implere, atq; adeo diligere. Et in de correp. & gra. ut ca. 20. supra citatum est. Sine gratia inquit, nullum prorsus bonum homines faciunt. Non solum ut monstrante ipsa quid faciendum sit sciant, uerum etiam, ut præstante ipsa faciant cum dilectione quod sciunt.

Conclusio. 3.

Aug.

1. Ioã. 4.

Et in Concilio Mileuitano can. 4. anathemate percellitur, qui negauerit per gratiam Christi non solum intelligentia in nobis mandatorum aperiri, uerum præstari etiã, ut quod faciendum cognouerimus, facere diligamus atq; ualeamus. Et in Concilio Arausi.can.25. Prorsus donum Dei est diligere Deum. In summa, ubiq; dilectio et fides pari ratione asseruntur Dei dona: quia sicut non omnia supernaturalia certo ac firmiter credere absq; numine possumus, ita neq; omnia facere: unde ratio constat dilectionis. Concinit scriptura sacra. Nam sicut Paul. ubiq; repetit fidem non ex nobis, sed donũ Dei esse, ita charitas Dei, inquit, diffusa est in cordibus nostris per spiritum sanctum qui datus est nobis. ¶ At dubium est hic præcipuum. Sit ne particulare præceptum dilectionis Dei. Et deinde quidnam est, quod illo præcipimur. Ad hæc, quando necessitas eius contingit. Cogitabit enim quis forte, non esse singulare præceptum, sed genus quoddã omnibus præceptionibus decalogi uirtute contẽtum, & particulatim explicatum. Ita ut Deum diligere super omnia, nihil aliud sit, quàm præcepta sua seruare, ut uisi sumus hactenus dicere: iuxta uerba euangelica. Si quis diligit me sermonem meum seruabit. Et Paulus postquàm singulatim denarrauit cathalogum, infert. Plenitudo ergo legis est dilectio. Præsertim quod aliud subiunctum mandatũ diligendi proximum, non uidetur singularem habere materiam, præterquàm illam, quæ per præcepta secundæ tabulæ distribuitur. Atq; ideo neq; apparet, quid sit diligere Deũ, quàm ipsum colere, nõ iurare uana per eum, sabbata eius sanctificare: quæ scripta sunt in prima tabula. His ueruntamen nihil obstantibus, nemini ambigendum est, quo minus sit peculiare pręceptum dilectionis Dei. Quippe cum sub legis forma, & tenore edictũ sit, Diliges dñm Deum tuũ ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota mẽte tua, et ex tota uirtute. Vbi non solũ dilectio imperat̃, sed modus ẽt dilectionis. Atq; rõ & causa cur debuit propria statui præceptio dilectionis, est, quod, ut ait Paul. finis præcepti est charitas. Et Matth.22. In his duobus mandatis tota lex pendet, & prophetæ. Nem-

Cõciliũ Mileui: et Arausi.

Fides & charitas.

Pręceptũ dilectionis.

Rom.13.

Marci.12

pe quia tota lex in hoc posita est, ut charitas inter nos et Deũ, ideoq; inter nos inuicem constet. Non autem satis est præcepta ferri de medijs quibus uenitur ad finem, nisi & præceptũ prius statuatur ipsius finis, tanq; scopus, quo intendenda reliqua sunt & referenda. Et de hoc nulla est theologorum dissensio, sed de materia eius, & tempore. Sũt enim qui hoc præcepto solum internum actum dilectionis arbitrantur iuberi, quo nos nostrasq; actiões referamus in Deum. Et ideo cum sit affirmatiuum, non obligans pro uniuerso tempore, statuit Scot. lib. 3. d. 27. tempora implendi hoc præceptum, esse dies festos: illis enim, inquit, tenemur recolligere, nos ascendendo mente in Deum. Non est tamen, inquit, simile de præcepto diligendi proximum. Hic uerũtamen non est locus disputandi, an mandato illo tertio primę tabulæ, Sabbata sanctifices, astringamur habere huiusmodi actum amoris: at plurimi sunt, quibus hoc non potest persuasum esse, quoniam præcepto illo solum indicitur in sensu literali, requies ab omni ope re seruili. Et q̃uis finis ecclesiæ obligãtis nos interesse sacris, fuerit, ut superna animo meditãtes, immortali Deo, tum ob infinitam suam diuinitatem, laudes dicamus, tum de sua in nos beneficentia habeamus gratias, tamen finis præcepti, ut paulo ante dicebamus, nõ cadit sub præcepto. Quemadmodum licet ecclesia nos quadragesimali obseruatione extenuare in carne intẽdat, ut liberior mens spiritualibus accommodetur, tamen finis ille non est in præcepto, sed tantum ciborũ abstinentia. Marsil. uir profecto inter theologos egregie doctus lib. 2. q. 18. tenet lege hac dilectionis, obligari homines, seruare gratiam & amicitiam Dei, & perditam recuperare. Tum quia hæc ipsa uidet̃ esse notio huius nominis, dilectio, tum maxime, quoniam alias qui esset in peccato mortali, seruando omnia præcepta diuina, maneret semper in peccato: contra dictum euangelij. Si uis ad uitam ingredi serua mandata. Illationem autem inde sibi persuadet, quod ut ipse credit, potest quiuis in peccato seruare omnia præcepta decalogi quoad substantiam operum, uitando noua peccata. Si ergo non restat illi singulare præceptum recuperandæ gra-

Scotus.

Marsilius.

tiæ,fit,ut seruando omnia præcepta exulet perpetuo a regno cælesti. Hæc tamen opinio non est tantæ probabilitatis, ꝗ forte appareat uulgo: quoniam præceptiones legis non sunt de habitibus, & minus de his quæ a Deo nobis donãtur, atq; multo minime de gratia. Non enim iubemur persoluere debita ex habitu iustitiæ, aut liberalitatis, sed tantum persoluere ad iustum, licet habitus consuetudine ingeneretur. Multo minus præceptum nobis est proprium acquirendæ aut retinendæ gratiæ, quæ donum Dei est, sed ea duntaxat faciendi, quæ præcepta ipsa explicant. Quam tamen obedientiam subsequitur augmentum gratiæ, per quam acceptamur ad gloriam: iuxta illud. Si hæc scitis, beati eritis, si feceritis ea. Et pariter censendum est de præcepto dilectionis, nempe quod aliqua nobis illic mãdetur actio. Haud equidem inficiamur, teneri nos uiuere in gratia Dei: id uero non proprio præcepto, sed per consequutionem. Tenemur inquàm, asserere nos in amicitia diuina, non furando, non mechando, nullum itaq; prætereundo aliorum præceptum. Nanq; si peculiaris posita esset lex perseuerandi in gratia, rediret argumentum, quod paulo ante faciebamus: utpote quod quoties quis contra quodlibet aliorum mandatorum delinquẽdo a gratia excideret, non unum committeret, sed duo delicta. Et (quod maiorem præ se fert incredibilitatem) quamdiu quis persisteret in uno peccato, noua iugiter accumularet, ex eo quod non resipisceret. ¶ Dicamus ergo obseruantiam huius præcepti dilectionis positam esse, non in actione tantum uoluntatis intima, uerum in officijs etiam alijs nonnunquàm debitis. Neq; uero semel in uita, quod quidam satis esse arbitrantur, quin pluries obtingere & potest & solet, ubi sit debita. Esset nanq; pene superuacanea lex, & maxime dilectionis Dei, quæ per totam uitam unum tantum legitimum haberet articulum temporis: neque illum certum. Quod si roges, quæ nam sint contingentia ista tempora huius præcepti. Primum nihil profecto ambigo, quin aliquando homo obligatione huius legis teneatur se Deo mente dicare, suaq; ipsi referre instituta uiuendi, saltem

Reprobatio.

Quomodo tenemur esse in gratia

Sentẽtia authoris

Quibus temporibus occurrat præcep. dilec.

in genere,proponendo bene agere. Non est quod pertinacius contendam hoc necessarium esse,quàm primum quis uenit ad usum rationis, utpote quando iam cognitionem habet Dei,discretionemq; boni & mali:ut author est S.Thom. Tametsi hoc(nisi quod tempus non suppetit illius explicandi)non careat probabilitate:sed id tantum affirmo,quod saltem aliquando circa initium uitæ ex præcepto dilectionis a iure naturæ deriuato, tenetur id homo facere. Etenim quod pleriq; aiũt,tempus huius præcepti illud maxime esse, quod est articulus mortis,improbabile mihi prorsus est, ex eo, qđ cum præceptum dilectionis sit præceptum amicitiæ conciliandæ,conseruãdæq; per totam uitam cum Deo, ridiculum sane uidetur,quod non obliget usq; ad exitum:quando iam nullum superest tempus bene merẽdi de Deo. Igitur ut princeps a milite sacramentum exigit,& fidem amicitiæ:etiam,si opus fuerit,oppetendæ mortis:& quicũq; in suam familiam quempiam recipit,id primum requirit,ut suam sibi polliceatur fidem,amorem,& diligentiam:ita nos prorsus Deus obstrinxit hoc præcepto dilectionis. Atq; hæc est cerimonia baptismi:ubi damus nomina in militiam Christi. Sed ais, iam hoc ergo præceptum ibidem completur. Haud equidem nego,sed primum dico, hoc fuisse etiam præceptum legis naturalis ante baptismum:& modo conijcio,quod postq; Christianus adoleuerit usq; ad usum rõnis,debeat aliquãdo hunc actum dilectionis habere:quam uirtute professus est in baptismo. Neq; argumentum, quod huic assertioni obijcitur, ita multum habet roboris:puta quod rari sint qui ita faciant: rarissimi autem,qui huius negligentiæ & omissionis pœnitentiam egerint. Enimuero contra ego dico, in more christianis esse,continenter se Deo suaq; obsequia referre, & huiusmodi prætermissæ religionis culpã confiteri. Præter hunc casum occurrunt etiam tempora huius præcepti,quando offertur necessitas martyrij,uel inter infideles,uel contra hæreticos:ubi fides & religio periclitatur. Neq; tunc tantum, sed quoties quis audit blasphemum hominem de Deo obloquẽtem,tenetur non solum præcepto correptionis proximi, sed

Secũdus casus.

certe

certe dilectionis Dei, respondere pro Deo, procq; eius hono re, et nomine glorioso. Hæc enim uera est lex amicitię. Quini mo & præceptum dilectionis proximi, cuius supra memini mus, præter ea quæ cauentur in decalogo, adfert secum alias necessitudines. Etenim quando uidemus uitā, honorem, aut substantiam proximi magno subesse periculo, unde nos ip sum citra magnam iacturam nostram possemus eripere, id profecto tenemur uirtute huius præcepti. Quinimo & uitā ipsam, saltem pro republica, perstringimur nōnunquàm exponere: quod philosophos ipsos natura perdocuit. ¶ Igitur ad propositam quæstionem descēdamus enodandam de dilectione Dei. Videlicet an possit etiam præceptū hoc impleri sicut cætera, quantum ad substantiam actus extra gratiam Dei. Ad quam non simplex, sed triplex responsio est. Prima. Potest nonnūquàm ex parte adimpleri præceptū dilectionis quantū ad substātiam. Puta, quādo occurrit necessitas faciēdi peculiare aliquod externum opus: ut respōdere pro Deo, tuericq; eius honorem, quod proprie pertinet ad præceptum dilectionis: & si quid aliud est simile. Tunc enim nihil aliud cadit sub tali præcepto. Secundū membrum responsiōis est, q actū illum singularē quo obiectiue (ut lingua scholastica loqui liceat) Deus diligit, habere quis pōt extra gratiā, imo extra fidem: ut supra satis demōstratum est. Pōt.n. quis natu raliter illā habere animi affectionē, quę est. Volo Deo in om nibus, & p omnia placere: ēt dum nō faciat totum qđ debet, ne obicem opponat diuinæ gratiæ & auxilio: utpote qui ali quo errore culpa sua laborat. Pōt.n. infidelis, hæreticus, uel usurarius sic affectus erga Deū, nihilo secius existimare suā legē aut sectā ueram esse, uitæcq; institutū, licitum. Atq; hæc censeri, diciq; potest dilectionis impletio, quoad substātiam. Qua de causa ait S. Th. 3. sent. d. 27. q. 2. quod nulla uirtus est uera uirtus sine gratia: neq; ipsa charitas. Vbi significat, actū esse posse charitatis quo ad substantiā absq; gratia, et idcirco absq; modo charitatis. Tertia itaq; ppositio est. Vbi occurrit tēpus præcepti charitatis, id est, actus internæ dilectionis, nō satis est ad euitandū peccatū, impleri hoc modo quo ad sub-

Dilectio pximi.

Rndet ad qōnē de dilec.

stantiam, sicuti in reliquis omnibus præceptis, sed necesse est impleri ẽt quo ad modũ. In hoc enim præceptum hoc differt ab reliquis, ꝙ modus ipse charitatis cadit sub præcepto: scilicet, diligere ex toto corde, ex tota anima, ex tota mẽte: quod est, ita referre se & sua in Deum, ut nullũ in corde habeat contrarium obicem, quo minus assentiat & cooperetur auxilio Dei. Haud tamen intelligas præceptum dilectionis, idẽ esse, quod præceptum implendi totam legem: illud enim non est unum, sed plurima: ut, Vnum cole Deum, Non occides, &c. sed est præceptum illius actus, qui non secum admittit peccatum: & ideo habet, tanquàm circunstantiam, obseruationem aliorum mandatorum. Quocirca sicut mãdata omnia, natura lapsa, non possumus sine auxilio speciali seruare, ita neqꝫ eiusmodi actũ habere referẽdi legitime omnia in Deũ: quod tamen poterat Adam. Quare cum duplicem ipse potuisset habere dilectionem Dei super omnia: scilicet naturalem, qua euitasset omnia peccata, & supernaturalem, qua mereretur æternam gloriam, nos nõ possumus habere nisi unã supernaturalem. Et hic est intellectus S. Thomæ 1. 2. q. 100. art. 10. Vbi ait, hoc præceptũ non posse impleri, nisi per actũ, quo homo auxilio speciali disponat se ad gratiam. Nec inde fit consequens, ut Deus præcipiat nobis impossibile, cum promptissimum nobis offerat auxilium. Neqꝫ rursus inde sequitur, præceptum esse de habenda gratia, quod supra reprobauimus, sed est præceptum de officio nostro: quod diuinitus adiutum subsequitur gratia. ¶ Ex his tria eliciuntur minime silenda. Primum quod cæterorum singula præcepta impleri semper possunt extra gratiam: etiam ubi nulla subsequatur gratia: non quidem ut obsequium sit Deo acceptum, sed ut se homo a noua culpa eripiat: quoniam modus, scilicet ex toto corde, non est de essentia aliorum præceptorꝫ. Et quidem de præceptis secundæ tabulæ, iam explicatum est. Sed id etiam asseritur contra Durandum de præceptis fidei, & sacramentorꝫ. Põt enim quis hoc imperfecto modo, implere præceptũ baptismi extra gratiã, ut si baptizetur, putans se nullũ ponere obicem, cum tñ sua culpa laboret aliqua

Primum corollarium.

Contra Durãdũ

ignorãtia alicuius peccati, in quo est: nõ adhibens diligentiã quam debebat uestigandæ ueritatis. Et si ita dispositus accedat ad confessionem, credo immunis erit pariter a noua culpa omissionis illius præcepti: licet propter occultum obicem, non sit suscipiendæ gratiæ idoneus. Non nego quin fuerit necessaria reuelatio fidei, uel in suscipiente, uel in alio qui cæperit prædicare: sed dico, quod poterit quis sacramentum recipere sine gratia: dum cum tali obice baptizatur, aut confitetur. ¶ Secũdum quod ex supradictis elicitur, est, quod nullus prorsus est actus unus singularis in uiro iusto, cuius similis quantum ad substantiam esse non possit in eo qui est extra gratiam Dei. Imo uero cum per se notum sit celebratissimum illud axioma, quod bonum est ex integra causa, malum autem ex defectu cuiuscunque necessariæ circunstantiæ, nullus est actus adeo heroicus, quin mutata circunstantia, fiat malus. Actus inquàm ipse dilectionis Dei, ut ex supremo iudicium capiamus inferiorum, si fiat quando non oportet, erit peccatum. Vtpote si quando quis tenetur uacare alij necessario officio: ut succurrere misero extrema patiẽti, prędicareue, seu administrare quodcunque aliud munus publicum, tum mauult quietus manere in contemplatione Dei, atque ea de causa debitum officium deserit: certe actus ille dilectionis peccatum est, quia causa peccati. Quocirca nullus esse potest actus dilectionis adeo perfectus, qui sit in indiuiduo essentialiter bonus, sed omnis carere põt comitatu gratiæ Dei. Atqui tunc sortitur simpliciter nomen dilectionis, cum nihil adest operis, quod amicitiæ diuinæ aduersatur. ¶ Postremo denique ex istis colligimus, neminem, citra priuilegium speciale reuelationis, certum esse posse sui status: puta an sit in gratia, nec ne. Cum enim misericordia Dei nostra exigat opera: quæ, ut modo dicebamus, similia esse possunt in iustificato, & in eo qui ob inscitiam aliquã extra gratiam Dei est, non restat unde talem certitudinem habeat: qualis est scientiæ aut catholicæ fidei. Talem enim omnino amorem Dei in se experitur infidelis & hæreticus, quantum ad substantiam, qualem catholicus, eodemque feruore & co-

Secũdũ corollarium.

Tertiũ corollariũ de certitudine.

natu mortem oppeteret pro sua fide. Sed de hoc iustum tractatum fecimus li.3. ¶ His de impletione pręceptorum et dilectione Dei expeditis, citra negotium patescit de euitando omni peccato: quæ sit huius capitis conclusio quarta. Nemo in statu naturæ lapsæ ualet absq; auxilio speciali gratię uitare omne peccatum. Patet ex secũda ante asserta propositione, quia si non potest propter infirmitatem naturæ implere omnia præcepta, fit, ut nec possit uitare omnia peccata, non solum uenialia, sed neq; mortalia. Quoniã uenialia, neq; in gratia possunt uitari omnia: ut lib.3. dicturi sumus. Superflua est hic distinctio quorundam inter præteritum & futurum peccatum: uidelicet, quod præteritum nõ possumus uitare sine gratia, bene tamen futurum. Nam reatum præteriti peccati non dicimur uitare, sed ab illo liberari: quod constitutissimum est, fieri non posse, nisi per gratiam Christi: uitari autem & caueri dicitur respectu futuri. Et de illo statuitur hic hæc quarta conclusio. Quæ est S. Thomæ eadem q.109. 1.2.art.8. Potest enim, inquit, homo ante gratiã singula mortalia uitare, non tamẽ diu manere absq; mortali. Et est profecto pulchra analogia, quam supponit huic conclusioni. Nempe quod quemadmodũ ex eo quod appetitus sensualis non est plene rationi subditus, non potest homo, etiam in gratia per quam subditus est Deo, omnia uitare uenialia: ita ex eo, quod extra gratiã ratio non est omnino subiecta Deo, qui est finis nostrarum actionum, non potest homo non aliquando offendere circa media contra eundem finem: quod est mortale. Vnde super Ezechielem Greg. Peccatum quod mox per pœnitentiam non deletur, suo pondere ad aliud trahit. Et Chrysost. super illud Matth.21. Soluite & adducite mihi. Sicut nauis, inquit, fracto gubernaculo, non quo uult uadit, sed quo tempestas impellit, ita homo, diuinæ gratiæ auxilio perdito, non agit quod uult, sed quod diabolus ei intendit. Et hanc pariter sententiam pronunciauit ecclesia contra Pelagium in concilio Mile. & in Carthagi. ut refert Aug. ad Paulinum: scilicet, quod liberum arbitrium non est firmum & ualidum ad non peccandum sine auxilio Dei: ut su

Margin notes: Euitare peccata. — S. Tho. — Grego. — Chryso. — Concil. Mile. & Cartha.

pra cap. 21. dicebamus. ¶ Postrema deniq; conclusio huius capitis, ex superioribus appendix est, quod absq; auxilio speciali non potest homo perseuerare in gratia: sed hæc, quia de homine iā iustificato enunciatio est, ad tertium lib. pertinet.

Postrema conclusio.

Quo aduersarijs respondetur. cap. 23.

SVperest in hoc postremo capite nōnullis ex theologis contra sentientibus respondere, ac demum Lutheranis satisfacere. Scot. fuit, & qui eius authoritatem sequuntur, unde Lutherani scandalū acceperunt, ut uniuersitatem theologorum Pelagianæ hæresis insimularent. Hic enim lib. 2. distinct. 28. inter loquendum de præcepto, quod est. Diliges dominum Deum tuum ex toto corde tuo, dicit, quod quādocunq; uoluntas exequitur actum huius præcepti, licet informis, disponit se de congruo ad gratiam gratificantem: cui oblatæ, uel resistit, & peccat: uel consentit, & iustificatur. Tria ergo uel quatuor uidetur asserere. Primum, quod possit homo habere dilectionem Dei, etiam executiuam illius præcepti (ut uerbo eius utamur) ex puris naturalibus: quoniam quæstio est illic, utrū naturali facultate liberi arbitrij possit homo uitare omne peccatum. Secundo, quod talis dilectio est dispositio sufficiens ad gratiam, quippe quam consequitur gratia, nisi homo resistat. Atq; adeo meritum eius de congruo. Et ita propter eius authoritatem ferme tenet schola nominalium. Et Adrianus quolibeto. 7. q. 4. Et tandem uidetur respondere affirmatiue ad quæstionem, quod potest homo naturaliter omne peccatum uitare. Et ita tenet Duran. eadem distinct. saltem de peccatis, quæ sunt contra decalogum, & contra totum ius naturæ: nam de præceptis sacramentorum secus censet. Sed primū omnium, ut hoc cū Lutheranis expostulemus, esto pars aliqua scholasticorū, in suspitionē illis ueniret de crimine Pelagiano, cur in uniuersum reipublicæ catholicorum illud impingūt? Habebant S. Thomā, & cōplures alios, qui secus cēsent: ut monstratū est. Et prꝫterea Scot. non asseruit, dilectionem Dei super omnia esse naturalem homini lapso, nisi loquendo de illo simplici actu, quem supra diximus, non esse

Scotus.

Adrian.

Duran.

ſimpliciter dilectionem. Nam tertio, diſtin. 27. ubi in diſputationem mittit, an neceſſaria ſit infuſa charitas ad diligendum Deum ſuper omnia, reſpondet cum temperamento, profecto ut S. Thom. ſcilicet quod homo in ſtatu naturæ inſtitutæ potuit ex puris naturalibus diligere Deum ſuper omnia. Et quàmuis in hoc non omnibus ſit probata ſententia Scoti, quod ille actus dilectionis ex facultate naturæ, ſit diſpoſitio & meritum de congruo ad gratiam, nõ tamen exinde in Pelagianos incurrit, ut ſui interpretantur. Quoniam in merito de congruo nihil agnoſcunt debiti uel iuſtitiæ: ut dicebat Pelagius. Tametſi de hoc uerborũ tinnitu, paulo poſt lib. 2. preſſius acturi ſumus. ¶ Interim ad duo argumẽta quæ contra nos proprie extare uidentur, reſpondendum reſtat. Primum eſt. Si mandata implere poſſumus, quantũ ad ſubſtantiam actus, per naturalem uirtutem liberi arbitrij, neq; modus ille charitatis ſupernaturalis eſt in omnibus neceſſarius, fit, ut per eandem naturalem uirtutem poſſimus amicitiam Dei & æternam hæreditatem promereri: quod eſt Pelagianum. Nanq; ut huiuſmodi præmia mereamur, ſatis eſt implere mandata: iuxta illud. Vos amici mei eritis, ſi feceritis quæ præcepta ſunt uobis. Et iuxta illud. Si uis ad uitam ingredi ſerua mandata. Quod ſi quis reſpõderet, quod Chriſtus redemptor noſter intelligebat de obedientia mandatorum, quæ fit ex gratia & charitate, profecto talis reſponſio principium petere uideretur: nam idem eſſet tunc dicere, uos chari mei eritis & amici, ſi in charitate & amicitia mea permanſeritis. Adde, quod cum gratia Dei ſit acceptatio ad gloriam, perinde eſſet dicere: ſi uis ad uitam ingredi ſerua mandata, acſi dictum eſſet, ſi uis ad uitam ingredi, eſto per gratiam acceptus ad uitam. Et tamen Chriſtus intendebat conſequentiam facere ab obſeruantia mandatorum ad gratiam & gloriam. Quaſi obſeruantia eſſet medium ſeruandæ gratiæ, & uia ueniendi ad gloriam. Atq; adeo qui concedit, mandata ſeruari poſſe ex uiribus naturalibus, in ſcopulum Pelagianorum uidetur impingere. Ad hoc reſpõdetur, quod qui concederent, omnia prorſus præcepta impleri poſſe quantũ

Primum argumẽtum.

ad ſubſtantiam actus, per naturalem facultatem, extricare ſe ægre poſſent ex hoc loco, niſi aliqua effigie petitionis principij. Tametſi non eſſet omnino petitio principij ſenſus ille. Si feceritis amore mei precepta mea, eritis amici mei, & habebitis uitam æternam. Attamen nos facilius reſpondemus, quod neq; quantum ad ſubſtantiam actus poſſumus naturaliter implere omnia abſq; auxilio ſpeciali, neq; præceptum dilectionis, quantum ad modum, qui neceſſarius eſt. Quocirca uerum eſt, ut quicunq; præcepta ſeruauerit, iam innitatur ope & gratia diuina. Et idcirco nullatenus ſequitur, poſſe quempiam ex naturalibus, uel gratiam aſſequi, uel gloriam. At reſtat adhuc argumentum ſupra factum ex Marſilio, nempe quod inter præcepta unum debet eſſe, ut qui eſt in peccato, diſponat ſe perfecte ad gratiam: alias complendo mandata, peregrinaretur ſemp extra gratiã Dei. Hic primũ in confeſſo eſt chriſtianis, quod ſit neceſſarium agenti in peccato permittere ſe Deo, ut eius fauore diſponatur ad gratiã, & reconcilietur: alias ſuperuacaneum eſſet, reliqua ſeruare. Neceſſarium inquàm neceſſitate finis, ſine quo de præterita culpa damnabitur. An uero ſit ſingulare præceptum, ut noua ſit culpa, non habere tantam diſpoſitionem, quàm ſufficit ad gratiam, nihil hic diſputamus: ſed tamen neq; conuincitur præfacto argumento. Nam ſenſus quidem genuinus illius uerbi. Si uis ad uitam ingredi ſerua mandata, eſt, ut qui nunquàm in uita ullum fregerit, intrabit ad uitam. Etenim qui ab infantia ſua nihil mali fecit, ut iuuenis ille euangelicus de ſe aiebat, eidem neq; in lege naturali Deus deeſſet, quo minus ad ſe traheret. Qui tamen aliquod tranſgreſſus eſt, licet omnia alia ſeruauerit, propter illud præteritum, multabitur uita æterna: niſi mentem mutauerit. ¶Eidem præterea aſſertioni, utputa quod non ſit neceſſarium omnia præcepta implere ex charitate, ſaltem ad euitandum nouam culpam, opponitur locus ille. 1. ad Corin. 10. Omnia in gloriam Dei facite. Sermo hic tamen, uel præceptum poteſt eſſe, uel conſilium. Sed & fieri quidpiam in gloriam Dei, nõ unum ſed duos poteſt habere intellectus. Primus eſt, ut Deo uere

Rñſio. Replica. Si uis ad uitã ingredi. Secũdũ argumẽtum. 1. Cor. 10.

opus placeat, acceptumque sit ad uitam æternam: alter ut opus illud genere suo sit bonum, & honestum, unde uidentes dent gloriam Deo: iuxta illud Matth. 5. Sic luceat lux uestra coram hominibus, ut uideant opera uestra bona, & glorificent patrem uestrum qui in cælis est. Si accipiatur gloria primo modo in sensu, ut sit præceptum, tunc dicendum est, quod cum sit affirmatiuum non obligat (ut aiunt) pro semper: sed pro tempore quo obligat præceptum dilectionis. Et hæc est expositio S. Thomæ loco citato. 1. 2. q. 100. arti. 10. Potest tamen accipi in sensu, ut sit consilium: & hic uidetur propinquior literæ: scilicet, siue comeditis, siue bibitis, &c. omnia actu referatis in Deum. Potest tertio denique, quod forsan est uero propius, accipi gloria secundo modo, ut sit sensus, neque talia sint opera uestra, quæ non possint in Deũ referri (qualia sunt peccata) & quæ genere suo honesta feceritis, ne referatis in uestrã gloriam uanã, sed qualia genere suo sunt, ita faciatis, ut in gloriã Dei cedant.

Cui est soli honor & gloria in secula seculorum Amen.

Finis primi libri.

FRATRIS DOMINICI SOTO SEGOBIENSIS ORDINIS PRAEDICATORUM. De natura & gratia.
Liber secundus.

De dispositione ad gratiam. cap. 1.

Librum ergo primum, Deo perfectore, cōpleuimus: quo de triplici hominis habitu p angustia ingenij nostri disputauimus. Nempe si in pura nudaq; natura fuisset conditus, quænam libero arbitrio officia posset cū generali influentia Dei, & ubinam speciali egeret. Atq; si in iustitia originali perstitisset, quid suapte etiā natura ualeret, & ad quid indigeret gratia. Ac demum quousq; hominis lapsi naturalis facultas sufficiat in bonis moribus, & in qua re deficiat. Subsequitur euestigio, ut de iustificatione eiusdem hominis per Christum seruatorem nostrum dicamus. Quatuor enim hos hominis status instituimus præsenti opere efformare. At quoniam iustificatio, una est, qua iniustus, mutata mente, in gratiam Dei recipitur: altera uero, qua iustus iustis operibus iustificatur adhuc, in hoc secūdo libro de prima: in tertio demum, de altera erit sermo. Sane ut in hoc causas, rationes, modum, & ordinem dilucidemus, quibus lapsus homo iustificatur: atq; in tertio potestatem, facultatēq; iustificati expendamus. Quocirca in enarratione ferme ambo & apologemate positi sunt sextæ sessionis S. nostræ Tri. Synodi: quę est de iustificatione. Tri. Sy. Atqui quàmuis in superiori non defuerint nobis Lutheranorum incursus, quibus cum idcirco fuit crebro confligendum, hi tamen libri sunt, in quibus maiora subeunda nobis sunt cum illis certamina. Hic quippe in illa inextricabili & molestissima quæstione totus uersatur, an sola fide iustificemur: ac ferme tertius, in illa, an sola fides sit, Argumentū. qua legem implemus. Illa enim uocula, sola fides, eo est usq;

penitus nescio a quo irato Deo obtrusa istorum mentibus, ut non iam intra uerba, sed toto concusso orbe armis de illa depugnetur. Quamobrem, ut in operis uestibulo præfati sumus, hoc potissimum loco deinceps uersabimur, ut enarremus, modum quo FIDES PER CHARITATEM OPERATVR. Est itaque in tria membra dissecta meditatio hæc iustificationis. Quoniam consyderanda sunt opera: primum, quæ antecedentia sunt iustificanti gratiæ, mox quæ in ipso coeunt iustificationis momento, ac demum quæ in homine iam iustificato subsequuntur. Aiunt enim Lutherani præcedentia, omnia esse mala: concurrentia, nullius esse efficientiæ ad recuperandam gratiam: atque subsequētia, nullius esse meriti ad uitam æternam. De primo genere diximus libro primo: de tertio, dicturi sumus in postremo: ac de secūdo, in hoc medio. At opera præcedentia, alia sunt mere naturalia, quæ non fiunt tanquàm proprie dispositiões ad gratiam: de quibus monstratum est, non esse cuncta, peccata, sed nonnulla moraliter bona: alia uero sunt, quibus gratiæ ineundæ adparamur. Atque ab his proficiscatur oportet disputatio præsens.

Opa triplicia.

De quibus trina est quæstio examinanda. Videlicet, an ualeat se homo præparare ad gratiam: an id quidem absque speciali auxilio Dei: an denique huiusmodi opera, quæ anteueniūt gratiā, sint meritum aliquod eiusdem gratiæ, saltem de congruo. Prima quæstio inter catholicos citra controuersiā diffinita est ad partem affirmatiuam, licet utrum id possit naturaliter, non inter omnes conueniat. Sed Luthe. fuit, ut cap. 19. referre cœpimus, qui nescio quo prætextu extollēdæ gratiæ Christi, dispositionē omnem, & præparationem respuit in nobis. Cuius uerba iam cap. 15. ex suo articulo. 36. a nobis allata sunt. Vbi ait. Liberum arbitrium post peccatum res est de solo titulo, & dum facit quod in se est, peccat mortaliter. Et art. 6. Cōtritio, inquit, quæ paratur per discussionem, collectionem, & detestationem peccatorum, qua quis recogitat annos suos in amaritudine animæ suæ, ponderando peccatorum grauitatem, multitudinem, fœditatem, amissionem æternæ beatitudinis, & acquisitionem æternæ damna-

Triplex quæstio.

Luther.

tionis. Hæc contritio facit hypocritam, imo magis peccatorem. Hæc Luthe. Atqui hoc loco nunquàm hactenus eius familia cessit, quin uero abhorrent audire dispositionis præparationis ue nomen. Inclamantes in suis omnibus colloquijs & apologijs, inde turpiter extenuari gratiam Christi. Hunc ueruntamen nos locum bona iam ex parte constituimus capite. 15. ubi demonstrauimus, libere nos a Deo moueri, dum nostram in nobis operatur salutem. Et deinde cap. 19. ubi dilucidauimus, non omnia opera extra gratiam peccata esse, quinimo nonnulla fieri modo quodam posse bona: quare breuior modo faciliorq; erit expeditio. Potissimũ, quòd infra de dispositio nibus in particulari, & indiuiduo redibit sermo. Est ergo cõclusio catholica, Lutheranæ contraria, neminem suæ uoluntatis utentẽ arbitrio cũ Deo reconciliari, nisi motione liberi arbitrij dispositum & præparatũ, ut. S. modo Synodus definiuit. Huius mihi equidem prima ratio ex rerũ natura refulget. Fides nãq; (quod contra istos nunq; non est inculcandũ) uirtutes quas natura docet non reijcit, sed quæ per se non sufficiunt, perficit: est aũt mortalium animis nullũ aliud ius penitius insitum, quàm in amicitijs reconciliandis necessariam primum esse iniuriarum in eo qui intulit, pœnitentiam, ut in eo qui accepit, consequatur obliuio, qua ratione odium radicitus conuulsum, locum faciat amori: ergo & Deus naturæ perfector eandem a peccatoribus exposcit animi præparationem. Nisi quod cordium ipse inspector falli non potest specie ulla pœnitentiæ foris conficta, nisi in animo sit intus uera. Neq; uero per hoc quicquàm detrahiť gratiæ, & misericordiæ Dei, non solum quod proxima dispositio a præueniente Deo in nobis fit: ut cap. sequenti dicturi sumus, uerum etiam quod non ita huiusmodi præparamenta constabilimus, ut inter nos, dum inimici eius sumus, & Deum, ulla sit uera ratio iustitiæ, usq; dum per misericordiam suam accepta sibi sint opera nostra. Quare absq; argento, aic Propheta, redimemini. Et, Venite: emite absq; argento, & absq; ulla commutatione, uinum & lac. Sed ais. Christus iam pro nobis mortuus est, pretium delictorum totius mundi persoluens, quid opus ulla est nostra dispositione?

Conclusio Triden. Syno.

Prima ratio.

Esa. 52.

Rñsio Lutheranorũ.

Nimirum, quod uti opera nostra nullius fuissent ualoris, nisi pretium ipse persoluisset, ita neminem preciosus idem sanguis abluit, nisi assentientem & cooperantem: præterquàm paruulos, qui ab originali culpa, quam aliena uoluntate contraxerant, absq; propria uoluntate sacramento lauantur. Id quod cap. citato libri superioris. 15. compluribus testimonijs, & rationibus suffulsimus: Sane, quod cum homines simus, atq; adeo liberi, iuxta nostrã naturam a Deo mouemur. Hac enim de causa, nulla irrationalium creaturarũ capax est gratiæ Dei, quia neq; idonea est, ut rõne ducat. Ob idq; ut illas in suos ipsarum fines, iuxta naturã suam naturaliter mouet (quare nec laudi illis est moueri, nec uituperio, si nõ moueãtur) ita nos ad se, qui finis noster est, iuxta ingenium nostrum libere trahit, ut assensus noster, & obsequentium cooperatio laudi nobis detur: refutatio uero, crimini, & probro. Quas, aliasq; id genus causas diffusissime ibidem suis numeris locupletauimus. Atqui nisi assensum cooperationemq; liberi nostri arbitrij operiretur Deus, quid ad ostium cordis nostri, ut in Apocalipsi est, pulsare perseuerat? Num effringere non posset ferreos obices pectoris nostri? Nonne qui solẽ de nihilo fecit ea potestate, ut aerem absq; eius assensu ac nutu illuminaret, dum uenit ipse lux uera, nisi spontaneam cooperatricem uoluntatem nostram præstolaretur, uniuersum genus humanum gratia sua subito perfunderet? Profecto nihil opus esset uocare nos ad pœnitentiam, allicere ut ueniremus, & ut conuerteremur ad ipsum, atq; adeo eos terroribus percellere, qui sunt rebelles. Neq;, uæ, illud Hierosolymis dixisset, quod toties uolenti eos cõgregare, ut gallina pullos, restitissent, nisi hanc præparationẽ nostram animi necessariã (ut in iure erat naturali) statuisset. Neq; obstinatio alias cordis nostri, culpa esset nostra, nisi nostra esset dispositio necessaria. At quia patientia, & expectatio Dei, ut author est Paulus, ad pœnitentiam nos, non cogit, sed adducit: ideo qui nõ conuertuntur, furorem & iram thesaurizant in die iræ. Vnde Chrysost. Homil. 9. super Ioannem, Deus, inquit, neminẽ cogit, sed suadet ut recte faciamus, & quicunq; ipsi assentiuntur, & allicit, & trahit. Propterea cum ueniret in mũdum, alij

Rationes aliæ conclusiõis.

Chryso.

eum receperunt, alij eum neglexerunt. Nullum seruorum Deus uult inuitum, nullum coactum, sed eos tãtum, qui spõte sua ipsum optant, ipsum amplectuntur, & gratiam se Dei & uirtutis habere intelligunt. Homines enim (utpote quibus necessario seruorum opera & seruitio opus est) improbos & dicto non audientes seruos, possessionis iure coercent, Deus: autem cum sibiipsi sufficiat, et nullius indigeat, nostræ duntaxat salutis gratia, omnia operatur, nosq; ipsos nostri arbitrij, & iuris esse libere permittit. Quod si nolentes ad seruiẽdum traheret, non secus eis deberet, acsi nullum prestitissent seruitium. Hæc Chryso. Vnde illud concilij Arausicani can. 4. q. Deus ut a peccato purgemur, uoluntatem nostram non expectat, non ita audiendũ est, quod non operiatur assensum nostrum, sed quòd non ipsum nos, sed ipse nos præuenit. Et eodem modo respondet Aug. lib. 1. contra duas epist. Pelag. cap. 19. ad argumentum, quod fieri potest ex uerbo euangelij. Nemo potest uenire, nisi pater traxerit, ubi cum non ait, duxerit, uidetur Christus insinuare, homines nolentes, atq; adeo non assentientes trahi. Nam trahitur quis nolens, ducitur autem uolens. Respondet inquàm, dictum esse, traxerit, nõ quia aliquem Deus trahat ui: imo nemo, inquit, uenit nisi uolens: sed ne ex uerbo, duxerit, occasio daretur suspicandi, quod nos prius uolumus, dictum est, traxerit. Non quod nolentem cogat, quia impossibile est, inquit, ut quis nolens credat: sed quia ex nolente facit uolentem, Vnde ut lib. 1. cap. 15. adnotauimus, falsissime, & turpissime Luthe. artic. 36. citat Augustinum in eodem libro, quod nolentes Deus, & reluctantes conuertat. Est ergo necessaria assensio, cooperatio, atq; adeo dispositio nostra ad nostram iustificationem. Quã ob causam Apost. ad Philip. 2. Cum metu inquit, & tremore uestram salutem operamini. Deus est enim, qui operatur in uobis, uelle, & perficere pro bona uoluntate. Quasi dixisset. Quàmuis Deus sit qui uolũtatẽ uestram mouet, uos autem nihilominus debetis cum tremore per liberũ arbitrium cooperari. Id quod sapienter Aug. cap. 9. adnotauit in de gra. & lib. arbi. ¶ Quod si motus uoluntatis nostræ ad pœnitẽtiam, ut in primo argumento mõstrabamus, necessaria est præpa-

Conci. Arausi. Aug. Luthe. Phili. 2. Aug.

ratio gratiæ, inde fit consequens, ut quæ nos cuncta in hunc saluberrimum affectum commouent, præparatio etiam sint nonnulla, licet non ita proxima & necessaria. Vti terrores inferni & iudicii Dei: quinimo metus ignominiæ apud homines, & aliarum pœnarum, quæ lege decretæ sunt delictoribus & criminosis. Huius testimonia uulgatiora sunt in utraq; pagina sacra, quàm ut sit opus tanta hic nos prolixitate molestos esse. Est enim ueteris testamenti historijs quàm plurimis memoriæ proditum, ut Deus hostium pauoribus, comminationibus, alijsq; flagellis durum illum & uolubilem populum sæpe cohibuisset, & in uiam reuocasset. Vnde

Psal.77. Dauid. Cum occideret, inquit, eos, tunc quærebant eum, & reuertebantur: seu ut alia habet lectio, reuerebantur. Et iterum. Clamauerunt ad dominum cum tribularentur. Atqui ipse idem artifex conficiendæ medicinalis pœnitentiæ. Cir-

Psal.17. cundederunt me, inquit, dolores mortis, & torrentes iniquitatis conturbauerunt me. Dolores inferni circundederunt me: præoccupauerunt me laquei mortis: in tribulatione mea inuocaui dominum. Sed superuacaneum est ista mendicare, cum euangelium sit apertum. Sane cuius prædicatio a pœnitentia, atq; ab incussione metus gehennæ cœpit: Ita enim Ioan. Genimina uiperarum quis demonstrabit uobis fugere a uentura ira? Et Christus ipse redemptor noster timere nos eum iubet, qui potest corpus & animam mittere in gehennam, atq; adeo perhorrenda signa extremi illius diei. Vulgaria sunt hæc. At expendamus quomodo nostri Protestantes deludere hæc uniuersa moliuntur. Fatentur quidem in confessione Augustana, & ubiq; prædicationem euangelicam redarguere peccata, ut perterrefacta corda ad fidem confugiant. Sed addit Melanthon in sua apologia, quod antequàm uincamus terrores illos per fidem, peccata, ipsi etiam sunt. Et Bucer. in eo libro, quo compositor prodiit controuersiarum, ait, quod quæcunq; opera præparationis, etiam contritio ipsa, antequàm adsit fides (& intelligit, antequàm adsit gratia) peccata sunt. In eadem semper salebra cum suis complicibus hærens, quod qui in peccato est, atq; adeo filius iræ Dei nihil efficere po-

Impugnatio Lutheranorum.

Melanthon.

Bucerus

test, nisi quod ira etiam dignum sit Dei. Sed huc istos conuenire cupio. Si terrores illi inferni, quod nobis peccata nostra minantur, in hoc Christus nobis intulit, ut per illos reuocemur in fidem suam & gratiam, quo modo peccata sunt, etiã antequàm perueniatur ad gratiam? Nunquid Deus nesciuit nos ab iniquitatibus nostris alio compendio dimouere, quàm in noua nos conijciendo crimina? Esto, non statim cõsequantur effectum suum, ideo sunt peccata censenda? Si homo crudi pectoris uerba Dei audiens in concione nõdum emolliri satis potest, idcirco uerbum Dei audisse peccatum est illi? Nunquàm ne consyderastis, quod si terrores illi peccata sunt, peccatũ etiam erit illos hominibus incutere? Atq; adeo (ne in Christum illos etiam incutientem tantam proferamus blasphemiam) saltem Ioan. dum progeniem uiperarum a uentura ira perterrefacit, & Petrus & Paul. & apostoli reliqui dum peccatoribus pœnitentiam prædicabant, culpa se ipsi & crimine implicabãt, plebẽ commouentes ad malum? Merito sane censenda noua est theologia hæc, quæ uos hæc commenta docuit. Quoniam nulla, si dialecticam nostis, collectio est, ut si homo sit filius iræ, quæcunq; opera faciat, digna sint iræ. Hoc enim loco, satis uos credo, depulimus cap. 19. prioris libri, & iterato de eadem re uobis respondebimus lib. 3. cap. 4. Incassum profecto positę essent pœnæ, siue ęternæ a Deo, siue ab hominibus temporariæ: iuuenum admonitiones & consilia, ac deniq; remedia omnia ad cohibendum iniquos: quinimo perniciosa essent talia instituta, si metus eorum, peccata essent, antequàm homines peruenirent ad gratiam. Reuera clementissimus atq; in nos benignissimus Deus, ut crebro est apud Chrysostomum & cæteros patres, non in id potissimum supplicia inferni esse uoluit, ut perditos homines cruciaret (tametsi & hæc iustitia sua est) sed certe ut inferni pauore a delictis arceret, quos misericorditer præmiaret. Quinimo & ciuiles pœnæ simili intentione decretæ sunt. At ex illo filio prodigo euangelij, manifestum sumitur aduersus istos argumentum, sane qui postquàm dilapidauerat paterna bona, egestate compulsus, & pedore, & pudore, quod porcos pasceret, de reditu co-

Ratio notãda.

Dissoluitur argumẽtũ Lutheranũ.

Exẽplũ de filio prodigo

gitauit. Nisi forte defendere uelint, quod confusio illa & horror, quem concepit, & mendicitatis afflictio, antequàm eum pater in gratiam reciperet, peccata essent omnia. Igitur licet metus gehennæ, & alij id genus, in quos delicta nostra nos mittunt, non sint, absente gratia, absolutę uirtutes, non tamē protinus fit, ut sint peccata, sed sunt utilia bona. Id quod in

Aug. exemplo Augustini tract. 9. super epistolam Ioan. de seta introducente linum, conspicuum est. Seta enim fragilior est ac debilior, quàm ut possit corium consuere, non tamen consequitur, ut si non habeat robur & firmamentum lini, propterea sit mala: nam utilis est inducendo lino, quod illa exclusa corium continet. Ita omnino quàmuis timor qui præit charitatem, non satis nos Deo conglutinet & compaginet, utilis tamen est illi inducendæ, quæ: foras misso timore, id præstat. Quamobrem tanquàm initium sapientiæ, bonus est timor domini. Præterea mirabile est, quod lugere charorum mortes & alias calamitates, illis etiam qui sunt in peccato, nō sit peccatum, et tamen deplorare miserias, in quas nostra nos flagitia intulerūt, peccato nobis & hypocrisi imputetur. Porro dolores parturientis utcunq; ipsam discrucient, non æstimantur mali, quando uiam edendo fœtui aperiunt. Vnde

Esa. 26. Esa. secundum hebraicam ueritatem. Sicut quæ concepit cū appropinquauerit ad partum, dolens clamat in doloribus suis, sic facti sumus a facie tua domine. Concepimus, et quasi

Hiero: parturiuimus: & peperimus spiritū. Vbi Hierony. Sicut ad partum, inquit, mulier appropinquans, dolore cogitur exclamare, sic nos angustia requirimus te, & a facie fortitudinis tuæ concepimus, & parturiuimus & peperimus, non carnis liberos, sed spiritus. Neq; alio olim Deus nutu Niniuitis terribile illud iudicium per Prophetam denunciauit, nisi ut terrore illos disponeret ad gratiā. Quare blasphemia esset dicere, terrorē illum fuisse illis peccatū. Quin ut cap. 18. lib. 1. dicebamus, ut Nabuchodonosor, ita & Pharaonem eisdem plagis mollire curabat, nisi quod alter audiuit, et didicit: alter uero uidit, et renuit. Plena sūt omnia huiusmodi uulgatissimis testimonijs præparationis nostræ. Et quæ proxime superioribus octo capitulis latissime excogitauimus, cuncta in hunc

locum conferri possunt. De quo proinde satis. Inferius nãq; tractandum nobis restat, qualis sit hæc præparatio, quotq; sint actus ex quibus constet.

Quo obiectiones aduersariorum repelluntur. cap. 2.

Causæ quibus concitantur isti, ut aduersus hanc nostram animi dispositionem, & præparationẽ tanta acerbitate pronuncient, hæ ferme sunt. Primam conficiunt ex illo loco Pauli. 1. ad Corin. 13. Si linguis hominum loquar & angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum uelut æs sonans, aut cimbalum tinniens. Si habuero prophetiam, & cætera quæ sequuntur, citra charitatem, nihil sum. Ecce inquit Luther. arti. 6. Quicquid fit extra charitatem, non fit ex toto corde, & ideo hypocrisis est: iuxta illud Matthæi. 15. Populus iste labijs me honorat, cor autem eorum longe est a me. Hac enim, inquit, de causa appellat eos Christus hypocritas: hypocrisis autem peccatum est, ergo quicquid operis fit, extra charitatem, est peccatum, adeoq; nulla esse potest dispositio ad gratiam. At nulla est consequẽtiæ probabilitas, si quod fit extra charitatem, nihil est in conspectu Dei, quod sit protinus peccatum. Quicquid enim officij a gradu illo diuinæ gratiæ deficit, nullius æstimatur uel ponderis uel pretij apud Deum, non tamen continuo sequitur, ut sit peccatum. Quinimo longe diuersa est illic insinuatio Pauli. Propterea enim constituit exemplum in rebus quæ genere suo sunt bonæ, ut doceat, quod quamuis prophetia extra charitatem, uere sit prophetia, sicuti fuit in Caipha illo nequàm Pontifice: ut habetur Ioan. xi. & fides etiam mortua rationem suam habeat & substantiam fidei, nihil tamen sunt in iudicio & æstimatione Dei ad uitam æternam. At nihilominus suo esse possunt genere: idest, moraliter bona. Schola aũt Lutherana, ut eodẽ loco docet magister suus, impietatẽ reputat, opus esse ullũ naturale, moraliter bonũ, ita mediũ inter amorẽ et odiũ Dei, ut a neutro ꝑcedat. Atq; adeo negat fidẽ extra charitatẽ, fidem esse. Id qđ usquequaq; ꝑtendunt defendere. Vnde utiq; colligũt, quodcunq; peccatoris opus, qm̃ ex amore nõ fit, ex odio ꝑcedere, ideoq;

1. Cor. 13.

Matt. 15.

Nulla est illatio Lutheri.

Ioan. xi.

Lutherani.

peccatum esse. Sed quo huius possint hominibus sanæ mentis fidem facere, non uideo. Quibus inquam persuadeant, ut qui alicuius flagitij reus est: uerbi gratia: qui amorẽ turpẽ ex animo languenti, uel odiũ inimici eximere non potest, quicquid is faciat genere suo bonũ: id est si hospitalis sit erga pauperes, si beneuolus in ciues, si oret, si fidem corde, & ore cõfiteatur, si denicꝫ manducet, aut bibat, hæc omnia in odiũ Dei faciat. Quid si pterritus iudicio diuino, cupiẽs pus illud euomere, & ad Deum toto pectore reuerti, eleemosynas distribuit in pauperes, inedia macerat carnem, assiduis precationibus insistit apud Deum, ut uirulenta illa animi ægritudine liberetur? Nunquid hæc etiã omnia, quia ex uero amore Dei non fiunt, consequitur, ut ex odio procedant? Profecto non est adeo diffidendum nobis de natura humana, ut quempiã liberum animum talis subeat cogitatio. Neque illud Luthere, quod arbitraris, hypocrisis est, si diffinitionem Christi magistri nostri meditatius perpendas. Hypocritas. n. eos appellat redẽptor noster, qui aliud exhibent foris in effectu, quàm in affectu gerant. Qui autem officia hæc, quàmuis propter admixtam culpam non faciat ex toto corde, facit tamen propter honestum, uel forte, ut adiecimus, intentione inclinandi ad se Deum, cuius ope sanetur, is inquàm non aliud exhibet foris, quàm gestat in corde: quocirca necꝫ est hypocrita. Qđ nisi omnis rationalis ac naturalis philosophia explosa uobis esset, cerneretis, nõ omnia quæ fiunt ab homine prauo proficisci a prauitate. Habet enim homo, quẽ modo depingimus affectum amicæ, a quo sordidus, et impudicus, uel odium inimici, a quo iniquus est, sed habet simul & distinctam aliam uoluntatem faciendi quod honestum est, uel desiderium etiã resipiscendi, pugnans cum priori affectu, unde opera illa, utcuncꝫ bona, dimanant. Atqui hoc interpretamento elucescit sensus Augustini. 2. epistola ad Sixtum: cuius inde uerba nobis opponunt, nihil tamen nobis obstantia. Ait enim percipiẽdæ primæ gratiæ nulla in impio præcedere merita. Quoniam meritis inquit, impij, non gratia, sed pœna debetur. Quibus profecto uerbis nullatenus condemnantur singula opera impij, sed hoc tantum decernitur, quod nulla sunt in

Impugnatio Lutheranorũ.

Hypocrisis.

Aug.

illo merita nisi supplicij. Etenim opera moraliter bona, neq; uitæ æternæ, neq; supplicij merita sunt. Quare sensus Augustini is prorsus est, quod nulla habeat merita gratiæ, sed propter unum quod habeat peccatum mortale, dignus sit æterno supplicio. ¶ Mox adferunt pro se isti illud Pauli ad Ro. 5. Lex subintrauit, ut abundaret delictum. Vnde nescio cuius arte dialecticæ, fingit Luther. omne opus antecedens gratiam, & quamcũq; detestationem peccatorum, facere magis peccatorem. Ait enim, quod quæcunq; recogitatio peccatorum ante gratiam necessario ingenerat odium legis, propter cuius prohibitionẽ illa sunt peccata. Atq; ideo peccator maiori odio habet legem, quàm peccatũ: cum ergo odium legis peccatum sit, consequit̃, ut talis memoria peccatorũ magis faciat peccatorem. Quocirca, nisi fides (uidelicet formata, quã solam admittit esse fidem) præcedat, perniciosa est peccatorũ cogitatio. Vide quàm sit indignum argumentũ, cui ulla reddatur responsio. Inprimis lex non fuit in hoc posita: hoc est, intenta, ut homines ad peccatum induceret, alias nõ esset lex sancta & mandatũ sanctum, ut ait Romanis Paulus: sed certe quantum ad moralia præcepta, ut homines bonos faceret, (quod est munus proprium legis) & quãtum ad cerimonialia, ut uenturum prænunciaret Christum. At (ut uulgatissima habet glossa) ex eo quod prohibebat, non tamen extinguebat concupiscentiam, occasio erat, non uniuersis, sed sensualibus hominibus peccandi: tum multiplicando mandata, tum quod appetitus hominis uehementius nititur in uetita. Vnde id solum elicitur, quod quæcunq; opera fiunt contra legem, peccata sunt. Et præterea, quod odium ipsum legis cuiuscunq;, siue scriptæ, siue naturalis, propterea quod cupiditates nostras compescat, impietas quoq; sit. At uero non quicunq; execratur peccata quæ admisit propter dispendiũ, & damna quæ inde passus est, odio habet legem. Quam ob rem, non solum ubi non præcedit fides uiua, præcedit autem mortua, uerum ubi nulla præcedit infusa fides, sed sola naturalis notitia, quod Deus est, & remunerator est, metus supplicij, odiumq; subinde ac detestatio peccatorum, adeo nihil adferunt mali, ut plurimum etiam utilitatis conferant ad salu-

[Margin: Secũdũ argumẽtum Lutheranũ.]

[Margin: Rñsio.]

[Margin: Lex quõ fuit occasio peccandi.]

Tertiũ argumẽtum. tem. ¶ Tertiũ tamen locum nemo ſit qui non miretur, quouſqꝫ uiolenter diſtorqueant, ut in ſuam ſententiã pertrahant. Locus autem ille eſt de exciſo palmite: qua pulcherrima ſimilitudine uſus eſt ſeruator noſter Ioan. 15. Si quis in me non manſerit, mittetur foras ſicut palmes, & areſcet, & colligent eum, & in ignem mittent, & ardebit. Commentat̃ enim Luthe. artic. 36. duo priora pertinere ad liberum arbitrium in hac uita: ſcilicet mitti foras, & areſcere: reliqua uero tria, nempe colligi, mitti in ignem, & ardere, ad futurum ſeculũ. Vnde quicunqꝫ, inquit, a gratia hic Dei per peccatum deciditur, traditur ſathanæ: qui non permittat eum conari ad bonum: ſed cogat areſcere, & ſemper peiorem fieri. Attamen locus hic primum totus attinet ad extremum iudicium. Ibi enim, ut expreſſit Chriſtus exemplo ſagenę miſſæ in mare, exibunt angeli & ſeparabunt malos de medio iuſtorum (quod eſt foras mitti) areſcentes præ timore, & expectatione horrendi iudicij, quod illos manet: atqꝫ adeo quaſi in faſciculos incendio aptos colligent, mittentqꝫ in ignem æternum. Sed ut gratis largiamur, duo illa priora membra ad uitã ſpectare præſentem, abſit ut quicunqꝫ gratia Dei excidit, eouſqꝫ mittatur foras in poteſtatem ſathanæ, ut nulla fiat ſibi reliqua libertas redeundi in gratiam Chriſti, qui paratiſſimus eſt manum cuicunqꝫ porrigere. Nam tunc nunquàm peccatores, ut ad ſe reuertantur uocaret: quod tamen aſſidue & inſtantiſſime per totum euangelium perſeuerat facere. Illos uero qui nunquàm de reditu cogitant, ſed oſtium cordis miſericordiæ diuinæ uectibus ſuarum cupiditatum obſerant, plane concedimus, ut quos fons ille aquæ uiuæ ſalientis in uitam æternam non alluit, in dies magis ac magis areſcere. Reliqua Lutheranorum argumenta huius farinæ ſunt. Haud tamen me præterit, meliuſcule iam loqui Lutheranos de diſpoſitione ad gratiam in libello imperatorio Ratiſponenſi: licet non prorſus rem plane confiteantur: de quorum ſententia explicatior ſermo cap. 12. futurus eſt.

Ioan. 15.

Matt. 13.

De auxilio speciali Dei. cap.3.

HAc cum Lutheranis præhabita disputatione, discutiendum secundo loco sequitur, utrum dispositio hæc humanis uiribus fieri possit, an necessariũ sit speciale auxilium gratiæ. Vbi operæpretium est de gratia, quot sint huius nominis significatus prænotare. Gratia in uniuersum (quod uox per se ipsa aperte sonat) a sua causa nomen hoc mutuatur, ut initio superioris libri dicebamus. Est enim donum, quod non debetur suscipienti, sed gratuita uoluntate donatur. Alias, ut ait Apost. si ex operibus, iam non est gratia. Attamen dum sub aliquo generali nomine species quæpiam aut suppositum, aliquã præ alijs habet peculiarem qualitatem, unde possit propriam nomenclaturam sortiri, nomẽ ipsum generale fit aliorum quasi speciale. Vnaquælibet diuinarum personarum est spiritus sanctus: uerum quia pater & filius notiones habẽt proprias, quibus nuncupantur, nomen spiritussanctus tribuitur tertiæ personæ. Pari modo, omnis cuiusq; generis gratia sic appellatur, quia gratis data: sed quia una est specialis gratia, qua nos sibi Deus formaliter facit gratos: secũdum illud Roma.3. Iustificati gratis per gratiam ipsius, hęc ab effectu proprie denominatur gratia gratum faciens: reliquis retinentibus genericum nomen, ut dicantur gratiæ gratis datæ. At uero gratiæ gratis datæ, quæ e regione disparãtur a gratum faciente, sunt dona illa quæ conferuntur non in bonum ipsius suscipientis, sed in communem utilitatem: quas idcirco donari nihil uetat prauis hominibus, ut dona prophetiæ, linguarum, & sanitatum, & cætera quæ refert Paul. 1. ad Cor. 12. Cuius diuersa ratio est gratiæ gratũ faciẽtis: ut quæ in bonum proprie ipsius possidentis tribuitur. Concursus autem & subuentus Dei præuenientis conuertentisq; ad se nos, etsi inter gratias gratis datas connumeretur, habet tamen peculiare nomen auxilij specialis seu gratuiti: sane quo nos super naturam euehit. Vt discernatur a generali influxu, quo res mouet, fouetq; naturales. ¶ Mox consyderandum secundo est, quod dispositio ad gratiã duplex esse potest: alia siquidem, impropria, et remotissima, neq; sufficiens neq; omnino

Gratiæ diuisio.

Gratia gratis data.

Auxiliũ speciale.

Duplex dispositio ad gratiã.

necessaria: utpote, quodcunque opus moraliter bonum, quod fit ex puris naturalibus cũ auxilio generali Dei propter honestum aut propter rationes aliquas, & necessitudines humanas, quæ bonæ sunt genere suo. Quæ tamen officia non possunt, quatenus opa sunt qualis qualis uirtutis, nõ aliquo modo uiam de se sternere ad charitatẽ. Et præsertim si in huiusmodi se operibus peccator exerceat, intentione inflectendi Deum, qui durum sibi cor emolliat ad pœnitentiam. Quem nimirum finem, sicuti & honestos alios, potest sibi naturaliter præstituere. Hæc autem naturalia opera nõ sunt illa, quæ quasi propriam dispositionem statuta lege subsequatur iustificatio. Alia est dispositio propria, & ad iustificationem necessaria. Et de hac est quæstio, utrũ taliter se homo possit disponere ad gratiam ex suis naturalibus, ut certo semp & infallibiliter subsequatur gratia. Et sunt ex theologis compluSCot. res, qui id sibi habent persuasum. Scot. 2. sent. d. 28. (ut paulo ante dicebamus) dum loquitur de his, quæ homo potest naturaliter circa diuina præcepta, hæc profert uerba de præcepto dilectionis Dei sup omnia. Quãdocunque uoluntas actũ huius præcepti exequitur, licet informis, disponit se de congruo ad gratiam gratificantem, cui oblatæ uel resistet, et peccabit: uel consentiet & iustificabitur. Vbi tria uidetur affirmare. Primum, quod dispositio sufficiens ad gratiam potest esse dilectio Dei super omnia, quod inferius in litem repetẽdum nobis est: alterum quod dispositio potest fieri ex puris naturalibus: cuius hic examen facturi sumus: & tertiũ, quod talis dispositio est meritoria de cõgruo: de quo capite sequẽti differetur. Et li. 4. d. 14. q. 2. Põt, inquit, homo ex naturalibus cum communi influentia habere attritionem, quæ sit dispositio & meritum de congruo ad delectionem peccati mortalis. Atqui de secundo saltem & tertio pũcto, uidelicet, quod sit aliqua dispositio gratiæ ex naturalibus, & illa sit meritum

Nominales. de cõgruo, complures illi adhæserunt. Nam ferme nominales præter Gregorium Ariminensem. Sequitur præterea ip-

Duran. sum Adrianus quolibeto. 7. q. 4. Et Durã. eadem d. q. 5. Nihilo secius responsio huius quæstionis est negatiua. Nempe quod nemo facultate humana potest sufficienter se ad gratiã

diſpônere, niſi ſpeciali auxilio ſubnixus ea diſpoſitione, quã infallibiliter, & certa lege ſubſequatur gratia. Et ne, quæ diuerſæ ſunt quæſtiones, in unam conglutinemus, nihil modò aio de merito congrui, ſed id etiam affirmamus, quod quis diſpoſitio illa non uocaretur meritum de congruo, nõ eſt tamen admittendum, quod ſe homo poſſit ad gratiam diſponere tali diſpoſitione. Neq; profecto negatio hæc (niſi meus me fallit ſcrupulus) cenſenda tantum eſt, uel ſancti Thomæ, uel theologorum cuiuſpiam opinio: ſed cõcluſio quæ ita colligitur ex ſacris locis, ut ægre poſſit a uiro orthodoxo refutari. Neq; S. Thom. hanc tenet concluſionem, ſolum tanquàm opinionem, ſed reuera tanquàm fidem Chriſti: ubi ait. Nemo poteſt uenire ad me, niſi pater qui miſit me traxerit eum. S. Tho. Exordiamur ergo inde ex uerbis eius. 1. 2. q. 109. artic. 6. Duplex, inquit, eſt præparatio uoluntatis ad bonum. Vna quidem ad bene operandum, & Deo fruendum. Quæ fieri nequit ſine habituali gratia gratum faciente: quæ principium eſt operis meritorij. Porro concluſio hæc prima communis eſt conſenſus theologorum aduerſus Pelagium. At alia eſt præparatio ad conſequendam & ſuſcipiendam gratiam ipſam habitualem: quæ quidem præparatio non fit per alium præcedentem habitum. Nam alias ante hunc ſecundum requireretur alius prior, & ſic eſſet in infinitum abitio. Et neq; de hac ſecunda ulla eſt theologorum diſcordia. Sed oportet, inquit, præſupponi aliquod auxilium gratuitum Dei, interius animam mouentis, ſiue inſpirantis bonum propoſitum. Et de hac tertia diſſidẽt (ut dictum eſt) doctores. Ratio quã adfert S. Th. eſt ſimilitudo quędã naturalis. Cũ enim inquit, oẽ agens agat propter ſuũ propriũ finẽ, qualis eſt ordo finiũ talis eſt & agentium, quippe, ut quãto agens ſuperius eſt, tãto ſuas referat actiones in finem ſuperiorem. Vt in exercitu primum agens eſt dux, ſeu princeps: cuius proinde finis proprius eſt ille, qui eſt ſupremus: ſcilicet, uincere: tribunus autẽ qui agit ſub duce, non habet pro proprio fine, & ſcopo, niſi peculiarem legionem gubernare ex imperio ſupremi ducis: et ideo ad primum ducem ſpectat, omnes partes exercitus diſponere, quatenus melius ad uictoriam confert. Cum ergo

Deus sit prima causa infundẽdæ gratiæ, per quã cõuertimur in ultimũ finem, ad ipsum spectat disponere, & præparare nobis animos eidem ipsi dono suscipiendo. Duran. uero & reliqui dicunt hanc rationem non concludere, adferentes contra aliud exemplum naturale. Deus enim est, qui infundit animam in generatione hominis, & tamen materia disponitur ab inferiore agẽte: puta per causas naturales. Et pari inquiunt modo, licet solus Deus sit qui gratiam infundat, nihil obstat, quo minus se homo ipse naturali uirtute disponat, & accommodet ad eandem gratiam. At uero primum similitudo hæc nihil deterit, imo potius corroborat rationem S. Thomæ. Quoniam uirtus seminis disponẽtis materiam ad infusionem animæ rationalis, uirtus est quoq; animæ rationalis, puta hominis generantis: et ideo causa disponens proportionẽ habet cum forma, ad quam fit dispositio. Sed præterea quicquid sit de ratione naturali. Hoc est unde isti falluntur, quod putant S. Thomam illa sola ratione naturali conniti, cum tñ res longe aliter sit: supponit enim ueritatem illam tanq̃ euangelicã, quæ omni porro naturali ratione firmior est. Adducit autem rationem duntaxat explicationis causa. Vnde cum. 2. sen. d. 27. et. 28. opinionem communem insequutus, affirmasset, tum quod homo ex naturalibus posset se disponere ad gratiã, tum quod dispositio illa esset meritum de congruo: postmodum in summa, eloquia sacra & Patrum, cum primis Augustini, sententias meditatius explorans, utrunq; retractauit. ¶ Prima ergo ratio conclusionis est. Disponere se hominem & parare ad gratiam, nihil aliud est, quàm animum ab iniquitate dimouere, conuertereq; ad Deum a quo gratiam recipiat: ueluti si qui faciem a sole habebat auersam, ipsum respiciat, ut lumine perfundatur: conuersio autem Deo præuenienti tribuitur in sacra scriptura: iuxta illud. Deus uirtutum conuerte nos. Et Hieremiæ. 31. Conuerte me domine, & conuertar. Et Threnorum. 5. Conuerte nos domine ad te, & conuertemur. Quod si ordine cõuerso legamus etiam Iohelis. 2. Conuertimini ad me in toto corde uestro. Et Zachariæ. 1. Cõuertimini ad me & conuertar ad uos, illic solum significatur per nos stare, quo minus a

Duran.

Impugnatio opiniõis

Prima ratio cõclusiõis.

Deo

Deo iugiter pulsante ad ostium, cōuertamur: ut lib. superiori cap. 16. et. 18. fusius patefecimus. Eadem præterea præparatio, quia fit spiritualiter, instar corporalis motus, dicitur tractio, & tamen nemo (inquit Christus) potest uenire ad me, nisi pater qui misit me, traxerit eum. Neq; uero tuta responsio est quam securi quidam excogitant: utpote quod hæc & similia testimonia referantur ad infusionem gratiæ. Quinimo hoc me contra potissimum mouet, quod infusio gratiæ non est tractio nec conuersio, sed terminus ipsius motus. Quare si dispositio naturaliter a nobis fieret, Deo tantum infundente gratiam, non proprie Deus esset qui nos traheret aut conuerteret, sed nos ipsi uirtute nostra reuerteremur ad ipsum, suscepturi gratiam. Sicuti dum ego faciem uersus solem uoluo, non me ipse uertit, sed illuminat: Deo autē non solum attribuitur illuminatio, quæ est terminus, sed motus ipse, qui est tractio & cōuersio: iuxta illud Augustini de gra. & lib. arb. cap. 5. Nisi donum Dei esset, etiam ipsa ad Deum nostra cōuersio, non ei diceretur, Domine deus uirtutum cōuerte nos. ¶Secundo. Dispositio sufficiens, quā certo, & infallibiliter sequitur gratia, est inchoatio quædam iustificationis. Paulus autem etiam inchoationem ipsam denegat adimitq; nobis: ubi ait, quod non sumus sufficientes a nobis, uel quicquàm cogitare, quasi ex nobis. Et nomine cogitationis designat primam dispositionem & initium motus, qui sit recta uia ad gratiam. Quasi exponēs uerbum Christi. Sine me nihil potestis facere. Loquitur enim Christus illic de fructu quē ferimus in Christo, ceu palmites in uite: cuius prima etiam inchoatio est a uite. Et ideo aduersus Pelagiū, ut patet in Concilio Mileuitano, & in Palestino, ut refert ad Paulinū Aug. non solum definitum est, gratiam nullis meritis nostris dari, uerum neq; ullum esse in nobis initium, sed Deum esse inceptorem: de quo se ipse etiam Augusti. lib. 1. retract. correxit: qui aliquando fuerat in illo errore, quod saltem initiū iustitiæ nostræ apud Deum esset ex nobis. ¶Tertio id maxime conuincitur ex Paulo Rom. 9. ubi dum iustificamur, ut lutum nos æstimat comparatione ad Deum. lutum autem non solum efformatur a figulo, sed ab eodē mollefit, appara-

Ioan. 6.

Secūda ratio.

Concil. Mil eui.

Aug.

Tertia ratio.

Confirmatio. turque, & coaptatur. Adde (unde hoc maxime confirmatur) quod dispositio, de qua loquimur, effectus est prædestinationis: effectus autem prædestinationis, sane quæ nullā in nobis habuit causam, omnes præueniuntur a Deo, tāquàm effectus supranaturales. Accedit huc tandem expressa sententia Augustini, ubicūque cum Pelagianis conflictatur. Potissimum lib. 3. Hypog. ubi de uulnere, & infirmitate liberi arbitrij ita expresse decernit, quod nec ualet incipere, nec perficere sufficit, nisi præueniatur medicina: id est, Christi gratia sanetur: subijciens testimonium illud Ezechielis. 36. Dabo in uos cor nouum & spiritū nouum. Quod nihil (inquit) aliud significat, nisi, uoluntates hominum lapsas, per Christum reparari & præparari. Et concludit, quod a Deo præparatur uoluntas: secundum illud Psal. Cor mundum crea in me Deus: & spiritum rectum innoua in uisceribus meis. Hactenus Aug. Subiungens exemplum Petri, quem nisi dn̄s respexisset, nunquàm pœnitentia motus fleuisset amare. Quod & lib. 9. super Lucam adnotauit Ambros. Quamobrem Prouerb. 16. ubi ait Sapiēs. Hominis est animam præparare, continēter subiungit. Et domini gubernare linguam. Et ubi ait. Cor hominis disponit uiam suam, protinus subdit. Sed domini est dirigere gressus eius. Nempe ut palam nos erudiat, quod præparatio ad gratiam opus Dei sit, una & nostrum: Dei scilicet speciali fauore præuenientis, nostrum autem consentientium & cooperantium. Vnde ipse idem Aug. qui sapienter hæc omnia prospexit lib. 2. contra duas epistolas Pelagij ca. 8. Quoniam dicebat nequàm ille, saltem a nobis incipere cupiditatem boni, hoc ipsum uerbum acerbissime retundit. Nam tunc (inquit) sine Dei gratia cœptum esset meritum, cui tanquàm ex debito ueniat gratiæ adiutorium. Contra illud. Sine me nihil potestis facere. Et illud Pauli ad Philip. 1. Ipse qui incœpit in uobis opus bonum, perficiet usque in diem Christi. Et nō quod idonei simus cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis. Quare absit (inquit) ut legens in Prouerbijs. Hominis est præparare cor, fallatur, ut existimet hoc posse sine adiutorio gratiæ Dei. Nam ideo subditur, quod domini est gubernare linguā, quasi ipse incipiat. Et tandē colligit.

Aug.

Amb.

Pro. 16.

Quis pōt bona cogitatione ad bonū cor præparare? Absit ut sic intelligāt, nisi ſupbi ſui arbitrij defenſores, & fidei catholicę deſertores. Hęc Aug. Quibus neſcio quid potuit efficacius pronūciari ad euincendā & refutandam diſpoſitionē gratiæ ſufficientē, abſq; præueniente auxilio Dei. Eſt ergo cōcluſio huius capitis, quod præparatio & diſpoſitio ſufficiēs ad gratiam eſt opus & Dei, & noſtrum. Eius ſcilicet præuenientis, noſtrum autem conſentientium, et cooperantium. Nam ipſe qui ait per Ezechielem. Auferam ab eis cor lapideum, & dabo eis cor carneum, pulſando nihilominus liberum arbitriū, ait. Hodie ſi uocem eius audieritis, nolite obdurare corda ueſtra. Quod bene adnotauit Aug. in de gra. & lib. arb. cap. 14. Quo fit, ut ipſe ſit prima cauſa noſtrarum diſpoſitionū, nos autem tota noſtræ indurationis: iuxta illud. Perditio, tua iſrael, tantummodo in me auxilium tuum. Auxilium dixit, ut cooperationem deſignaret liberi arbitrij. Ipſe enim tantum indurat permittendo, ut lib. 1. cap. 18. dicebamus. Hæc eſt confeſſio S. Synodi præſentis Tridentinæ. Quæ ſtatim ca. 5. declarat iuſtificationis exordium in adultis a Deo per Chriſtū Ieſum præueniente gratia ſumendum eſſe, per quam excitātem & adiuuantem gratiam ad conuertendum ſe homines, ad ſuamq; ipſorum iuſtificationem eidem gratiæ libere aſſentiendo, & cooperando diſponant. In qua confeſſione adnotandum eſt, quod nullæ proprie appellantur diſpoſitiões, niſi quæ a Deo præueniente & nobis aſſentientibus fiunt. Ait enim, quod ſine gratia Dei mouere ſe homo ad iuſtitiam coram illo non poteſt. Tametſi can. 7. cenſuerit, non omnia opera ante iuſtificationem, quacunq; ratione facta ſint, eſſe peccata: quia etiam ſi fiant naturaliter, ſunt, ſaltem moraliter, bona: ut præcedenti libro dictū eſt. ¶ At uero diſpoſitio hæc in nobis diuina nō uno certe modo fit, ſed duobus. Eſt enim ut. 1. 2. q. 112. arti. 2. author eſt S. Tho. alia imperfecta, alia uero perfecta. Imperfecta quidem, non quod omnis motio Dei non ſit perfecta, relata ad ſuum finem, ſed quod Deus nos ꝑ ipſam non proxime ad gratiam, ſed ad alia præcedentia bona appellit, per quæ gradatim, paulatimq; in tempore ad ipſam perducat. Quæ quidē diſpoſitio nec gratiæ quidem eſt

[Margin notes: Concluſio. — Aug. — Oſeæ. 13. — Syno. Trid. — Duplex diſpoſitio.]

meritoria, nec gloriæ. Alia uero est, quæ simul tempore est cum gratia, tantum natura præcedens. Quemadmodum in igne aliæ sunt dispositiones antecedentes generandam formam: aliæ uero simul tempore coeuntes, natura tamen præuiæ. Atq; hæc nimirum secunda semper est necessaria: ut ex repentina conuersione Pauli compertum sit: illa uero prior, non item. Adde quod hæc necessaria præparatio licet non sit meritoria gratiæ, est tamen meritoria gloriæ, quatenus gratia informatur. Sed de hoc paulo post explicatius.

Lutherani.

¶ Duo hic deniq; supersunt nobis habenda uerba: alterum ad Lutheranos, alterum cum catholicis. Aduersarij isti nostri, ut iam antea fari cœpimus, in suo libello imperatorio Ratisponensi, propius ad rem hanc uidentur accedere, quàm a suo fuerant Patrono instituti. Aiunt enim perspicuum esse, quod adulti non consequantur beneficium reconciliationis, nisi præueniente motu spiritus sancti, quo eorum mens & uoluntas moueatur ad detestationem peccati: iuxta uerbum illud Augustini. Impossibile est nouã uitam inchoare nisi prioris nos pœniteat. Et secundum institutum Ioãnis baptistæ & Petri apostoli, quin uero Christi prędicantium pœnitentiam in remissionem peccatorũ. Quem

Bucerus

articulum Bucer. in sua concordantia iustificationis eadem prorsus ratione explicat, qua nos modo dicebamus: nimirũ quod necesse sit, iustificationi in nobis præire salutarem peccatorum pœnitentiã: licet non tempore, saltem natura. Quæ quidem inquit, excitari in nobis, nisi per spiritũ sanctum, nõ potest. Sciscitamur ergo istos, si nullatenus gratia iustificans consequitur nisi præeunte affectu hoc nostri liberi arbitrij, quid amplius desiderant, ut plane confiteantur dispositionẽ requiri in nobis ad gratiã? Prędertim quod in re (ut omnibus locis, ubi nobis hac sua confessiõe opus fuerit, liquebit) idem est qđ admittant dispositionẽ, uel quod affirment, necessariũ esse illum motum in nobis. Nam si necessarius est, negare nõ possunt, quin aliquo modo inde pendeat nostra iustificatio.

Responsio ad primũ argumentũ.

De operibus aũt tẽpore præcedẽtibus ꝑsistũt uniuersa quasi peccata dãnare. Cõtra quos ex supra distinctione facta ꝑma gnum sumit̃ argumentũ. Illa. n. quę nutu Dei, auxilioq; eius fiũt in peccatore, peccata nominare, blasphemia est. ¶ Vt et-

go ad eos catholicos reuertamur qui authores sunt huius dispositionis naturalis, potissimũ argumentum eorum est hoc. Possumus ex naturalibus cognoscere, peccatũ esse offensam Dei, eiusque uoluntati contrarium: ergo possumus sub hac ratione illius pœnitere, illudque propter ipsum, sicuti propter aliam quamuis causam, detestari, ita ut pœnitentia illa nostra, sit opus moraliter bonum. Opus autem tale, maxime huiusmodi detestatio, est dispositio ad gratiam: ergo possumus nos disponere ad gratiam (ut aiunt) de congruo. Argumentum tamen hoc in foribus statim defringitur. Quoniam cum gratia iustificationis non comprehendatur intra naturæ fines, sed donum sit supernaturale, neque personæ debitum neque naturæ, quamuis ratio naturalis aliquid appareat concludere, ad quod nos nesciamus respondere, nihilominus fide, quæ supra naturam est, docemur, quod illud donũ ita solus Deus largiatur nobis, ut nihil a nobis nos præstare possimus, ex quo donum illud necessitate ulla, certitudine, aut infallibilitate consequatur. Alias necessario subsequeretur, ut nos essemus aliquo modo illius causa: ut capite sequenti adhuc peramplius patebit. Cum tamen Deus ita ubique sibi adscribat esse primam causam, ut nulla in nobis prę cedat: iuxta illud. Non uos me elegistis, sed ego elegi uos. Et. Quis prior dedit illi, & retribuetur ei. Vnde Patres aduersus Pelagium nulla utebantur ratione naturali, sed solis scripturis sacris præliabantur, ut constituerent, nullam in nobis inchoationem esse ad gratiam. Vnde respondendũ est, quod quamuis cognoscere possimus, peccatum esse offensam Dei, atque adeo ex naturalibus habere detestationem, quæ sit remota præparatio, ut initio capitis dicebamus, tamẽ taliter nos sufficienter disponere, ut certo et infallibiliter consequat̃ gratia, profecto nõ possumus nisi auxilio diuino. Qm̃ illa certitudo esse non posset, nisi propter legẽ Dei. Lex aũt nulla est conferendi gratiam, nisi ei quem Deus ad se traxerit. ¶ Eodẽ modo respondetur ad aliud argumentum de illo qui ueniens ad usum rõnis, antequam admitteret lethale aliquod peccatum, uel per se, uel aliorum institutione, cognosceret unum esse Deum, cui seruiendum est, quasi remuneratori bonorum & malorum: respondendum inquàm est, quod licet eiusmodi for-

Ioan. 15.

Ad secũ dũ argumentũ.

ſan cognitio, naturalis eſſe poſſet, motus tamen uolũtatis in Deum, qui ultima eſſet & propria diſpoſitio ad gratiam, niſi auxilio ſpeciali non poſſet illi cõtingere. Et idem prorſus ſentiendum eſt de homine in quocunq; ſtatu: porro ſiue in puris naturalibus creato, ſiue in iuſtitia originali perdurante.

De omni ſtatu hominis

¶ Tertium idemq; uulgare argumentum eſt. Deus nihil nobis præcipit impoſſibile: præcipit autem ut in ipſum conuertamur: ut patet Zachariæ. 1. Conuertimini ad me, & ego conuertar ad uos: ergo conuerſio quæ idem eſt quod diſpoſitio, eſt nobis poſſibilis a natura. Item quarto, dictum commune eſt, & uniuerſis receptiſſimum, quod facienti quod in ſe eſt, Deus non deeſt: iuxta illud Matth. 7. Deus dat ſpiritum bonum petẽtibus ſe. Et, Quicquid petieritis patrem in nomine meo, dabit uobis. Hominẽ autem facere quod eſt in ſe, eſt facere quod ſuæ eſt facultatis: ergo homo ſe ſufficienter ad gratiam poteſt diſponere. Argumenta ſunt eodem loco S. Thomæ. Ad quorum primum reſpondet, quod quatenus cooperatio liberi noſtri arbitrij neceſſaria eſt, præcipimur conuerti. Quod licet nõ poſſumus ſine auxilio Dei, non tñ eſt nobis impoſſibile, quia prõptiſſimus eſt, niſi nos reſiſtamus, nobis opitulari. Ad ſecundum uero reſpondet. Et eſt profecto meditanda reſponſio, quia ueriſſima, & quæ intelligatur neceſſaria. Nimirũ quod facere hominem quod in ſe eſt, non intelligitur, ante auxilium Dei, ſed potius prçueniente Deo. Tũc enim homo facit quod in ſe eſt, quando Deo inſpiranti reſpõdet coopans, & tunc certiſſima lege conſequitur gratia.

Ad tertiũ argumentũ.

Facere homi. quod in ſe eſt.

¶ Poſtremum uero addiderim ego argumentũ, forte maioris ponderis. Cum quis attritus accedit ad ſacramentũ, puta ſine obice, ſed tamen neq; talem adferens diſpoſitionem, quæ ſufficeret ad gratiam ſine ſacramento, tunc illa uidetur diſpoſitio poſſibilis ex naturalibus, ſiquidem non eſt ſufficiens ad gratiam, ſed quæ perpetuo compateretur ſecum culpam: attamen ſi talis attritus ſuſcipiat ſacramentum ſine alia prorſus mutatione uoluntatis, recipiet gratiam: poteſt ergo diſpoſitio fieri ad gratiam ex naturalibus. De hoc in ſubſequẽtibus redibit ſermo. Interim tamen reſpondemus, quod omnibus argumenti partibus conceſſis, nihil contra nos concluditur,

Poſtremũ argumentũ.

Quoniam Deus operatur illic nõ per dispositionem, sed per sacramentum, quo utitur tanq̃ instrumento ad infundendã gratiam homini, si non disposito, saltẽ neq; opponẽti obicẽ.

De merito de congruo. cap. 4.

HActenus id tãtum contendebamus, quod ex uiribus naturalibus nulla esse potest sufficiens dispositio ad gratiam, etiam si nullo censeretur nomine meriti. Iam uero nunc et hoc pergimus pro ingenio nostro constituere, quod ante iustificationem, quæ fit per gratiam gratum facientem, nihil humanis operibus insit meriti, siue condigni, siue congrui. Non modo inquàm operibus moraliter bonis, quæ naturaliter fiunt, uerum neq; illis quæ diuina ope dispositio sunt, præparatioq; ad gratiã: saltem qua ratione gratiam antecedunt. Consulto duo hæc membra discreuerim. Nam postquàm sub hoc ętatis tam male audit hoc meritum congrui ex puris naturalibus, sunt qui iam non afferãt illud, nisi præueniente auxilio speciali. Quã opinionem uolunt Scoto applicare. Cum tamen expresse ipse loco supra citato in. 4. d. 14. q. 2. ait, quod ex puris naturalibus cum communi influentia potest esse attritio, quæ sit meritum de cõgruo ad delectionem peccati mortalis. Et ad maiorem explicationem subdit, quod si est perfecte circunstantionata in genere moris, uidetur omnino dispositio sufficiens ad iustitiam in termino illius attritionis acquirendam, quem Deus præfixit esse terminum illius attritionis. Quibus uerbis notat, quod de lege statuta est sufficiens. Et, ut nulla fiat reliqua hæsitatio, subiungit, alias difficile esset saluare quod non sit acceptio personarum apud Deum. Ob idq; expresse concedit, quod talis actus ex puris naturalibus est meritum de congruo ad iustificationem. Addit deniq;, quod ipse idem actus immutatus per assistentiam postea gratiæ fit contritio. Et loquitur ubi nullum intercedit sacramentum. Nihil potest clarius dicere ad astruendum meritum naturale de congruo sufficiens, cui lege diuina succedat infallibiliter gratia. Et lib. 2. d. 28. idem affirmat de dilectiõe Dei. Quinimo nuspiam de auxilio speciali meminit, quo ad gratiam disponamur. Adeo pro cõstanti ubiq; habet, q̃ na-

Nullum est meritũ de cõgruo.

Scotus.

pe, quod nisi ponatur hæc dispositio de congruo ex naturalibus, difficile est saluare, quod apud Deum non sit acceptio personarũ. Quod uerbum, si mihi hæc uenia detur, omniũ meis auribus pessime insonat ab ista opinione. Etenim August. illic & omnes ubique Patres non in dispositionẽ ullam nostram hãc cãm referebant, sed solum in meram uoluntatẽ diuinam. Ait enim Aug. quod acceptio personarum nulla est, nisi ubi ulla est ratio debiti. Neque enim, inquit, acceptio personarum dicenda est, quando iniquitas nulla est. Quemadmodum dum dñs ille uineæ in parabola euãgelica, Amice, inquit, nõ facio tibi iniuriã, si huic uolo dare quod non debeo. Et ideo cum Deus nulli quicquam debeat, ex suo beneplacito hunc trahit, illum nõ trahit. Reuera si ulla fuisset nota dispositio congrui illa ætate, neque Pelagius haberet, quod argueret, neque Patres recurrerẽt ad beneplacitum Dei. Et ideo qui per hoc cauere Deo cogitant acceptionem personarum, quod dat gratiam propter meritum congrui, quod est propriũ opus hominis, manifeste in illo merito nonnihil meditantur causæ respectu gratiæ. Quod credo neque antiqui Patres, neque Paulus ipse ferret. ¶Postremo tandem loco arguitur ad examinãdum interstitium hoc inter meritum congrui & condigni. Meritum non dicitur cõdignum, quia proprie Deus nobis aliquid debeat, ut suo exponetur loco, sed quia talem gratuito legem statuit certissimam, ut iussa sua facientibus præmia retribueret. Qui ergo dicit, posse nos ita præparare ex naturalibus, ea scilicet sufficienti dispositione, qua posita, Deus statuerit conferre protinus gratiã, parum abest, ut dicere cõpellatur, meritum esse de condigno. Quale Pelagius affirmabat ante primã gratiam. Nam respõdere quod per illã dispositionem non fit proprie debita gratia de iustitia, uidetur petitio principij, quippe cũ inter nos & Deum nulla sit alia iustitia uel debitum, quam lex ipsa Dei. Profecto si Pelagio largita hoc fuisset olim ecclesia, credo fuisset contentus, quia ipse non contendebat deberi a Deo nobis gratiã propter opera, ut est inter homines æqualitatis debitum, sed quod esset lex illa iusta Dei, ut bene agentẽ ex suis naturalibus, infallibiliter reciperet in gratiã suam. Igitur Patres, inter quos pręcipue Augustinũ, auscultemus in

Aug.

Matth. 20.

Postremũ argumẽtum.

locis tam multis citatis, alijsq; impendio pluribus, ubi genus omne ac nomē meriti gratiæ præuium inauditum uult esse christianis. Gratia enim (inquit in exordio libri de prædest. sanct.) nulla est, si secundū merita nostra datur. Et paulo post cap. 2. Porro, si operatur Deus fidem nostram, ut credamus, nunquid metuendum est, ne totum facere non possit, & ideo homo sibi primas eius uendicet partes, ut nouissimas ab illo accipere mereatur? Videte si aliud agit' isto modo, nisi ut gratia Dei secundum merita nostra detur quolibet modo: ac sic gratia, non sit gratia. Redditur nāq; hoc pacto debita: nō donatur gratis. Nota, quolibet modo, perinde enim est, acsi dixisset: ut gratia sit gratia perfecto modo, meritum nullo debet præcedere modo. Atqui talis esse uidetur ecclesiæ determinatio. Primum in concilio Mileuitano, quàmuis non ita expresse, tamen can. 5. ubi determinatur, quod gratia iustificationis non datur, ut quod facere per liberum iubemur arbitrium, facilius possimus implere per gratiā: sed simpliciter ut possimus: simul determinat', qđ simpliciter initiū est a gratia, atq; adeo nullo prçcedēte merito. Attamen in concilio Arausicano expresse est determinatio can. 25. sub his uerbis. Hoc etiam salubriter profitemur & credimus, quod in omni opere bono nos nō incipimus, & postea per Dei misericordiam adiuuamur, sed ipse nobis nullis præcedentibus bonis meritis, & fidem & amorē sui inspirat, &c. Eisdemq; omnino uerbis S. nunc Synodus Trident. meritissimo utitur, ses. 6. cap. confessionis. 5. ubi ait, quod exordiū iustificationis sit a Deo nullis præcedentibus hominis meritis. Causæ ego merita, & testes protulerim: aliorum esto iudicium, an meritum sit congrui repellendum, de quo neq; ecclesia, neq; Patres unquàm meminerūt. Quin uero ex quo tāta his retro annis ab Aquilone conflata sunt odia in ecclesiam Dei. Finemq; iam faciāt Lutherani hac nos ignominia afficere, neq; enim catholici omnes sunt, quibus meritum congrui probatur: neq; eius authores sensum Pelagianum intendunt: neq; ecclesia, quicquid sit de scholasticis opinionibus, intermisit unquàm cōfiteri, nullis suis præcedentibus meritis homines iustificari per Christum dominum nostrū. ¶ Quod autem inuectorem pri-

Aug.
Concil. Mileui.
Arausi.
Triden.

proprie uel improprie. Statuere autem rationem aliquam debiti in operibus naturalibus, quantumcunque dicatur improprie, esse non potest, quin aliquid detrahatur de ratione gratiæ. Si enim (authore Paulo) ubi debitum, iam nō est gratia, qua ratione proprie debitum tollit totam rationem gratiæ, utcunque asseratur aliqua ratio debiti, minuitur ratio gratiæ. Verba sunt Concilij Arausicani secundi cap. 18. Debet̃ merces bonis operibus, si fiant (ecce rationē meriti, quod nullum intelligitur nisi respectu mercedis) sed gratia, inquit, quæ nō debetur, præcedit ut fiant. Conci. Arau.

¶ Alterum, quo primum hoc confirmatur argumentū est, mihi profecto pręgrāde. Sane quod quāto tempore perpessa ecclesia est bellum Pelagianum, nemini uel illorum, uel catholicorum Patrum in mentem uenit huius distinctionis, certe quæ si uera esset, maxime tunc fuisset necessaria. Haud equidem ambigerim, quin si excogitare potuissent aliquod nomen meriti, quod nihil officeret rationi gratiæ, uel illo se protexissent Pelagiani, uel illo catholici Patres adtemperassent rigorem censendi contra illos. At uero simpliciter absque ulla distinctione meriti in septima condemnatione Concilij Palestini, ut refert ad Paulinum Aug. (quoniam in Mileuitano non ita explicitum est) anathematizatur, qui dixerit gratiam Dei secundum merita nostra dari. Et idem August. Hypog. lib. 3. probat, nullum esse meritum hominis ante gratiam, ex illo ad Ephes. 2. Cum essemus mortui peccatis, conuiuificauit nos Christo. Insinuans quod in peccatore, uelut in mortuo, nihil meriti præcedit. Ac demum ait. Audi hæretice stulte & inimice fidei ueritatis. Opera libera arbitrij bona, quæ ut fiant præparantur per gratiæ præuentum, nullo liberi arbitrij merito non damnamus. Damnamus uero authoritate diuina opera liberi arbitrij, quæ gratiæ præponuntur, & ex his tanquàm meritis in Christo iustificari extolluntur: quis enim prior dedit ei, & retribuetur illi. Hæc August. Qui non omnia opera præcedentia gratiam tanquàm mala condemnat, sed tanquàm ullam habentia, seu rationem, seu appellationem meriti. Et super epistolam ad Gala. cap. 4. Christus, inquit, formatur in interiori homine miti & humili corde, non se

Secūdū argumētum.

Aug.

retrac. postmodũ ipse retractauit. Et ad hũc retractatum sensum forsan pertinet & illud, quod fides mereatur iustificationem. Non ait S. Thom. quod formaliter Aug. retractauit fidem mereri iustificationem, sed quod initium fidei esset a nobis. Attamen ait, eodem pertinere, quod fides sit meritum iustificationis: & idcirco simul censetur retractasse, quod meritum iustificationis sit a nobis, si aliquando in hoc sensu opinatus est, fidẽ, tanq̃ opus nostrum esse meritum iustificationis. Verum est tamẽ, Augustinũ, obscure profecto de gratia fidei fuisse locutum. Nam lib. 1. ad Simplicianũ cap. 2. distinguit duplicem gratiã: scilicet gratiam fidei primam, quæ nõ sufficit ad obtinẽdũ regnum cælorum: & supponit exẽplum in cathecumenis, anteq̃ sacramentorũ participatione incorporẽtur ecclesiæ: alteram uero, qua homines corpori iam, inquit, Christi, & sancto Dei tẽplo deputantur. Quia nisi quis renatus fuerit ex aqua, et spiritu sancto, non intrabit in regnũ cælorum. Atqui primã gratiam appellat inchoationẽ, conceptioni similem: secundã uero, natiuitati, ut ad uitam perueniatur æternã. Ex his autem uerbis hoc nunc præcise, quod extra cõtrouersiã est, recipimus: scilicet, quod possit homo recipere fidem sine charitate per auxilium speciale: quod etiam dicitur gratia Dei. Quod pro cõpertissimo habet S. Th. 2. 2. q. 6. arti. 2. Atq̃ illam nõnunquàm forte habent cathecumeni sine charitate. Licet absq̃ dubio sæpenumero per uotum baptismi recipiãt gratiã gratum facientem, ante baptismũ in re: ut infra suo loco monstrabimus. Coniectura ergo est, qđ ubicunq̃ Aug. dicit, fidem inchoa re meritum, & impetrare iustificationem, loquitur de illa fide, quæ tempore p̃ auxiliũ Dei potest præcedere gratiã gratum facientẽ, ut lib. 1. retrac. cap. 13. & crebro alijs locis. Sed tñ uocat inchoationem meriti, exclusiue: quia scilicet fides ostendit nobis a quo debeamus petere auxilium. Et hoc etiã uocat impetrare iustificationem: non quod illic sit aliqua ratio meriti. Nunq̃ enim Aug. cogitauit meritum esse aliud, quàm de condigno: id scilicet, quod gratiæ iustificãti succedit. Vnde Hypog. lib. 3. ubi ait, quod absq̃ adiutorio gratiæ nil ualet homo incipere, explicat illam præuenientem gratiã, esse gratum facientẽ. Præue-

S. Tho.

Aug.

nitur enim, inquit, homo medicina, id est, Christi gratia ut sanetur, & reparetur. Quamobrem sæpissime repetit, quod homo per peccatum captiuus, nullam ad bonum libertatem habet, nisi spiritu gratiæ fuerit liberatus ab eo qui dixit, Si uos filius liberauerit, uere liberi eritis: ut patet de correp. & gra. lib. 1. & ubiq; apud ipsum. Est ergo actus fidei, inchoatio meriti. Sed si consyderetur, ut secundum naturam antecedit gratiã est inchoatio exclusiue meriti, non meritum, ex eo quod est primus actus & motus, quo a Deo trahimur. Si autem pensetur quatenus sequitur gratiam, tunc plane est primum meritum. Et iste est sensus germanus Augustini. Sane qui in epistola ad Paulinũ, quæ est. 106, ubi loquitur de merito fidei, expresse ait, quod si aliquid boni operatur homo ut gratiam mereatur, non ei merces imputatur secundum gratiã, sed secundum debitum. Si autẽ credit in eum qui iustificat impiũ, ut deputetur fides eius ad iustitiam, profecto antequàm gratia iustificetur, ut iustus efficiat, impius quid est, nisi impius? Igitur ante gratiam iustificantem nullã prorsus rationẽ meriti admittit, neq; in actu fidei. Et subdit. Si quis autem dixerit, quod gratiã bene operãdi fides mereatur, negare, inquit, non possumus. Sed tñ qui habent fidem qua impetrent iustificationẽ, per Dei gratiam uenerũt ad legem iustitiæ. Et paulo inferius explicatius ait, quod fides impetrat iustificationẽ, sed statim mentem suam exponit: dicens, non quod gratiam Dei aliquid meriti præcedit humani, sed ipsa gratia meretur augeri, ut aucta mereatur perfici. Nõ ergo uult, quod prima gratia cadat aliquo modo sub merito, sed augmentũ gratiæ. Et loquitur expresse de gratia gratum faciente, quippe quæ sola est, quæ perficitur in patria. Sed ne ulla restet dubitatio apud Augustinũ, ipse se in lib. de spir. & lit. cap. 13. palã exponit, ubicũq; dixerit, q̃d fides impetrat iustificationẽ. Non. n. intelligit, quasi p modum ullius meriti: sed quia docet qũo a Deo debeamus petere auxilium faciendi, q̃d lex imperat. Et pariter respondemus ad illud. 2. epistolæ ad Sixtũ de merito fidei Publicani. Etenim uel sẽsus Augustini est de merito cõdigno, propterea quod qñ Publicanus adiuit tẽplum, uerisimile est aduenisse in gratia, ueluti qui iam tunc eandem humilitatem

Fidei inchoatio meriti.

Aug.

De meri. publicani nõ nullo.

mum huius nominis conijcio decepisse, fuit, quod legit apud antiquos, congruum esse, ut qui suis naturalibus bene uteretur Deus misericorditer subueniret. Congruit enim bonitati diuinæ, ut si homo pro sua fragilitate facit, quod natura potest, Deus pro sua misericordia suppleat, quod non potest: suppleat inquàm non statim infundendo gratiam, sed per auxilium speciale adparando conuertendoq; ad se illum cui gratiam infundat. Congruitas ergo illa non in nobis, sed in Deo est. At uero meritum quàmuis addant, de congruo, nisi uelint terram, uocare cælum, non dicit congruitatem solum in Deo, sed opus in homine, cui aliquo modo debeatur gratia. Quod esse nullo modo potest, nisi in illo qui est in gratia. Apertissima sunt uerba Anselmi proso.cap.10. loquentis cum Deo. Cum punis malos, iustum est, quia illorum meritis congruit. Cum parcis malis iustum est: non quia illorum meritis, sed quia tuæ uoluntati, & bonitati condecens est. Nullam ergo congruentiam agnoscit Ansel. in meritis nostris, sed in sua bonitate. Cum autē quis incipit esse in gratia, tunc potest & sibi de condigno, & alijs de congruo mereri. Quare S. Thom. licet. 1.2. abiecerit opinionem quam uisus est sequi in. 2. senten. puta, quod quis posset sibi mereri primam gratiam de congruo: ut patet q.114. artic.5. non tamen negat, quin ille qui est in gratia, possit de cōgruo mereri primam gratiam alteri: merendo, quod Deus disponat ipsum per bonam inspirationem & motionem. Et. 3.p. q.2 in S. Patribus subodorat aliquod meritū congrui respectu aduentus Christi: uidelicet orationes ex gratia procedentes. Hoc tamen meritum non fundatur in aliqua lege statuta Dei semper annuendi, & infallibiliter concedendi, quod petitur. Multi.n. iusti instantissime orant pro conuersione aliorum, qui tñ non impetrāt, ut testat Propheta: ubi ait. Si steterit Moses & Samuel corā me, non est anima mea ad populū istum. ¶ Sed utrum saltem motio illa qua homo per auxiliū speciale disponitur ad gratiam, sit meritum de congruo, ut quidā modo incipiunt euulgare. Profectò licet hoc nō inijceret tantū scrupulū quantū illud opus qđ fit ex puris naturalibus, nihilominus neq; hoc censendum est ullo nomine meri-

Margin notes: Deceptio de merito cōgrui. — S. Tho. — Hiere.15 — Vtrum cū aux. spe. sit me. cōg.

militatem gerebat in animo, quam oris postea confessione deprompsit. Ob idq; solum meruit iustitiæ & sanctitatis augmentũ. Sed dictus est exisse iustificatus: id est fecisse opus iustitiæ: qd' cap. ulti. repetemus. Vel si meritũ enũcietur de operibus præcedentibus, intelligiť qd' fuerit initiũ meriti exclusiue, ut supra explicatũ est de actu fidei per auxiliũ speciale. Et in altero istorũ sensuũ, audiendus est Aug. & Cypria. & quicunq; de hac re loquantur, dicentes, quod fides est nonnullũ meritum. Tametsi forsan nõnunq; Patres loquuntur eo modo de merito, quo de homine diu uiuente in peccato dicere consueuimus, postea meruisse iustificari, propter aliqua opera moraliter bona, quæ fecerat in peccato. Non quòd illa sint ullo modo merita apud Deum, sed in usu loquẽdi uocamus merita, bonum illum usum naturalium: uti iam ante dicebamus in prima acceptione meriti. Inuentum ergo est nũquàm antea excogitatum, quod uelit quis Augustino inurere meritum congrui: quod credo ipse nunquàm suspicari potuisset. Sed & de Magistro sententiarum iniuria est dicere, quod tenuerit primam gratiam cadere sub merito. Siquidem. 2. senten. d. 26. neq; transuersum unguẽ ab Augustino deuius expresse id negat. Et distinct. 27. cap. 4. In bonis, inquit, merendis causæ principalitas gratiæ attribuiť: quia principalis causa bonorum meritorum est ipsa gratia, qua excitatur liberũ arbitrium & sanatur. Gratia autem qua sanamur procul dubio non est alia quàm gratum faciens. Et idem repetit cap. 5. et. 6. ubi explicans, quomodo fides meretur iustificationem, ait, quod unicuiq; uirtuti proprium est per suum actum meritum esse. Nempe, duce charitate. Quo tandem iam molestam disputationem absoluam, euidentissimum argumentũ hoc est, neq; Augustino, nec Patribus notum fuisse aliud meritum quàm condigni, quod si de merito ullo ante primam gratiam uspiam fuissent locuti, confestim expressissent, non id intelligere de merito iustitiæ, & cõdigno: sed de merito cõgrui, uel quouis alio: ut cauerent ne homines facerent Pelagianos. Cũ ergo nusquàm taliter de merito distinxerint, manifestissimum est, nullam eos rationẽ cognouisse meriti ante gratiam iustificationis.

Inuentũ meriti de congruo.

Magister sent.

Euidentius argumẽtũ.

Quo error Lutheranorum de iustificatione exponitur. cap. 5.

Eo nobis demum instituti nostri peruentum est, ubi princeps nobis est cum Lutheranis cõtrouersia. Diximus inq; de operibus ad iustificationem nos præparantibus usq; ad punctũ ipsius infundendæ gratiæ. Subsequitur ex ordine iam nunc, ut de eisdẽ operibus quatenus a Deo præuẽti nostræ cooperamur iustificationi plenius disseramus. Qđ est an sola fide iustificemur. Est aũt lis hæc de sola fide, adeo, tũ a suis exordijs abstrusa, tũ ob diuturnã utrinq; pugnã obuoluta ac implexa, ut ad eruẽdam ueritatem uix nobis alicunde pateat aditus. Quocirca si in hoc negocio, ubi sunt tam multi sapientes uersati, conferre quicquàm ualet opera nostra, saltem conabor statum causæ qua potero perspicuitate constituere. Scilicet & aduersariorũ sententiam & nostram, uia, & ordine, quibus punctis discordent aperire. Id quod in his, quos hactenus legimus, semper desideratur. Cum enim uerbis iam ferme nobiscum isti consentiant, non ita multum conducit, testimonia & argumenta cumulare, quod nõ sola fide iustificemur, nisi sensa ipsorum denudemus, quorum subinde articulos punctim petamus. Quod quia forte non hucusq; effectum a nostris est, minus promouerũt. Eo præsertim, quod si quos alias unquàm perpessa est ecclesia infestos homines, qui sola dictionis perplexitate, & caligine obtecti, depugnauerint, isti sicut potissimũ. Sola tenebrarũ densitate potuerunt de hac re plebes deludere: summa ergo sunt claritate deuincendi. Vt fuerit fallacia hæc prodita explicatissime, ita erit protinus efficacissime conuicta. Igitur protoparẽs ille istorũ Martinus Luthe. si in exordio statim primi tomi suorũ operum, suam ipsi historiã præ narranti fides habẽda est, uirus quod postea euomuit, ab inuidia Romanæ sedis concepit, ob quæstum potissimum (ut ait) indulgentiarũ. Et quoniam sunt remissiones peccatorũ, mox cœpit necessitatẽ operum inficiari, quæ fiunt in satisfactionem de peccatis. Prædicans nullum post dimissum peccatum relinqui reatũ pœnæ: eo q; Christus pro omnibus persoluit pretium. Inde gradum fecit, ut prætextu extollendæ fi-

Articul. de iustificatione.

Lutheranorũ caligo.

Luthe.

dei,opera uniuersa,uana reputaret: affirmans, sola nos fidē iustificari:per hoc scilicet duntaxat,quod quisq; credat sibi cō donari peccata per Christum. Tandem eo prorupit insanię, ut omnia opera,etiam sanctissimi hominis, peccata æstimaret. Quin uero una illa fide adimpleri omnia præcepta,atq; adeo qui credit,liberum esse a lege:quod lib.3.expugnandū nobis est. Igitur articulus hic multo uirulētior,ac perniciosior natus,nutritusq; est aliquo tempore,quàm iam modo defenditur. Hoc enim sensu cœpit Luther.suaq; deinceps progenies profiteri,sola nos fide iustificari,quod qui unā hanc haberet certam firmāq; fidem,condonari sibi,scilicet gratis peccata per Christum,nulla alia operū lege teneretur,sed quicquid operis perpetraret,si fidē retineret, neutiquàm gratia decideret. Assertiones ergo de hac re istorum non cōfuse,ut assolet,sed ex ordine disponā,ut gradatim melius perpendantur. Primum enim Luthe. in assertionibus ad Leonem,arti.1.fidem cum sacramentis comparans. Nec noui,inquit,nec ueteris testamēti sacramenta,sed sola fides iustificat. Et contraria sententia hæretica est. Et arti.15. Ad sacramentū eucharistiæ accedētes hæc sola fides puros facit & dignos,si credant & confidant se gratiā ibi consecuturos. Secundo cōferens fidem cum operibus ait in lib.de libertate christiana,solā fidem sufficere ad salutem:opera nullo modo iustificare. Et in expositione epist. ad Gal. Sola,inquit,fides necessaria est, cætera omnia opera liberrima,neq; præcepta,neq; prohibita. Et in lib.de captiuitate Babylonica. Per solam fidē possumus cum Deo agere, opera ille nihil curat,neq; illis indiget. Et de uotis monasticis. Fides & opera quàm longissime inter se distant,& contrariantur,ut non possint opera absq; fidei iactura doceri:nam euangeliū pugnat cum lege. Et in libello de libertate christiana, docet eum qui habet fidem,liberū esse ab omnibus pręceptis legis,neq; ullis indigere operibus ut saluus sit: sed sola, inquit, fides hæc omnia largitur abunde. Tertio itaq; eo progreditur, ut nulla etiam opera,quantūcunq; praua,officere quicq; existimet habēti fidem. Sic enim ait in sermone aduersus Carolstadium. Nullum est peccatū,nisi incredulitas, nulla iustitia nisi fides. Ex quo in de captiuitate Babylonica, infert nulla

Assertiones Lutheranorum.

peccata posse hominē damnare,& si uelit, nisi solā incredulitatē. Neq; habenti fidem, dubitandum est de sua salute: quia promissio ibi facta nullis peccatis est mutabilis, nisi sola incredulitate. Et in deuotis monasticis. Nulla opa credēti in Christum tam mala sunt, quæ possint eum damnare,& accusare. Cætera proprijs cuiusq; locis adijciētur. Hæc omnia dogmata ad literam perseuerauerunt aliquandiu tueri sui postea discipuli: atq; huiusmodi floribus opera sua conspergere: ut est potissimum uidere apud Melāthonem in locis cōmunibus.

Hæresis manifesta.

In hoc tamen explicato sensu: uidelicet, quod eatenus nulla sint alia necessaria opera prӕter fidem, ut nullum extra incredulitatem sit peccatum, insanissima hæresis est,& quam miraculum est mentem christiani hominis occupasse. Haud tamen noua est pestis, sed quæ ab initio usq; nascentis ecclesiæ genus ducit. Fuit enim hæresis Eunomij, quā Aug. lib. de hære. cap. 54. sub his uerbis refert. Fertur etiam usq; adeo fuisse bonis moribus inimicus, ut asseueraret, quod nihil cuiq; obesset quorūlibet perpetratio ac perseuerantia peccatorū, si huius quæ ab illo docebatur fidei particeps esset. Idem affirmat Luther. Nisi quod ait fidem non debere esse ociosam: sed libere debere christianū exercere se in operibus charitatis erga proximos. Et in de fide & operibus cap. 14. idem Aug. tempore statim apostolorū ait, hāc ipsam hæresim eadem omnino exordia, quæ in istis modo nostris aduersarijs, habuisse. Nempe dum non intellectis, inquit, quibusdā obscuris sententijs apostoli Pauli: scilicet, Lex subintrauit, ut abūdaret delictum, et Arbitramur hominē iustificari per fidem sine operibus legis, arbitrati quidā sunt fidem satis esse ad salutem sine alijs operibus bonis, quinimo malis nihil obstantibus. Quā inquit, ob causam aliæ apostolicæ epist. Petri, Ioānis, Iacobi, & Iudæ contra hanc maxime dirigunt intentionem, ut uehementer astruant fidē sine operibus nihil prodesse. Sicut ipse ait Paul. Fides quæ per dilectionem operatʳ. Et super psal. 31. eorūdem hæreticorum uerba inducit, misericordiā Dei peccatoribus ita promittentiū, ut in quibuslibet peccatis perseuerantibus, tantū credentibus, quia Deus liberat, Deus ignoscit, paratā esse dicerent: ita ut nemo esset periturus fidelium

Eunomius.

Aug.

Iniquorum. Quibus respōdet, quod Deus ille iustus, quibus cantatur misericordia, & iudicium, damnabit hominē male de se præsumētem, & ad interitū suum, misericordia Dei ipsius abutentem. ¶ Porro cum sensus hic plures conuoluat errores, uidelicet contra necessitatē sacramētorum & operum, & contra præceptorū, & peccatorum numerū, et uarietatem, si turbam simul totā aggrederemur, suo nos agmine obrueret. Instituit Christus sui pretium sanguinis ad nos per sacramenta deriuari, ut quicunq; a fide peregrinaretur, nisi renatus ex aqua & spiritu sancto, non posset introire in regnum Dei, et qui lethale crimen admisissent, nisi egissent pœnitentiam, simul perijssent omnes. Deniq; nulli quantūcunq; reconciliati, nisi carnem filij hominis manducantes, & bibentes eius sanguinem, non haberent uitam in se. Oblatrat contra Luthe. sacramenta non esse iustificandis necessaria, sed solam fidem. Signauit Deus ab initio in mentibus mortalium ius naturæ, ut Deum religione colerent, seq; homines præscriptis certis præceptis in pace, & tranquillitate illæsos continerent, mutuisq; officijs adiuuarent: illa in duabus tabulis postea inscripsit: ac deniq;, cū fides perfectio esset naturæ, in euangelio Christus innouauit: adiectis, quæ sua erat authoritas, alijs nonnullis: admonens, ut qui uellet ad uitam ingredi seruaret mandata: transgressoribus comminatus æterna supplicia: præcipiens apostolis, ut baptizantes gentes sacramento fidei, docerent eos seruare quæcunq; mandauerat illis. Obstrepit Deo Luther. nulla esse opera necessaria præter fidem, neq; alia homines teneri lege. Dignoscit Apostolus complura opera carnis, quæ sunt, fornicatio, immundicia, & id genus plurima, et fructus spiritus diuersos, qui sunt, charitas, pax, patientia, &c. Amputat omnia Luthe. ut nullum sit aliud opus uirtutis præterquàm fidei, nullumq; extra incredulitatem, peccatum. Reliqua utiq; usq; ad suas proprias sedes reponamus. Nunc in hoc libro id tantum examinemus, an in puncto iustificationis alia sint opera necessaria præter fidem, quæ pariter nos præparent cum actu fidei. ¶ Alter ergo sensus est huius assertionis. Sola fide iustificamur, Quem iam Lutherani exacte, ut exi-

Multiplex error.

Cōparatio Luthe. cum euāgelio

Secūdus sēsus Lutheranorum.

ſtimant limatũ,tueri pertendunt. Hunc claritatis gratia,quã ſummopere conamur,per haſce propoſitiones ex ſua doctrina depromptas,explicamus. ¶ Prima, omniũq; fundamentum,aſſertio iſtorũ eſt, Sola fide per Chriſtum ſeruatorẽ noſtrum iuſtificamur. Quæ expreſſiſſime(aiunt)habetur apud

Rom. 3. Paulum. Porro qui ait. Roma. 3. Arbitramur hominem iu-

Ephe. 2. ſtificari per fidẽ,non ex operibus. Et Ephe. 2. Gratia eſtis ſal uati per fidem,& hoc non ex uobis, Dei enim donum eſt. Et hoc eſt punctũ capitale quo diſſentiunt a ueritate catholica, quã nos contra,legitime interpretantes Paulum,propugnamus: uidelicet nõ ſola nos fide iuſtificari. ¶ Et quis ſeries hęc & ordo minime apud illos habeatur,tamen,ut de ſingulis lucidior ſit diſputatio,ſit,ad expoſitionẽ prioris, ſecunda eorũ

Secũda propoſitio. propoſitio. Iuſtificari trifariã dicitur. Quandoq; enim uſurpatur de eo quod eſt comprobari,aut iudicari, aliquẽ eſſe iuſtum. Secundo modo accipitur pro eo,quod eſt,ex iniuſto iuſtum fieri. Et tertio modo pro eo quod eſt,iuſtitiã iſti augeri. De quibus acceptionibus capite proximo explicatior fiet ſermo.

Tertia propoſitio. ¶ Huic ſubijcit̃ tertia ex eorũ aſſertis propoſitio. Cum dicitur,ſola nos fide iuſtificari,id ſentiendũ eſt, tam de ſecũdo, quam de tertio modo iuſtificationis. Ita ut tam acquiſitio,quam augmentum iuſtitiæ,ſolæ tribuatur fidei. Quod ſi opera bona illius qui iam iuſtificatus eſt,dicũtur aliquo modo ipſum iuſtificare,id inquiunt, dũtaxat eſt in prima uſurpatione iuſtificatiõis: ſcilicet,quod iuſtus per ſua opera pronũciatur a Deo iuſtus: quia opera ſua reputantur ab eo iuſta,& cõmendant̃, tanquàm fidei teſtimonia. Imo uero ex pertinacia illa,quod poſt baptiſmum concupiſcentia adhuc manet peccatũ,conſequens faciunt,omnia opera,etiam iuſtificati,eſſe de ſe peccata,niſi quod per gratiam Chriſti non imputantur. Quæ quidem diſputationes ad. 3. librum pertinent.

Quarta ꝓpoſitio. Fides tripliciter. ¶ Quarta iſtorum aſſertio eſt. Nomẽ fidei tripliciter accipitur. Primo modo de fide hiſtoriæ. Secundo de fide promiſſionis. Et tertio de fide miraculorũ. Diſtinguunt enim tam uetus quàm nouũ teſtamentum. Dicentes,quod alia ſunt in ſcriptura ſacra,quæ ad hiſtoriã attinent: ut creatio mundi,inundatio diluuij,& reliquæ Patrum hiſtoriæ. Et in nouo teſtamẽto. Natiuitas,uita,

& Mors Christi. Alia sunt quæ pertinent ad promissiones. Vt. In semine tuo benedicentur omnes gentes. Non auferet sceptrum de tribu Iuda, donec ueniat qui mittendus est. Qui crediderit et baptizatus fuerit saluus erit. Accipite spiritū sanctum, quorum remiseritis peccata, remissa erunt, &c. De fide miraculorum paulo post. Distinctio fuit primo Lutheri in de libertate Christiana, & art. 1. ad Leo. quę suis celebratissima ē.

¶ Supponūt & huic distinctioni quintā propositionem. Cū docemus, inquiunt, sola nos fide iustificari, nō intelligimus de fide historiæ, qua credimus, ueram esse scripturā, sed de fide: hoc est de fiducia, qua quisque fidere debet promissionibus Dei de remissione peccatorum per Christum efficienda. Hæc illi. Sinistre ergo putant aliqui, fidem historicā appellari ab illis fidem humanitus acquisitam, ut distinguitur contra diuinitus infusam. Quinimo fides historiæ in schola Lutherana, est quoque diuino afflatu inspirata, sed ex parte obiecti digno scitur a fide, quæ habenda a nobis est diuinarum promissionū. Quinta ppositio. Fiducia. Fides historica.

¶ Sexta eorūdem propositio est, et quàm maxime adnotāda, sane quæ basis est suæ confictæ iustificationis. Fides (aiunt) qua iustificamur non est fiducia sola in genere, qua confidimus, Deum paratum esse recōciliare uniuersos per Christū, si sua duritia, & culpa non obstiterint. Sed est fides & fiducia qua quisque in particulari, & absque ulla cōditione firmiter credit, certoque confidit, nunc in facto sibi remitti peccata a Deo gratis p Christum. Et quoniā assertum hoc, omniū est inter nos controuersiarū maxima, quin uero uniuersarum fomentū, radicem huius & causam sic accipito. Vbi aiunt, fide nos iustificari, non intelligunt, quod actus ille & assensus fidei noster sit aliquo modo meritum aut causa iustificationis: imò neque dispositio aut præparatio: sed quod sit quasi manus uel uncinus quo apprehendimus misericordiā Dei per hoc solū, quod est assensus quo credimus Deum esse ueracem & fidelem sponsorem: uti iā iam apertius edisserā. Sexta propositio.

¶ Septima fuerit, postremaque istorum conclusio. Tametsi fides historiæ reliquæ euangelij, quæ donum etiā Dei est, manere utique possit absque spe & charitate, fides tamen firma promissionis peccatorum esse neutiquam sine illis potest: sed sunt, inquiunt, indiui- Septima propositio.

nis pro eo quod est, reum absolui in iudicio, & pronũciari ab illo. Neq; usurpatio hęc adeo est aliena a prima, quinimo omnino illi agnata. Quemadmodũ enim in re apud Deum iustificari, est eum qui iniustus erat, iustum fieri: ita in foro exteriori coram hominibus, est, eum qui iniustus habetur, et reus fit, secundũ allegata, & probata pronũciari iustum. Quo sensu Prouer.17. ait Sapiens. Qui iustificat impium, & qui condemnat iustum, abominabilis est uterq; apud Deũ. Et Deuter.25. Si fuerit causa inter aliquos, & interpellauerint iudices, quem iustũ esse perspexerint, illi iustitiæ palmã dabunt. Ad uerbum græcum reddendum esset. Illum iustificabunt. Neq; abhinc quidem longissime distat significatio illa psalmi. Vt iustificeris in sermõibus tuis, & uincas cum iudicaris: id est, ut cũ homines de te iudicauerint, iustus inueniaris. Ad hunc prope modum, iustificare, significat etiam cõmendare, seu iactare iustitiam. Secundũ illud Lucę.10. Ille autem uolẽs iustificare seipsum. Et cap.16. Vos estis, qui iustificatis uos coram hominibus: Deus autem nouit corda uestra. Hæc autẽ tertia significatio nuspiã est apud Paulum, neq; in scriptura: ubi fit mentio de nostra per Christũ iustificatione. In quo Lutherani (quæ sua est tertia ꝓpositio turpiter falsi, nequiter fallũt. Sed accipit̃ iustificatio primo modo pro uera acquisitione nouæ iustitiæ. Et ubi accipitur secundo modo, designatur quoq; uera augmentatio iustitiæ, quæ fit ꝑ opera nostra, emanantia ex gratia Dei, & non duntaxat reputatio seu commendatio iustitiæ, ut in subsequẽtibus fusius demonstrabit̃. Vsus est ergo Paul. nomine iustificationis (si rem coniectari nobis licet) alludens forsan ad originalem iustitiam, in q́ua creati sunt Protoparentes nostri. Nam quoniã illam omnes ex culpa sua perdidimus, liberationẽ ab hoc nostro originali cõtagio significanter nuncupauit iustificationẽ: hoc est, restitutionem, & quadãtenus instaurationem, non quidem eiusdem prorsus originalis iustitiæ, sed tamen rectitudinis hominis ad Deum, quæ illius erat forma & radix. Quocirca ut scite adnotauit S. Thom.1. 2. q. 113. Quàmuis iustificatio nostra, & a fide inchoetur, & consummetur ꝑ charitatẽ, a neutra tamen harũ uirtutum sortitur nomen: sed a generali iusti-

[Margin notes: Prou.17. / Deut.25 / Psal.50. / Allusio ad iusti. orig / S.Tho.]

tia. Eo quod fides peculiaris uirtus est intellectus: ueluti charitas, uoluntatis: sed iustitia totam designat hominis rectitudinē. Hinc fit, ut, iustificatio, solum passiue accipiatur pro illo motu qui est in homine. Neq; propria est distinctio qua aliqui effingunt, aliam esse in Christo iustificationē, quę est causa nostræ, & aliam in nobis, quæ est illius effectus. Nam sicut apud philosophos, motus non est in mouēte, sed in re mota, ut calefactio non est in igne. sed causa calefaciendi, unde procedit calefactio, quæ est in aqua. Nec concederet Arist. quod calefactio actio sit in igne, sed ab igne: sunt enim ijdem motus actio, & passio, licet respectus actionis sit in igne. Eodem modo neq; in Deo neq; in Christo est proprie iustificatio nostra, nisi quia in eo est causa unde procedit iustificatio nostri. Vnde August. de spi. & lit. cap. xi. exponens illud Pauli. Iustitia Dei in eo reuelatur &c. ait ideo dici iustitiam Dei, quod nobis illam impartiendo, iustos nos facit. Et super illud Psal. 30. In tua iustitia erue me. Iustitia, inquit, Dei nostra fit, cum nobis donatur. Et hæc de primo uerbo quæstionis, scilicet iustificatio. ¶ Alterum uero, puta fides, non solum pars aduersa, ut in quarta ipsorum propositione retulimus, sed nostri etiam in tot discindunt ac dilaniant significatus, ferme quot sunt in scripturis uerba de fide. Adeo ut uix possimus mēte retinere tam multiiugam nominis ęquiuocationem. Etenim aduersarij quo fidem quæ est extra charitatem, fidem esse denegēt, de qua tamen ait Paul. Si habuero fidem, ita ut montes transferā, charitatem autem non habuero, nihil sum, confingunt, nescio quam fidem miraculorum, distinctam a fide catholica. Et quo defendāt sola nos fide iustificari, discernunt aliā fidem historiæ euangelicæ (quā negare nequeunt haberi posse extra gratiam) a sua fide iustificante confinguntq; nescio quas alias fides: ut est potissimum uidere apud Melanthon in apolo. & latius in locis cōmunibus: & apud Bucerum in sua modo reconciliatione cōtrouersiæ iustificationis. Quin Pighius etiam noster docet fidem accipi pro fiducia: item pro conscientia. Atq; alios iam usq; ad quindecim sectiones fidei audiui multiplicantes: scilicet, pro authoritate, pro promissione, pro iureiurādo, et ne-

Iustificatio solū passiue.

Augu.

Fides indigne dissecat.

Melan.

Bucc.

Pighius.

accipi nisi fide. Vide quomodo semper accipit pro præciso actu intellectus & absq; ullo prorsus ænigmate, Buce. in sua concordia controuersiarum, exponens libellum imperatorium, ait fidem, ut fides est, ut assensio est euangelij, fidem ipsam solam: hoc est, primo & per se esse solidam plenamq; causam receptiuam primum gratiæ atq; adoptiōis Dei, & principis iustificationis: id est qua ex iniustis efficimur iusti: deinde sequitur charitas, ad operandum iusta. Nota ergo quàm aperte reuera negent, fide nos iustificari per charitatem operante: siquidem sola assensione intellectus, aiunt, apprehendi gratiam: quam mox gratiam consequitur charitas, atq; adeo opera. Atq; hac de causa, asserunt necessarium esse nexū inter fidem & charitatem. Nempe quod fides sola assequit̄ primum gratiam, quam gratiam protinus cōsequitur charitas. Nos autem secundum euāgelicam ueritatem, dicimus, quod apprehēdere gratiam, & misericordiam, non est idem quod assentire, et credere: nisi, apprehēdere, accipiatur pro eo quod est cognoscere: unde potentiæ cognoscitiuæ appellantur apprehensiuæ. Sed defendimus, quod apprehēdere est actu credendi, sperādi, & diligendi per detestationem peccatorꝝ, prę-ueniente afflatu et ope diuina, disponi, parari, trahi, uenire et conuerti ad suscipiendum gratificantem gratiam. Ita ut fides non solum post gratiam, sed in receptione ipsius gratiæ per actum dilectionis operetur. Quia de ipsa prima iustificatiōe loquebatur Paul. ubi ait, apud Deū neq; circuncisionē, neq; præputiū quicq; ualere: sed fidē, quę p charitatē operat̄. Quę tñ istis soboles ex hoc dogmate ꝓpaget̄, in subsequētibus apparebit. Huc te ergo optime lector identidē post hac remittemus. Hāc ob oculos habebis pagellā, quā deinceps respectes.

Veritas catholicorum.

Quo termini controuersiæ exponuntur. ca.6.

IN capite ergo statim disputationis duas istas uoces, iustificatio, et, fides, exponere est operępretiū. Iustificatio trifariā (ut in secunda sua propositione cum Lutheranis consentiamus) accipitur. Prima, genuinaq; notio huius nominis, est acquisitio iustitiæ: nēpe ex iniusto iustum fieri. Sicuti calefactio ex frigido fieri calidum. Nomina enim huius figuræ mutationē inter duo con

Iustificatio nomē multiplex.

dem habemus, quos plus intelligere, quàm nos arbitramur. Et ꝙuis doctores sancti primi fuissent, qui rem hoc nomine donassent, satis haberet notio hæc authoritatis. Est.n. apud omnes ecclesiasticos summo consensu recepta. Duos ergo si demus huic nomini fides, significatus, satis est. Nempe ut sit fides, quā mihi quispiam dat, dum quicquàm asserit, aut promittit, & quā ego uicissim do illi, dum credo. Has dūtaxat notiones edocet Aug. de spi. & li. ca. 31. His uerbis. De hac enim fide nūc loquimur, quam adhibemus cum aliquid credimus: non quā damus cum aliquid pollicemur: nam et ipsa dicitur fides. Sed aliter dicimus. Non mihi habuit fidem: aliter autē, Non mihi seruauit fidem. Nam illud est, non credidit quod dixi: illud, non fecit, quod dixit. Secūdum hanc fidē, qua credimus, fideles sumus Deo: secundum illā uero, qua fit quod promittitur, etiam Deus ipse fidelis est nobis. Hoc enim dicit Apostolus. Fidelis Deus qui non uos permittit tentari supra id quod potestis. Tātum Aug. Animaduertamus ergo, duobus modis dici fidem. Primo, qua Deus est nobis fidelis, altero, qua nos sumus Deo. Vno cap. 3. ad Roma. designat Paul. utrunq;. Vbi enim ait. Quid, si quidā illorum non crediderunt? Nunquid incredulitas eorꝝ fidem Dei euacuauit? Absit, ibi fides accipitur primo modo pro fide qua Deus est fidelis in suis promissionibus: quæ porro non pendēt ex operibus nostris, ut Iudæi putabant. Et ideo ait, quod ꝙuis quidam non crediderint promissionibus Dei, nec legē eius seruauerint, firma tamē ueritas manet in suis dictis, ut faciat qđ dixit. Vbi autem paulo inferius ait. Iustitia autem Dei per fidem Iesu Christi in oēs, & super omnes qui credunt in eum, loquitur de fide secundo modo: nimirum qua nos credentes fideles sumus Deo, quæ quidē causa est, & fundamentum iustificationis nostræ. Ex his primo colligitur, quod non est necessarium ut alio modo accipiat fides pro fiducia: ut tā nostri quidam, quàm aduersarij omnes pro cōperto habent. Nam fiducia, res est alia a fide & proles eius. Nec per se proprie est uirtus, sed uirtutis modus. Est enim ut scienter ait S. Thomas. 2.2.q.129. roborata spes ex aliqua firma opinione: seu robur spei, pertinens ad magnanimitatem. Inde.n. quod

Duo significatus, fides

Augu.

Rom. 3.

Fiducia

fidem habeo dictis asserentis, aut promittentis, spero & fido ita fore. Quinimo ꝗuis ex fide nascitur, a charitate postmodum augetur & perficitur. Et ideo fiducia a fide nomen trahit, sicuti effectus a causa. Quamobrem firma, certaq; fides exprimitur nomine fiduciæ: ueluti causa, nomine effectus. Id quod ex exemplis ipsis, quæ isti multiplicatores significationum fidei adferunt, palam constat. Aiunt enim hoc mo-
Iaco. 1. do accipi fidem pro fiducia: ubi ait Iacob. cap. 1. quod is qui a Deo quicquam postulauerit, postulet, in fide nihil hæsitans, ita accipi quoties in euangelio exigebat fidem ab illis Chri-
Matth. 17. stus, qui ad se ueniebant petitũ sanitatem: & ubi ait. Si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis mõti, transi hinc &c.
Cor. 13. Et ubi ait Paul. Si habuero oẽm fidem, ita ut montes transferã, &c. Cum tñ sit manifestissimum in his omnibus locis accipi fidem pro fide catholica: id est pro assensu firmo, certo et constantissimo, quem debemus, præbemusq; dictis Christi. Enimuero cum hæc fides, esset fundamentum qua nititur tota salus nostra, ut crederemus Christũ esse Deum, atq; adeo uera esse omnia quæcunq; nos euangelizando docuisset, in corroborationem huius fidei faciebat omnia miracula. Quę Patribus & theologis receptissima doctrina est. Atq; ex illo loco compertissima, ubi dimittens apostolos prædicatũ euã-
Mar. ul. gelium sic eos instituit. Signa autem eos qui crediderint, nẽpe qui fidem catholicam susceperint, hæc sequentur. In nomine meo dæmonia ejcient, linguis loquentur nouis, serpentes tollent, et c. Quare mirari satis nequeo, cum quod aduersarij nostri aliam fidem miraculorũ excogitauerint, quàm ca-
Matth. 17. tholicam, tum maxime quod nostri doctores aliã agnoscãt, ubi ait Christus. Si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic, transi hinc illuc, & transibit: cui concinit illud Pauli. Si habuero fidem, ita ut montes transferam: aut ubicunq; in euangelio miraculum facturus, fidem exigebat. Illud enim de Centurione salutem puero suo depre-
Matth. 8 cante. Amen dico uobis, non inueni tantam fidem in Israel, de qua rogo fide quàm de catholica intelligitur? Sicuti & illud ad cæcos Matth. 9. Creditis quia hoc possum facere uobis? Quibus respondentibus, utiq; domine, subdit, secundũ fidẽ

uestram

ficio quibus aliis modis. Quæ quidem uarietas, & diuersitas, præterquàm quod absq; ratione & arte rei simplici tribuitur, omnes fimbrias, & neruos disputationis fidei præscidit. Cum enim Christus unam fidem catholicam, quam basim structuræ christianæ præiecerat, quàm plurimis priuilegiis donasset, ut illam in animos mortalium altius imprimeret, quiuis locus scripturæ, ubi tale aliquod priuilegium, & uirtus fidei commēdatur, facile iam elusus repellitur. Sane cum quilibet fingit, hoc, uel alio modo usurpari illic, quam semel lacerauit fidem. Haud quidem inficias ierim, quin sint primum omnium homonomiæ, & amphibologiæ explicandæ, ne disputatio hoc uitio laboret: sunt tamen iudicio, & arte dignoscendæ. Agam prius cum nostris. Nam de notionibus, quibus hoc nomine utuntur Protestantes, paulo inferius futurus est sermo. Igitur quantum meditari possum, duplex tantum significatus est in hoc nomine fides. Significat enim & uirtutem moralem, quæ est in uoluntate, & intellectualem quæ est intellectu. Quæ quidem explicatio ex ipsa statim nominis ethimologia perlucet. Etenim & Cicero prius, libro. 1. de officiis, & postmodum ep[?]. 19. ad Hiero. August. in duabus syllabis, quarum prima est a, fio, secunda uero a, dico, adnotarunt, fidem eo dici, quia fit, quod dicitur. Vnde fides primum omnium significat constantiam, & ueritatem, quæ in dictis quidpiam asserentis, aut promittentis, inesse debet: quæ nimirum moralis uirtus, fidelitas etiam nuncupatur. Qua de causa, ait illic Cicero. Fides est dictorum, & conuentorum constantia & ueritas: quæ quidem est totius iustitiæ fundamentum. Ob idq; in pactis, ubi est utrinq; mutua promissio, dixit ille. Accipe, daq; fidem. Falluntur ergo, nisi ego fallor, qui dicunt uno modo accipi fidem pro promissione uel sponsiōe. Nam promissio res est prior fide. Etenim cū quis quid pollicetur, dicitur promissione illa dare, astringere, & obligare suam fidem: quam postea liberat, cum implet promissionem, uel uiolat, si non implet. Non tamen dicitur obligare, aut dare promissionem, sicut nec dicitur, implere fidem, sed promissionem. Est ergo fides non promissio, sed ueritas firma, quæ

Nocet tā multiplex diuisio fidei.

Homonomia, explicāda.

Fides bifariā dicitur.

Fides quia fuit quod dicitur.

Fides distinguitur a pmissiōe.

uestrã fiat. Sed hoc est, quod istos decipit, quod, ut paulo ante dicebamus, aliquando gradũ ipsum certissimę fidei explicat nomine fiduciæ, ut eodem capite. Confide fili. Nõ consyderantes, quod fiducia solum commendatur tanq̃ signum firmissimæ fidei. Et ideo potius nomẽ fiduciæ accipit pro fide, q̃ nomen fidei pro fiducia. Quocirca eadem est fides catholica, quam modicam reprehendit in Petro, quem erudiebat futurum caput ecclesiæ, & quam in Chananęa, magnam cõmendauit ad confusionem populi Israel. Neq; alia quidem est, de qua ait. Omnia quæcunq; orantes petitis, credite quia accipietis. Credere enim non significat, nisi assensum quem præbemus promittenti: unde si firmus est progignitur fiducia. At uero, si quis arguat contra, non esse petenti necessariã persuasionem, quod sit impetraturus quicquid petit: quippe quæ esse potest falsa, & tamen est semper necessaria fiducia: ergo illic, fides, accipitur pro fiducia. Hunc ego etiam redarguam. Nunquid minus absurditatis habet, fiduciam, quã quis fidit, se obtentum ire quicquid a Deo petierit (si modo id recte postulet) falsam esse posse, quàm fidem, qua idem credit? Profecto quàm certa & firma debet esse fiducia petentium, tam certa esse debet fides. Nam si fiducia ex fide nascitur, quo pacto erit fiducia firmior fide? Attamen fidem hanc explicat Seruator noster. Ioã.16. ubi ait, Amẽ amen dico uobis, quicquid petieritis patrem in nomine meo, dabit uobis. Amen amen, uerbum iurantis est. Petere autem in nomine Christi, est petere ea, quæ ad salutem animæ pertinent, quando & ubi oportet. Et in tali articulo tam fides, quàm fiducia certissima esse debet: in alio uero utraq; erit falsa. Vnde Iaco. ubi ait. Qui postulat a Deo, postulet, in fide nihil hæsitans, proculdubio de fide quã pollicenti Deo debemus, palam loquitur: & idcirco addit, nihil hæsitans. Quo enim quisq; gradu credit, eodem & confidit. Admonet ergo Iaco. ut nemo quicquã postulet, nisi quod certo credit ad salutem sibi conferre, & tunc nihil hæsitet. Vel si nõ sit ita certus, non habeat aliam, uel fidem, uel fiduciam impetrandi, nisi sub cõditione, si id quod petit, tale est. ¶Quod demũ addit idẽ Alber. fidem ẽt accipi pro consciẽtia; ubi ait Paul. Omne quod

Matth. 14. et. 15.

Fides postulãtiũ.

Ioã.16.

Iacobi.1.

Fides distinguit a fiducia

non est ex fide, peccatum est, esset qui negaret: quoniam forsan sensus Pauli, non est nisi, omne quod est contra fidē Christi, peccatum esse. Sed tamen ut demus, accipi illic pro conscientia, profecto nō differt a fide, nisi ut particularis cognitio quę appellatur ad opus, distat ab uniuersali. facere enim contra conscientiam, est facere contra, quàm fides doceat. De alia uero diuisione fidei acquisitæ, & infusæ satis hic fuerit prænotasse, quod hæc nomina non competunt actibus, sed habitibus: quorum primus a Deo infunditur: alter uero humano usu acquiritur. Horum cap. 9. mentio redibit. Obiectum autem actus & habitus promiscue apud philosophos eodē nomine fidei nominantur, eo quod actus circa obiectum uersetur, et habitus sit propter actū. Hac enim notione usurpamus fidem, dicentes omnia quæ sunt in sacra pagina, esse fidem catholicā: scilicet, quia sunt obiectum fidei. De illis uero tribus membris, credere Deum, Deo, & in Deum, ratio locum dabit quo dicamus.

Obiectū & habitus fidei.

De fide sine operibus quidnā conferat. cap. 7.

HIs explanatis iustificatiōis. fideiq; notionibus Lutheranorum machinam ista propositionum serie demoliri instituimus. Prima statuitur contra suum fundamentum, quod in quinta, & sexta propositionibus explicuimus. Fides catholica, christianæ familiæ necessaria, utpote qua christiani censemur, non est specialis illa qua indubitato credit quisq; ac cōstituit sibi remitti peccata propter Christum, & esse in gratia Dei: sed illa potius persuasio diuina, atq; assensus, quem debemus, præstamusq; Deo, omnium in genere, quæ ab ipso sunt ecclesiæ reuelata per Christum, perq; eius prophetas, euāgelistas, et apostolos: inter quæ & promissiones ipsæ diuinæ connumerantur. Duo hic enūciamus. Primum est, quòd nullatenus duæ, sed una penitus fides est, qua credimus uniuersa reuelata, siue historiæ sint, siue promissiones, siue præceptiones aut consilia. Eiusdem enim habitus uirtus est credere, quod Abrahā genuit Isaac, & quod in illo promissus est nobis redemptor: quod Christus carnem suscepit, & quod credētibus & baptizatis promiserit salutem. Atq; eiusdem fidei est actus crede

Prima propositio catholica.

re promissiones illas, & quascunque alias, quæ sunt in sacra pagina, factas esse a Deo: quod ad historiã pertinet: & certo credere uerissimas esse, & firmissimas, quod proprie pertinet ad fidem promissionũ, unde spes nobis erigitur. Secundum est, quod promissionũ assensus, ad fidem catholicam pertinens, non est specialis ille quo quisque de se credit, seu recipere modo, seu habere iam gratiã, sed ille in genere quo firmiter credimus, Iesum Christum uniuersalem esse redemptorẽ, unum mediatorem Dei & hominũ: & ideo nisi eius merito, nemini ullam cõdonari noxiam: sed quicquid peccatorum a lapsu usque Adam remissum est, et remittetur, uirtute sanguinis sui remitti. Atque adeo nemini, nisi per ipsum, ad æternam hæreditatẽ accessum patere. Quod autẽ huic modo, illiue beneficiũ hoc impertitur, quia potest quiuis diuinæ inspirationi obsistere, cõiectura humana est: quod capite de hac re proprio edisserẽdum restat. Conclusio hæc cũprimis ex definitione ipsa apostolica fidei demonstratur. Est enim fides sperandarum substãtia rerum, argumentũ non apparentiũ. Id est, habitus, seu uis, uirtusque mentis, qua licet obscure, certo tamen & firmiter assentimur his, quæ speramus aperte uidere. In qua diffinitione designatur primo firmitas assensus: cuius causa dicitur substantia: id est inchoatio rerum sperandarũ, quæ robur habet & firmamentũ ex obediẽtia libertatis. Nam rerum, quæ nec uidentur, nec ratiocinatione demonstrãtur, nunquàm haberemus tam firmũ assensum, nisi in captiuitatem redigentes intellectũ in obsequiũ Christi. Designatur præterea subiectũ fidei, esse intellectiuã potẽtiam. obiecti autem rationẽ ad omnia patere, uniuersaque ambire, quæcunque a Deo cælitus sunt reuelata: siue res gestæ sint, siue mandata, uel monita: siue sua promissa. Hæc enim omnia in spem nos futurorum mittunt. Quocirca in eodem symbolo utrique copulantur articuli: scilicet & qui historiales sunt: ut quod Christus natus est & crucifixus: et præterea qui de sanctorum cõmunione, & remissione peccatorum constituuntur, tanquàm sub eodem obiecto fidei comprehensi. Et confirmatur argumentum. Ratio christianis credendi, est summa infallibilisque Dei ueritas: hæc autem eadem perlucet in reuelatis omnibus, siue ad historiam

Prima rõ a diffinitione.

Confirmatio argumẽti.

pertineant, siue ad promissiones. Eadem ergo uniuersorum fides est. Cuius una eademque perexigua particula est de promissionibus: sane quas credimus non solum uere esse factas, sed esse firmissimas, quantū est ex parte Dei, nisi nos renitamur.

Contra specialē fidem.

Quod autem fides illa specialis cōmentitia istorum in sexta propositione asserta non ptineat ad fidem catholicā, hoc certe persuasu facillimū est. Fides enim catholica ex sola diuina assertione, uel promissione pendet: quod autem quisque aptus sit & idoneus promisso beneficio suscipiēdo, ex humano assensu, & cooperatione etiam pendet. ergo huius fides non est catholica. Hoc autem quod dicimus, tale est. Fides catholica quam qui non firmiter teneret, hæreticus esset, ea est prorsus quod Deus præsentissimus nobis sit, ac promptissimus, nisi per nos steterit, salutem in nobis operari: eandemque unicuique assentienti impendere. Porro autem, quod quisque credat salutem se modo assequi, addit insuper assensum se præbuisse Deo, neque digito eius mouentis obicem opposuisse ullum. Quoniam ut superiore lib. constitutum est, neminem Deus coactu, sed libere trahit. Et ideo cum certitudo hæc humanum conatum exigat, non potest certitudinem catholicæ fidei adæquare. Cōnexi ergo errores sunt, & inseparabiles, quod iustificatio nostra ex sola diuina pollicitatione absque operibus nostris depēdeat, et quod certus fieri quisque possit p fidē, se esse in gratia. Atque adeo nemo potest ambo hæc simul sustinere: nimirum, quod a libero nostro arbitrio quoquo pacto dependeat, & quod possit quis fieri certus, nisi Deo specialiter reuelante.

Confirmatio argumēti.

¶ Accedit & huc argumētum, quod fides catholica una est, quæ uniuersam Christi familiam obligat, si ergo fides esset catholica, me esse in gratia, omnes profecto astringerentur idem credere, uti ego.

Altera cōfirmatio.

Ad hæc. Qui de fide catholica anceps est, & dubius, hæreticus censetur: qui uero ambigit qualis sit apud Deum, non est cur habeatur hæreticus, sane qui de promissionibus Dei nihil formidat, sed cum iustissimo Iob ueretur opera sua, sine quibus certi sumus, minime nos esse capaces beneficiorum eius, quæ ad gratiam pertinent iustificationis.

Doctrina Christi.

Legifer enim noster Christus neminem certiorem facit, aut credere iubet, iustum uel fieri, uel esse, sed

id tantum, quod qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit. Et id quidem nisi prauã obiecerit uoluntatem: nam nisi pœnitentiam, ait alibi, egeritis, omnes simul peribitis. Neq; prædicat, appropinquare regnum cælorum, nisi pœnitentiã agentibus. Id quod ipsimet aduersarij profitentur. Nuspiam aũt de se quenq; definire præcipit certitudine catholicæ fidei, uel legitime baptizatum esse, uel pœnitẽtiã egisse. Profecto non uideo quõo agnoscentes nemini conferri gratiam anteq; pœniteat, retinere queãt, q̃d per fidem homo sit certus de sua salute. Aiũt. Q̃m pœnitentia nõ est causa. At est tñ requisita: de qua an sit legitima, haudquaq; habemus reuelationem fidei. De hac aũt certitudinis disputatiõe integrum est inferius capitulum, lib. 3. Nũc autem id tantũ constituimus, quod nugatoria sit illa distinctio fidei, in historicam, & iustificantem. Incongruens ergo est diffinitio Caluini, quam lib. de institu. relig. christ. tribuit fidei. Nempe quod sit diuinæ erga nos beneuolentiæ firma, certaq; cognitio, quæ gratuitæ in Christo promissiõis ueritate reuelatur mentibus nostris, & cordibus obsignatur. Nam si ad promissiones in genere referatur, nõ est nisi pusilla portio catholicæ fidei: si uero ad illam suã specialem certitudinem, quam de se quisq; habet, extra limites est eiusdem orthodoxæ fidei.

Nugatoria nominatio fidei historicæ. Calui.

¶ Secunda propositio. Fides, spes, & charitas uirtutes sunt non ratione modo, sed re, obiecto etiam & subiecto discretæ. Hanc contra septimam suam propositionem obfirmamus. Nam animaduerte optime lector, ne quam semel diuulgare cœperunt, uocem desererent, (nimirum quod sola fide iustificamur) quibus illam retinere commentis conati sunt. Primum quia uiderunt fidem catholicam non sufficere ad iustitiam, cœperunt illam appellare fidem historiæ, effingentes fidem, quæ iustificat, non esse nisi illam, quam Deo habemus pollicenti remissionem peccatorum per Christum. Et hactenus, licet ramum fidei a iusta arbore detruncantes, tñ intra fines fidei errabant. Verum quia neq; illã satis esse intellexerũt, transgressi iam lineã uerę fidei, meditati sunt illã specialem, quam modo refutabamus Sed quia hoc etiã loco depulsi sunt: conuicti scilicet, quod potest quis certo se credere esse in gratia, qua tamen uana credu-

Secũda propositio.

Technę Lutheranorum.

litate decipiatur, adtexere cogitarunt rationi fidei, spē quoque & charitatem: quin uero & opera. Quasi haec omnia censeatur nomine fidei. Atque huc ptinet, quod modo referebamus ex Caluino: scilicet, qđ fides & mentibus: id est, intellectibus: & cordibus: id est, uoluntatibus obsignat. Sed audi Philippū in apologia confessionis Augustanae. Habētur enim in. 5. artic. eiusdem confessionis haec uerba. Omnes pterrefactae mētes, sciant se debere credere, quod certo donetur ipsis remissio peccatorum propter Christū, non propter ipsorum merita, aut dignitatem. Hi omnes certo consequuntur remissionem peccatorum. Et cum hoc modo consolamur nos promissiōe seu euāgelio, & erigimus nos fide, simul datur nobis spiritus sanctus. Eadem uerba repetit, probatque Philippus in Apologia. Sed proxime a tergo eiusdem pagellae, ait, quod fides quae iustificat non est tantū notitia historiae, sed est assentiri promissioni Dei. Subiungit autem. Et ne quis suspicetur, tantū notitiā esse, addemus amplius, est uelle, & accipere oblatā promissionem remissiōis peccatorum, & iustificationis. Eadēque innouat Buce. uerba in suis nuper concordantijs. Expende manifestā contradictionem. Prius dicit fidem illā specialem, qua certo credimus donari &c. sufficere ad salutem, & iustificare nos. Et confestim addit, uelle, & accipere promissionem, concludi in ratione fidei. Tales sunt istorum apologiae. Si fides sufficit, quomodo requiritur uoluntatis actus: qui alterius est potentiae? Aliā ego tamen maiorem absurditatem uideo in hac suffarcinata diffinitione fidei. Quaestio erat. Per quid recipimus beneficiū iustificatiōis a Deo nobis promissum? Et respondent. Per solam fidem. Sed dum hanc fidem qualis sit instamus inquirere, respondēt, quod sit non solum assentiri promissioni Dei promittentis nobis gratis remissionem peccatorū, sed & uelle, & accipere oblatam promissionem. Ergo perinde est, acsi dicerent, quod recipimus beneficium iustificationis, per hoc quod uolumus ipsum, & tādem accipimus. Recipimus denique gratiā iustificantem, quia recipimus promissionem. Ecquis non cernat caeco nos uerborū inuolucro ab istis complicari, & ceu uertigine circumuolui, dum idem nobis per idem definiunt. Nonne luculentius di-

Calui.

Melan.

Luthera norum cōtradictio.

Petitio principij.

xiſſent, illud nos beneficiū accipere actu, quo per ſpeciale auxilium Dei credimus [illegible] eſſe, & remuneratorem eſſe, unacum actu ſpei, quo nos per idem auxilium erigimus, atq; actu charitatis, quo nos erratorum pœnitet, adhibito ſacramento, uel baptiſmi, ſi ab infidelitate conuertimur, uel pœnitentiæ ſi relapſi reſipiſcimus. Sed reſpondent, oēs iſtos actus complectimur nomine fidei. Contra hoc ergo reſpōſum opposuimus ſecundā propoſitionem. Quis enim hāc ferat theologiam, ut in diffinitione fidei, actus ſpei, & charitatis cōglutinentur. Etenim ſubſtantia fidei ſuā habet legitimam rationem in perſuaſione & aſſenſiōe intellectus, cuius proprium obiectum eſt uerum, quod a Deo reuelatum eſt. Reliqui uero habitus ad uoluntatem attinent. Spei nanq; & charitatis obiectum non eſt ratio ueri, ſed boni, quod obiectum eſt uolūtatis: ſicuti intellectus, eſt uerum. Erigimur enim formaliter non per fidem, ut iſti putant, ſed per ſpem in bonum illud diuinum, licet fides nos illuc dirigendo ducat. Erigimur inquàm deſiderando, & appetendo: charitas autem amor eiuſdem boni eſt, beneuolentia & amicitia. Quare in patria fide per uiſionem depulſa, ſpes ſimul ceſſabit: charitas uero pſpectu ipſo Dei adeo non abſcedet, ut ſit mirifice perficienda. Spectatio creaturæ ait Paul. reuelationem filiorum Dei ſpectat: ſpes autem quæ uidetur non eſt ſpes: nā quod uidet quis quid ſperat? Et alibi. Charitas nunquàm excidit: ſiue prophetiæ euacuabuntur: ſiue linguæ ceſſabunt. Ex quibus colligit, fidem, ſpem, & charitatē nō ſolum tres eſſe res, ſed illarū eſſe maximam ac præſtantiſſimā, charitatē. Non modo quia fides & ſpes, tēporariæ ſunt, charitas uero perpetua, ſed quia aliarū omnium eſt forma uirtutum: qua abſente, nulla æſtimatur uirtutis pretio. Hac de cauſa, ubi de ratione præciſe fidei ſermo eſt Paulo. Accedētē, inquit, ad Deum oportet credere quia eſt, & quia remunerator eſt. Ecce totam ſubſtantiā fidei. Vbi autē de fide cum ſua ſocietate quæ ad iuſtitiā una requiritur. Neq; circūciſio, inquit, aliquid ualet, neq; præputium, ſed fides, quæ per charitatem operatur. Vnde ſup pſal. 31. Auguſt. Quod credit quis, fidei eſt, ſed quod operatur, charitatis eſt. Porro, niſi tam hoſtiliter iſti ex ſuis gymnaſiis uni-

Primū argumētum.

Rom. 8.

1. Cor. 13.

Aug.

uersam eliminassent philosophiam, nunquam uirtutum rationes ita confuse permiscerent, sed cuiq; suam tribuerēt. Sūt enim, ut iustitiæ, temperantiæ, & aliarum uirtutum essentiæ & finitiones uariæ, ita & fidei, spei, & charitatis. At uero respiciēti exemplar, quod cap. 5. præfiximus mētis istorum, facile erit ppendere hominum inconstantiā, & contradictionem. Vbi enim aiunt, sola fide iustificari, rationem magistri sui eam adferunt, quod solum uerbum promissionis Christi est illud, quod nostram operatur salutem: uerbum autem sola fide apprehenditur, ergo sola illa iustificamur. Vbi manifeste usurpant fidem pro sola assensione intellectus, ut distinguitur cōtra oēm aliam uirtutem, & opus. Quamobrē aiūt, illā fidē non solū fundamentū, sed totā apprehēsionē salutis esse, & gratiæ, quā gratiā, aiūt, subsequit̄ charitas. Postea uero, uel suimet, uel ipsorū obliti, uel certe conuicti, quod illa fides non sufficit, consuunt ratiōi fidei, spem & charitatem, & pœnitentiam. Quis non istorum uertigū deprehendat? At qui p hæc detexitur alius ipsorū cauillus, qui in omne se latus uertunt, ut uoci suæ, sola fide, aliquid obtendant. Quia enim sentiebant se iam de hoc loco deiectos, nēpe quod ratio fidei cæteras uirtutes complecteretur, aiunt, saltē esse connexas. Hāc autem connexionem, si recolis bone lector, nō ita intelligūt, quod illæ uirtutes præueniant gratiam, ut secundū euangelicam ueritatem nos a Patribus docti sumus, sed quod sola fides accipit gratiam iustificantē, trahentem secum charitatē. Verba .n. sunt Melāthonis supra citata. Sola fide, non p dilectionē consequimur remissionem peccatorū. Etsi dilectio sequit̄ fidē. Nisi qd̄ iā Bucer. in sua reconciliatione uelle uidet̄ persuadere, quod etiam si requirerentur oēs ad consequendā gratiā, sint nihilominus, fides, spes, & charitas, tres quidem uirtutes, sed tamen inter se connexæ: ita ut neq; charitas sine fide, neq; fides insit absq; charitate. Neq; alio utitur teste, q̄ uno exemplo, quod a magistro suo suscepit in de capti. Babylonica, & putat irrefragabile. Cogitemus, inquit, hominem sane mentis & fame grauiter laborantē, & huic mortē metuēti aduenire, qui eum ad aliquod paratum, lautumq; conuiuium uocet, sitq; ille cui miser fidem indubitato accomoder,

Lutheranorū incōstātia.

Melan.

Bucer.

det, possit ne inquit huiusmodi famelicus non statim illa fide fiduciam desiderati cibi cõcipere: ac quàm possit propere ad conuiuium illud accurrere, simulq; & conuiuatorem illũ toto corde amare, & colere, cuperecq; illi qua posset re gratificari. Humiliter proponas, inquit, animo alicui ex periculoso morbo laboranti, & extrema expectãti adesse medicum, qui certissimã salutem promittat. Ita, inquit, qui fidem habet euãgelio non põt non certo sperare oblatam salutem, eiusq; omnia mandata perficere, ac deniq; toto se pectore ad ipsum cõuertere. Quis enim inquit, non in seipso experit, se non posse non amare, & colere eum, quem nõ dubitat ingentia sibi bona polliceri, & certissime præstiturum: eiusq; etiam consilia atq; præcepta se cupide sequi, quem non dubitet sibi uera, & salutaria consulere, atq; præcipere? Sed primum omniũ anceps est exemplũ hoc Buceri. Quinimo magis a nobis quàm ab ipsis pugnat. Nam ut donemus, connexas esse dictas uirtutes propter exemplum infirmi, qui si ita crederet, ilico omnia faceret, quæ iuberet medicus, inde non colligitur, quod sola fides esset salutis causa, sed quod fides pareret fiduciam, & fiducia obedientiam: quæ proxima esset causa. Anceps exẽplũ.

¶ Attamẽ neq; id certe largimur: sed tertiam contra hoc exemplum statuimus propositionem. Fides, spes, & charitas adeo non ratione modo, sed re etiam seiunguntur, ut possit esse fides, imo ẽt spes, absq; charitate. Et quoniã hic est locus unde nos acerrime & ualidissime oppugnare censent, paulo hic cõtra nos pluribus insistemus. Nihil nũc disputamus, an fides uel spes absq; charitate, ueræ sint uirtutes. Quoniam ut lib.1.cap.21. dicebamus, nullum officium in absentia charitatis dignum absolute est appellatione uirtutis: Et præterea cum fides fundamentum sit charitatis, non potest charitas infusa esse absq; fide. Sed quod fides solitaria esse possit sine charitate, probatur. Ratio & essentia fidei non solum alia est a ratione charitatis, sed natura sua prior, neq; ab illa dependens: quia tota, ut dictum est, consistit in intellectu, cuius operatio anteit operationem uoluntatis: ergo nihil uetat quo minus & prior gigni possit, quàm charitas, & illa abeunte superstare. At quia rationes istiusmodi non tanti æstimant, Tertia ꝓpositio Primũ argumẽtum.

Secūdū argumētum. quo argumentationem Buceri simul diluam, alia ratione arguitur. Fides esto uoluntatem excitet ad appetentiam boni quod ostendit, nullam ei tamen uim infert, sed semper uolūtas, quæ sua natura est, manet libera: ergo quantūcunq; fidē adhibeamus Deo inuitanti nos ad cœleste conuiuiū, comminanti nobis æternas pœnas, & pollicenti requiē a laboribus nostris, nihilo secius liberum est homini præsentia bona sensualia illis anteferre. Nō quod natura fidei non sit a terrenis nos ad æterna euocare, sed quod instātia hæc & sensibus obuia uehementius nos ad se dimouent. Eo presertim quod homines promittunt sibi post lapsum resipiscentiam, & diuinū fauorem, quo possint in amicitiā Dei restitui. Quapropter nulla est repugnantia, quod quis habeat fidem certam & cōstantem, ita ut pro eius confessiōe ceruices gladio subijceret, & nihilominus persistat in aliquo peccato. Quin uero, neq; in humanis contrarium est semper exemplum, quod Bucer. magnificat.

Contra excēplū Buce. Reperiri enim potest infirmus extrema patiēs, cupidissimus etiam uitæ, cui tamen si medicus tali conditiōe offerret salutē, ut pmitteret serrari os cruris, aut incidi partē qua posset lapillus extrahi, aut aliquid huiusmodi terribiliū perpeteretur, reuera uitam prius repudiaret. Quemadmodum de Metello legitur, qui obligato uno crure, iussus alterum extendere, non est, inquit, tāto dolore digna salus. Neq; in hisce modo terrificis curationibus, sed in affectionibus leuioribus comperimus homines, qui certissimi cum sint, mortem sibi suis uoluptatibus consciscere, nihilo magis cohibentur. Ita plane de fide nos experientia docet: nimirum quod licet christiani homines firmā fidem habeāt bonitatis diuinæ, futurorumq; bonorum, & malorum, tamen, uel quia angusta sibi apparet pietatis, & religionis ianua, asperaq; & accliuis semita, uel quia laqueis seculi huius irretiti sunt, & cupiditatibus implexi, non se ita inde possunt extricare, ut sequantur quod optimum iudicant.

Status gloriæ, Vbi splendor ipse diuinitatis felices illos cælicolas perfundit, uidētes Deum sicuti est, illic nulla esse potest diligendi cunctatio, aut mora. Nam cōspectus ille fontis omnium bonoꝝ non potest non beatos in amorē rapere, atq; ita deificatos spontanea quadam amicitiæ neces-

sitate cum Deo prorsus deuincire: ubi nullus segnitiæ locus, ægritudo animi nulla:nihil denic quod perpetuā illam reuerentiam filialem remorari queat. Veruntamen cognitio hæc nostra per speculum in ænigmate nō adeo efficax est:& ideo neq semper bonorū operum ferax. Alias non solum neminē decidere de gratia Dei fineret, sed & in optima semper summaq officia teneret intētos christianos uniuersos, paulinoq colligatos nodo, quem neq mors, neq uita, neq instantia, neq futura poterant separare a charitate Dei. At non omnes rapti sumus usq ad tertium cælum. Mittunt nos ad locum illū euangelij, ubi rogati duodecim discipuli, an uellent & ipsi abire, responderunt. Domine, quo ibimus: quia uerba uitæ æternæ habes? Et inde nos intelligere iubent, quo pacto, qui credit, non potest nō amare. At nihil nos inficiamur, quin sæpissime fides charitatem ingeneret: hæc est enim natura sua: sed id defendimus, quod non semper, ubicunq est, tantūdem potest, obsistentibus affectionibus carnis. Remittamus nos eos uicissim in alium locum, ubi iuuenis ille qui præcepta seruauerat a iuuētute sua (alias non dixisset Euan. Mar. 10. Christus respexit, & dilexit eum) & ideo cum fide uiua accessit sciscitatum Christum, quid faciendo uitam æternā possideret. Ille inquàm absq dubio credidit redemptori, quod si uenditis, erogatisq bonis sequeretur ipsum, pfectus esset: & tamen ingens opum amor, in quibus animum habebat infixum, fidei præualuit. Vnde non plane tanta coniectura fit, quod fides sua non fuisset magna, quàm quod amor ille opulentiæ diffluentiæq bonorū esset illi maximus. Enimuero eadem fides ubi non offendisset tantā difficultatem, ilico potuisset iuuenem a seculo cōuellere. Neq illū, necessum est dicere, gratiam Dei propter illum teporem fidei amisisse. Quandoquidem non præceptum, sed consiliū erat: si uellet perfectus esse. Vt lib. 3. dicetur. ¶ Igitur ut amplius hæc omnia lucescāt, uariæ diuersæq qualitates gradus & habitus, qui sibi, salua eius substantia, accidunt. Est nāq quādoq sana & firma, aliquādo uero infirma & imbecilla. Ait enim ad Roma. Paul. Infirmum in fide assumite. Et ad Titum. Increpa illos dure, ut sani sint in fide. Incusat rursus Christus seruator noster in Pe-

Ioan. 6.

Matth. 19.

Diuersæ qualitates fidei.

Ro. 14.

tro trepidante modicã fidem, laudatq; in Cẽturione & Chananæa fidem magnã. Appellat deniq; Iaco. fidem mortuã, eam, quę deserta est a charitate: & Paul. uiuam, quæ per charitatem operatur. Nam sicut motus corporis indicium est uitæ animalis, ita & uitæ spiritualis, testes sunt officia, quæ fiũt secundum Deũ. At uero ut nõ omnis remissio & languor fidei, lumen extinguit diuinæ gratiæ, ita nec mors ipsa talis iudicanda est, ut substantiã rationemq; eiusdem fidei absumat, & expungat habitum. Quin potest mortua robustior esse q̃ uiua, licet tunc non sit melior: imo neq; sit omnino uirtus. Petrus quàmuis non habuit gradum illum firmatæ fidei, ut cõstanter graderetur super aquas, non protinus arbitrãdus est mortaliter deliquisse. Id quod & de iuuene proxime cõmemorato pariter dicebamus. Quinimo sunt homines tepidi, neq; ita multum ualidi in fide, perdurantes tamen in gratia, eo quod non obijciuntur magnis periculis cadendi. Sunt cõtra, multo ualentiores, qui nihilominus, ingẽte occasione de subito oblata, impetu passionis præcipitãtur. Iuxta uerbum illius Comici. Quàmuis desubito facile est facere nequiter. Ceu qui trucidatum charissimũ filium cernẽs, aut uiolatum thorum, in homicidã, uel in adulterum irrueret. In Dauide exemplum est. Nunquid dum ardẽtissimo amore succensus elegãtis Bersabeæ adulterium cum ea patrauit, fidem perdidit? Minime gentium. Imo fidem habebat insignem. Haud enim fuit dubius, quin Deo peccasset, ut postea lachrymabiliter confessus est. Sed ingentem conflictum carnis sustinere non ualuit: ualuisset inquàm per gratiam Dei, si strenue pugnasset, sed tamen uictus est. Haud equidem diffitemur, si solum fidei ingenium spectes, quo fuerit ipsa maior, maiorem ingenerari charitatem. Nam ut in li. de uoca. gen. author est Ambro. fides genitrix bonæ uoluntatis, et iustæ actionis dicitur. Et super Ezech. Homi. 22. Greg. Tãtum, inquit, in hac uita amamus, quantum credimus: & quantũm amamus, tãtum de spe præsumimus. Sed sunt tamẽ carnalia, & secularia impedimẽta quibus fides præpedit̃: quibus superandis aliæ sunt necessariæ uirtutes præter fidẽ. ¶ Cõfirmat̃ deniq; assertio nostra irrefragabili testimonio Pauli. Nã si habuero, in-

Mortua fides robustior.

Dauid.

1. Cor. 13.

quit, oẽm fidem, ita ut montes transferã, charitatem aũt non habuero, nihil sum. Nõ ergo modo fides, sed maxima esse potest absq; charitate. Hic locus est, quẽ intuẽtes, manifestissime rẽ conuincere, deludere summopere moliunt, nescio qua fide miraculorꝝ conficta, præter fidẽ iustificantẽ. Queadmodũ.n. cernentes assensum scripturæ sacræ haberi posse absq; charitate, aiũt nõ esse illã qua iustificamur, sed esse fidẽ historiæ: ita audiẽtes ex Paulo, oẽm fidẽ reperiri posse sine cõsortio charitatis, aliã fidem excogitant miraculorꝝ. Profecto si ita liceret cauillari scripturas, & locis singulis de fide noua eam usurpatione lacerare, & ludificare, omnis deperiret rõ explicãdi naturã, et qualitates fidei. Primũ, quænã nominatio est fides miraculorꝝ. Si dixisset gratia miraculorꝝ, ceu gratia sanitatũ, uel donũ miraculorꝝ, sicut donũ linguarũ, posset uerbũ intelligi de aliqua tãtũ gratia gratis data. Cum tñ ait Paul. nihil aliud q̃, oẽm fidẽ, quæ alia põt intelligi, nisi catholica, cui tanq̃ fundamento legis euãgelicę priuilegiũ hoc cõgruit miraculorꝝ. Alias posset etiã appellari, spes uel charitas miraculorũ. Item uerbũ Pauli, allusio est, prsus ad illud Redẽptoris. Si habueritis fidẽ sicut granũ sinapis, dicetis mõti huic, trãsi hinc illuc & transibit. Vbi manifestus est sermo de fide catholica. Siquidẽ inter exprobrandũ incredulitatẽ apostolorꝝ, qui illa causa nõ eiecerãt dæmoniũ, adiecit illud uerbum. Enimuero, ut paulo ante dicebamus, constãtissimũ est, & receptissimũ, uirtutẽ miraculorꝝ, neq; Christum usurpasse, neq; discipulis impertisse, nisi ad confirmandã fidẽ, quæ rõnibus naturalibus nequiuerat psuaderi. Id quod supra uerbo Christi cõmonstrauimus, delegãtis apsos ad disseminãdũ uerbũ: ubi ait. Signa aũt eos qui crediderint, hæc sequẽtur: &c. Quinimo ab initio statim olim reuelatę fidei mos diuinus fuit illã cõfirmare portẽtis et miraculis. Ita.n. Abrahę pollicitus est ex sene, steriliq; Sara genus illi, ppagare sup harenã maris. Et intemeratæ uirgini, q̃ angelus fidem mysterij astrueret, alterius miraculi anus prægnãtis meminit. Igiť ipsi fidei cuius testificãdæ causa erãt edẽ da miracula, eadẽ est collata uis & potestas: si tñ eo esset usq; fęcũda, ut certam fiduciã pareret impetrãdi. Et hoc est quod ait Aposto, Omnem fidem, id est, fidem in eo summo gradu,

Primũ argumẽtum.

Explicatio Pauli

Mar.ul.

qui transferendis montibus est necessarius. Tametsi iam modo, ubi non est hæc necessitas asserendæ fidei miraculis, non se tam crebro exerat uirtus hæc. Sed quid opus est aliunde testes ciere, nonne Apostol. explicatissimus est de qua fide loquatur? Cum enim cõcludit in calce illius capitis, fidẽ, spem, & charitatem tria esse, cæterisq; maiorem charitatẽ, an negare quis poterit sermonem habere de tribus theologicis uirtutibus: atq; adeo de fide catholica, quæ prima earum est? In toto ergo capite de eadem proloquitur, quam ita confert cum charitate, ut quocunq; gradu solitaria sit, nõ sufficiat ad amicitiam Dei. Sed operosa charitas, quæ patiens est, et benigna reliquis omnibus uirtutibus subministret esse diuinum. Et hac ratiõe illi tribuit, quod omnia credit, & omnia sperat. Et præterea quia per charitatem, & fides excrescit, & spes. Eodẽ pertinet illud Christi. Nõ omnis qui dicit mihi, Domine, domine, intrabit in regnum cælorũ: sed qui facit uoluntatem patris mei. Multi enim dicẽt in illa die, Domine, domine, in nomine tuo prophetauimus: & cætera, qui tamen non intrabũt in regnum cælorũ. Dicere nãq; Domine, domine, ad fidem catholicam pertinet, qua cognoscimus, Deum esse uerũ Dominũ. Neq; ita cognoscimus, ut dæmones: nã illi non dicunt Domine, quia non credunt ex obedientia. Dicere autem Domine, est propria fides christiani: nõ acquisita solum, sed qua captiuantes intellectũ, assensum præbemus diuinæ maiestati suam professi legem. Quæ esse nihilominus potest absq; charitate. Et ideo subinfert redẽptor noster. Omnis ergo qui audit uerba mea hæc, & facit ea, assimilabitur uiro sapienti: qui autem audit, & non facit, assimilabitur uiro stulto. Vbi audire, idem est, quod credere & suscipere fidem. Vnde apud Lucam ille seruus, qui cognouit uoluntatem domini sui, & non fecit secundum uoluntatem eius, uapulabit multis. Nam procul dubio cognoscere uoluntatem, est fidem habere. Huc etiam attinet parabola inuitatorum ad cœnam magnam: qui certe nihil de conuiuio dubitantes, excusauerunt se se, negocia secularia prætendentes. ¶ Duo tamen hic sunt uel tria istorum obiecta, ad quæ necessarium est respondere. Primum, cum fides sit donum Dei, quemadmodũ chari-

Explicatissimus Paulus.

Matth. 8

Cur fides non perdit cũ charitate.

tas, cur non pariter cum charitate mortali quolibet crimine expungitur? Responsio in promptu est. Quod charitas indiuiduus est gratiæ comes. Est enim gratia qua dilecti sumus Deo, & charitas qua ipsum diligimus. Et ut habetur in euangelio. Qui diligit me, diligetur a patre meo. Quare qua contrarietate peccatum mortale opponitur gratiæ, aduersatur & charitati. Fides autē, & spes, & reliquæ uirtutes morales suas habent proprias rōnes distinctas, quæ de se non dicunt, neq; amicitiā, neq; gratiam Dei. Quare ut abscedens charitas per peccatum furti, non secum aufert habitum castitatis, ita neq; habitum spei, aut fidei: sed manēt omnes informes, atq; adeo indignæ uirtutum simplr nomine. Sed hæresis uel apostasia, quæ e regione obstat fidei, excludit infusum eius habitū. Hæreticus enim in uno articulo, q̄uis aliorũ habeat acquisitam fidem, non tamen illos credit propter formalem rōnem fidei catholicæ: nempe quatenus a Christo per sanctā ecclesiam reuelati sunt & propositi. Deficiente autē ratione fidei, abolet̄ & fides ipsa. ¶ Alterum dubium est maioris ponderis apud istos. nimirū, quod fides mortua non sit fides. Hoc enim insonat nomen mortuū, homo nanq; mortuus non est homo. Et præterea arguūt quod eiusmodi fides nihil differat a fide dæmonum. Vno enim contextu ait Iaco. quod fides si non habeat opera, mortua est in semetipsa: & quod ille qui hoc modo credit, nihil egregius facit quàm dæmones, qui credunt et contremiscunt. Hæc tamen ambo citra negotium dissoluet, qui uerba Iacobi æstimate fuerit meditatus. Nō enim refert fidem ad charitatem, sicuti hominem ad animā: sed sicuti corpus ad animā. Non inquàm ait. Sicut homo, sed sicut corpus sine spiritu mortuū est, ita & fides sine operibus mortua est. Viuit enim per animam, et homo, & corpus, sed homo tanq; per formā, quæ pars sui est, corpus autem tanquàm per eam quæ extrinsecus sibi accidit. Et ideo quia Deus, qui est nobis ceu anima uitæ spiritualis, habitat in nobis per charitatem (Deus enim charitas ē, & qui manet in charitate in Deo manet, & Deus in eo) expuncta charitate, & homo manet spiritualiter mortuus, & fides sua mortua. Attamen, ut corpus absq; anima suam retinet integram essentiam corporis, ita &

Fides mortua proprie est fides.

Iacobi. 2.

fides absq; charitate suam habet rationem, substãtiã, & proprietatem fidei, quæ est assentire dictis Dei. Neq; continuo consequens est, fidem illam mortuam nihil ab illa dæmonũ distare. Ratio enim fidei non solum consistit in certitudine, quam forsan habere possunt dæmones maiorem imo clariorem nobis, sed in eo quod per obedientiam, & uolũtatis obsequium (ut in ipsa eius diffinitiõe innuebamus) suscipit. Dæmones autem non ultro, sed inuiti credunt, & inde fit, ut nostra fides suapte natura illiciat nos ad amorem Dei, illa uero sua, nihil aliud quàm timorẽ illis incutiat, & tremorem. Hæc autem iam singula articulatim diffiniuit S. Synodus Tridẽtina. Sane quæ postq; cap. 7. explicuit, ut essent tres illæ uirtutes theologicæ, suis proprijs rõnibus distinctæ, atq; adeo ab inuicẽ semouibiles, can. 12. sub anathemate cẽsuit, fidẽ nõ esse fiduciã illã specialem: & can. 28. fidẽ, quæ remanet sine charitate, ueram esse fidem, licet mortuam, quæ hominem sufficit constituere christianũ. Synodus inquàm Tridẽtina, quæ iã modo (quod Deus utinã ecclesiæ suæ bene uertat, quodq; felix illi faustumq; sit) Bononiam translata est.

Fides mortua differt a fide dæmonũ.

Synod. Tridẽ. Bononiã trãslata.

De causa effectuq; fidei sine operibus. cap. 8.

Confecimus ergo, unicam esse fidem, illam scilicet orthodoxam a spe et charitate omnino distinctã: sane quæ ut esse põt absq; gratia, ita & absq; charitate. Hanc ergo demonstrare iam pergimus, eãdem esse prorsus, quę ad nostram iustificationem est necessaria. Sed eius prius cãm & originẽ, atq; per se effectũ absq; cõtubernio charitatis præmeditemur oportet, duabus propositionibus. Prima est. Fides, ẽt dũ est informis, donũ est Dei supernaturale. Cõclusio hæc q̃uis theologis sũmo cõsensu recepnissima sit, ꝑpter authoritates scripturæ (qualis est ad Ephe. Gratia estis saluati p fidem: & hoc non ex uobis, Dei.n. donũ est, et id genus multæ) nõnihil tñ de sensu eius discordãt. Sco. enim in. 3. d. 23. ait, fide humana (quã ipse appellat acquisitã) hominẽ posse assentiri toti prædicationi christianæ. Imo ita inquit, credimus authoritate ecclesiæ (quã ipse putat humanam) & institutione parentum, qui fidem suos erudiunt liberos. Sed infunditur, inquit, a Deo fides, cum propter maiorẽ

Conclusio. 1.

Scot.

anim æ

animæ perfectionem, tum propter maiorem certitudinē & intensionem in actu credendi. Cui sententiæ adhuc explicatius subscribit Duran.q.1.in.2.sen.d.28.dicēs, fidem infusam non esse necessariam, nisi ut facilius credamus. Non dicunt fidem iustificātem, quippe quæ consors est gratiæ, possibilē nobis esse absq; dono Dei. Neq; uero negant habitum infusum informem, esse donū Dei. De hoc enim oēs consentiunt doctores: nempe, quod non solum fides formata, uerū informis sit donum diuinum: ut author est S.Thom.2.2.q.6. & est glossa super illud. 1.Cor.13. Si habuero fidem, charitatem autem non habeam, Quod donū requiritur ut homo sit christianus. Neq; rursus negant, quin necessaria sit reuelatio mysteriorum Dei facta mundo, ut homines credāt: etenim cum non cadant sub naturali scientia, nisi Deus hoc lumine mundum irradiasset, impossibilis erat earum notitia. Sed hoc tantum affirmāt, quod qui audiret Christum, uel apostolos, uel alios prædicatores, nō indigeret aliquo habitu uel afflatu supernaturali, ut assentiret toti prædicationi: sicuti assentimur narrantibus alias naturales historias. Attamen S.Thom.loco proxime citato longe aliter astruit huius conclusionis fidem. Quippe quod non solum ad maiorem perfectionem, seu promptiorem assensum, sed omnino sit donum necessarium Dei: sine quo non possumus omnia certo credere quæ sunt reuelata. Vnde ad fidem, inquit, duo requiruntur. Vnum, ut homini credibilia proponantur, quod factum est ministerio Prophetarum & Apostolorum, & aliorum prædicatorum. Et isti habent authoritatem Dei mittentis illos: iuxta illud Rom.10. Quomodo prædicabunt nisi mittantur? Adde quod authoritas ecclesiæ uniuersalis in determinandis his quæ sunt fidei, est pari ratione authoritas spiritus sancti. Alterum requirit ex parte hominis: & hoc Pelagiani putabant esse liberum arbitrium. Sed hoc est falsum: quia cū homo credendo eleuet super naturā suam, oportet, quod hoc insit ei ex supernaturali principio interius mouente. Hæc S. Tho. Et profecto nō solū propter S.Thomā & propter Augustinū, cuius eadē est ubiq; indubitata sentētia, hūc sensum, legitimū fuerim arbitratus, uerum salua illustrium authorū

Duran.

Fides infor. donū Dei.

S.Tho.

S.Tho.

Authoritas ecclesiæ.

existimatione, nõ plane uideo, quomodo sit satis tutum aliter sentire. Quare S. Tho. non hanc recitat, quasi opinionẽ, sed quod contrarium existimet Pelagianum. Sane quod sensus Pelagianorum asserentium, initium fidei esse a nobis, nõ esset alius, quàm quod posset quis audiens prædicationem fidei tanta certitudine naturaliter assentire, quanta est in fide catholica: & quod gratia non præstaret, nisi ut facilius id homo posset. Quod quinto canone damnatum est in Concilio Mileuitano. Sed Augustinum de hac re auscultemus. Is

Aug. enim quàmuis alibi frequentissime, tamen in lib. de prædest. sanc. ca. 2. sub hac forma proponit quæstionem. Prius itaq; fidem, qua christiani sumus, donum Dei esse, debemus ostendere: si tamen diligentius id facere possumus, quàm in uoluminibus tot, tantisq; iam fecimus. Nota fidem qua christiani sumus. Sane quæ dubio procul absq; gratia, & charitate esse potest. Quod si tibi prima fronte appareat, id tantum Augustinum sibi uelle, quod fides infusa sit a Deo, a qua christiani sumus, non tamen negare, quo minus actus credendi possit esse a natura, cõtemplare attentius mentem eius, & cernes ulterius progredi. Nemini .n. dubiũ esse potuit, quin habitus infusus, si talis esset, a solo Deo infũderet: sed uult cõstituere, qđ ad credẽdum actu illa omnia, quæ ad religionẽ christianam pertinent, et ita firmiter ut christianum decet, necessariũ sit speciale auxiliũ Dei, siue per habitum, siue per actum. Nã Aug. nihil unquàm sollicitus est discriminari inter actum & habitum. Atqui sensus hic lucidissimus erit cõsyderanti, quã

Sensus Augúst. cõtra Pelagium. illic causam tractet. Etenim postquàm Pelagiani coacti sunt hæresim suã retractare: nempe gratiam Dei secundũ merita nostra dari, id saltem retinere conabantur, quod initiũ fidei esset a nobis. Quo errore laborauit & ipse Augu. antequàm esset episcopus, ut eodem lib. cap. 3. & lib. 1. retract. cap. 23. confitetur. Postea uero factus episcopus (ut ibidem & li. 2. de bono perse. cap. 20. ait) illum deposuit errorem. Atq; id ipsum est, quod illic edisserit: nimirum, quod nec initium fidei sit a nobis. Nihil de habitu meditatus, sed credere ipsum, quod est, inquit, cum assensione cogitare ea quæ pertinent ad reli-

1. Cor. 3. gionem, nemo potest nisi per auxilium Dei. Quia nõ sumus

idonei cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis. Necq aliud est, quod cōdemnat illic aduersus Pelagium. Alias illa assensio fidei esset alicuius meriti, cui aliquo pacto deberetur gratia. Et ideo de illo etiam assensu citat illud Pauli.1.ad Cor.4. Quid habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? Innuens, quod nonnullā sibi posset usurpare gloriam, qui naturaliter diceret se assentiri euangelio. Accumulat præterea alias complures authoritates. Vt illud ad Ephe.2. Gratia estis saluati per fidem, & hoc non ex uobis: donum enim Dei est. Tametsi hic locus ut ipse Aug. Hypog. lib.3. exponit, de fide omnino iustificante, quam gratia subsequitr, intelligatur. Sed apertius est illud ad Philip.1. Vobis donatum est pro Christo non solum ut credatis in eū, uerumetiā ut patiamini pro eo. Et.1.ad Thimo.1. Misericordiam consequutus sum, ut fidelis essem. Non ait. Quia fidelis eram. Adducit etiam illud Ioā.6. Hoc est opus Dei, ut credatis in eum, quē misit ille. Tametsi profecto non plene possum hunc sensum conijcere ex illo loco euangelij. Est enim responsio illius, quod discipuli interrogabant. Quid faciemus, ut operemur opera Dei. Vbi non quærebant opus quod esset effectus Dei: sed quod esset præceptum eius, & sibi placitum. Et ideo respōdit, Vt credatis in eum quem misit ille. Ex illo præterea Lucæ.17. eadem ueritas corroboratur. Domine adauge nobis fidem. Quasi eius ipsius esset uirtus, quod crederent. Atq ex illo maxime Matth.16. quod August. hypog. lib.3. in eandem sentētiam enarrat. Vbi confesso Petro, Tu es Christus filius Dei uiui, respondit Dominus. Beatus es Symon bariona, quia caro & sanguis nō reuelauit tibi, sed pater meus qui est in cælis. Vnde colligitur, fidem donū esse Dei. Quocirca fateor me intelligere nō posse, quomodo glossari possit, quod sit donum non simpliciter necessariū, sed ad maiorem, seu perfectionem, seu facilitatem. Nam hoc ipsum uerbū, donum Dei, propalam significat, nullatenus quempiam id posse naturaliter. Etenim cum dicit Paul. Nō ex uobis, sed donum Dei est, quid aliud exprimere uoluit, quàm quod, nisi ex dono Dei, fides & gratia haberi non possit? pari ergo modo, ubi ait, Vobis donatum est pro Christo non

Ephe.2.

Philip.1.

1. Thi.1.

Ioan.6.

Lucę.17

Matth. 16.

Glossa male tuta.

solum ut credatis in eum, quid aliud est quàm dicere nō alia uia credere potuistis? Quare optime illic adnotauit August.

Ephe. 6. uerbum Pauli ad Ephe. 6. Charitas cum fide a Deo patre & domino Iesu Christo. Quasi dixisset, non solum charitas, sed etiam per se fides, puta assentiri euāgelio a solo Deo esse potest. A solo inquàm præueniente. Nam ut utroq; loco citato ait

Fides opus Dei & nostrū. scilicet lib. 1. retrac. & lib. de prædest. fides opus Dei est & nostrum. Nostrum scilicet propter arbitrium uoluntatis: quia nisi nobis assentientibus & cooperantibus, credere non possumus. Ob idq; exigitur a nobis: atq; idcirco infidelitas peccatum est. Dei autem est opus, quia nisi ipso peculiari nos afflatu adspirāte, & mouente, nihil possumus. Quō autē & gratia & uirtutes opera Dei sint, & nostra, tum satis multa meditati sumus libro priori, cap. 15. & tribus pximis, tum ēt paulo

Contra Scotū & Durādū post repetendū nobis est. ¶ Est præterea magnū argumentū aduersus illos qui dicūt, fidē nostrā authoritate hūana gigni, puta parētū, uel prędicatoꝝ, qui nos erudiūt: & qđ peius multo est, authoritatem ecclesiæ appellant, humanam. Etenim si propter solam authoritatē hominum ego assentirem euāgelio, reuera propter eorundem authoritatem, si mihi contrarium dicerent, mutarem fidem. Contra admonitionē Pauli.

Gala. 1. Si ego uel angelus de cælo aliud euangelizauerit, anathema sit. In summa credere prorsus euangelio est dispositio, & quidem maxima, ad gratiā: ergo iuxta id quod diximus cap. 3. non pōt esse nisi per auxilium speciale Dei. Quare S. Syno.

Synod. Triden. Trid. optime ca. 6. ait, ꝙ excitati diuina gratia fidē ex auditu cōcipimus, et can. 3. qui ex cōc. Arausi. can. 25. desumptus est, neminem sancitur sine spūs sancti inspiratione, & adiutorio posse credere, sperare, et c. sicut oportet, ut ei iustificatiōis gra

Rñdet aduersarijs. tia cōferat. ¶ Rñdendum est illis ergo, qđ ꝙuisquis incipiat credere propter parētęs uel pędagogos, uel alios prædicatores, non tñ credit, propter eorum authoritatē, sed credit illis tanꝙ ministris ecclesiæ. Neq; habitus fidei aliam habet inclinationem, nisi sub illa ratione. Authoritas uero ecclesiæ, non est humana: sed diuina, quæ errare non pōt. Facile ergo est reliqua eorum argumēta diluere. Primum est huiusmodi. Audientes cōcionem euangelicā possent tātam habere fidem cō.

cionatori, ut propter eius authoritatem cuncta crederet. Sicuti possunt eandem fidem præstare Liuio, aut cuiuis historico sola naturali facultate intellectus: atq; illi potissimum, qui audientes Christum, cernebant eius doctrinā testimoniis & miraculis confirmari: igitur non est simpliciter necessaria infusa fides. Porro autē responsio huius est, quod audientes prædicationem modo, uel apostolorū olim, aut Christi, poterant quidem naturali lumine assensum aliquem opinionis aut fidei humanæ habere, qualem habemus Iosepho uel Liuio: eā tamen fidei certitudinem, quæ christianis est necessaria, minime, nisi numine adspirati. Exigitur enim a christiano, non solum aliqua, sed omnia quæ in utroq; sunt testamento (saltem in genere) & quæcunq; ecclesia explicauerit, esse de fide, adeo firmiter & certo credere, ut scientiam si opus fuerit, quam philosophi putarēt demonstratiuam, abneget. Qualis est collectio illa. Hæc essentia diuina est filius, eademq; est pater, ergo pater est filius. Ad quam sane certitudinem tantorum supernaturalium mysteriorum uires ingenij naturales minime sunt efficaces. Quamobrem si puer ante usum rationis ab infidelitate raptus (quod est alterum eorum argumentum) inter christianos educaretur, posset quidem humanam opinionem habere christianæ doctrinæ: ueruntamen qualē modo præfati sumus certitudinem, minime: nisi uel baptizatus, uel aliter cælitus adiutus. Vnde si iam ætate progressus, bona fide crederet se esse baptizatū, licet nō res ita esset, posset cum illa credulitate per auxilium Dei iustificari: & tunc cum gratia infunderetur ei & fides. De hæretico autem iam paulo ante diximus, quemadmodum fide acquisita naturaliter potest credere aliquos articulos. Illa tamen non est legitime christiana: quia non est integra. ¶ Hoc tamen est tertiū argumentum contra necessitatem infusæ fidei. Si ethnicus audiens prædicationem euangelicam, eam plene susciperet: id est, omnia certa fide amplexus, peteret baptismum, cum obice tamen, quia non uult odia ponere, quæ cum suo exercet inimico, uidetur tunc habere fidem, tamen sine dono supernaturali. Quoniam fides non infunditur, nisi simul cum gratia, cuius tamen ille nondum est compos. Rñdetur, quod q̄uis si ecclesiæ cōstaret, et obicē adferre ad baptismū, arcen-

Alia responsio.

Fides catholica.

Puer ante usum rōnis.

Hæreticus.

Tertiū argumētum.

Rñsio.

dus esset a sacramento: quippe quod nemini debet ministrari, nisi cui creditur per illud conferri gratiam, quæ supremus est effectus sacramenti: attamen si cum tali fictione baptizaretur, reciperet informem fidem. Vt author est S. Thom. 2.2. q.6. arti. 2. ad tertium argumentũ: ubi ait, recipi posse a Deo donum fidei absq; charitate. Etenim qua ratione fieri potest ut, charitate restincta, sit fides superstes, fieri etiã potest, ut fidem quis suscipiat ante charitatem. Vnde cap. ueniens, de presb. non bapt. generaliter habetur, quod per sacramẽtum fidei (quale est baptismus) efficitur quis membrum Christi. Et postmodum recedente fictione, recipit ille gratiam: ut docet Aug. cap. tunc ualere. de consecra. d. 4. Sed quid si ethnicus ille sic dispositus esset in nemore, ubi non est copia aquæ, nũquid cumprimum totam legem probaret, per uotum baptismi reciperet fidem? Nam si id neges, inde fit consequens opinio quã reprobamus: quoniam tunc naturaliter tam firmiter credit, quàm post susceptum baptismum. Respondet, quod ante baptismum in re non est uerisimile per baptismũ in uoto, infundi habitum fidei, nisi infunderetur gratia: quia ille non est christianus. Et talis habitus non infunditur, nisi uel ratione baptismi: ubi fit homo christianus: uel ratiõe gratiæ, quæ secum adducit uirtutes. Et ideo uel ille non credit tã firmiter tũc, q̃ christianus, uel suppeditatur sibi desuper auxilium speciale ad actum credendi. Quod si quis adhuc opponat nobis hominem in puris naturalibus, uel ante aduentũ Christi inter gentes, uel nũc in illo orbe, ubi nulla est eius notitia. Is enim sola cognitione naturali, quod Deus est & remunerator, posset auxilio speciali tangente uoluntatem reconciliari Deo. Quod uidetur insinuare Apostol. ubi exprobrat naturalibus philosophis, quod cũ Deum cognouissent, non sicut Deum glorificauerũt. Et paulo post, Gẽtes quæ legem non habent, naturaliter quæ legis sunt, faciunt. Loci isti Pauli statim cap. xi. pressius sunt tractandi. Interim tamen respondetur, quod esto, cognitio naturalis sufficeret ad salutem, cum auxilio mouente uoluntatem, illa non fuisset fides Christi expressa: quam modo constituimus esse donum dei.

¶ Tertia ꝓpositio. Fides hæc absq; gratia & charitate sufficit hominem constituere christianum & membrum Christi:

De presb. non bapt. ca. ueniens.

De cõsecra. d. 4.

Dubitatio.

Fides quõ infũditur.

Aliud argumẽtum.

Rom. 1.

Secunda Tertia ꝓpositio

non solum ficte, ut Lutherani prædicant, sed proprie, legitime & uere, ut cap. pximo dicebamus determinatũ esse a cõcil. Trid. can. 28. quantũ ad ueritatẽ substantiæ fidei: licet careat perfectione, & uita quæ fidei extrinsecus accidit a charitate. Prima huius ratio ex superioribus fontibus deriuat̃. Si enim fides absq; charitate proprie & quantum ad suã internam substantiam uere est fides: & christianus idem est quod fidelis, per illam est quicunq; christianus. Sed patentius eadẽ ratio formatur. Christianus est, qui Christi est, nẽpe qui eius est membrum, qui in suam militiam nomen dedit, eiusq; se familiæ addixit, atq; legibus obstrinxit: unde non apostatauit: quicunq; autem baptismatis sacramento initiatus est, membrum eius per fidem efficitur: iuxta illud Corint. 12. In uno spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus, neq; quodlibet committat peccatum, fidem denegat: ergo per fidem informem est homo christianus. Sed aiunt, nemo fit Christi membrum, nisi per gratiam. Nam quicunq; (ait Paul.) baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus. Consepulti enim sumus per baptismum in morte, ut quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam patris, ita & nos in nouitate uitæ ambulemus. Accedit similitudo uitis, & palmitum, qui non sunt membra uitis, nisi dum eius humore uiuunt: sicuti neq; oculus mortui (ait Aristo.) est oculus. Ac demum ad Ephes. ait Paul. quod Christus dilexit ecclesiã, & seipsum tradidit pro ea: ut illam sanctificaret: mundans eam lauacro aquæ in uerbo uitæ, ut exhiberet ipse sibi gloriosam ecclesiam, non habentem maculam, neq; rugam. Hæc autem argumentatio, si satis illi modo facere conaremur, extra fines nos præsentis instituti educeret ad articulum de ecclesia: quam isti, propter huiusmodi testimonia, nullã, quę uera sit, admittũt, nisi internam. Nempe cœtum eorũ penitus, qui cordis sanctitate pollent. Quantum tamen ad nostram spectat assertionem, hoc si dicamus abũdabit. Nimirũ quod Christo bifariam inserimur, ut mẽbra. Vno modo per fidẽ, quã suæ adscripti reipublicæ ultro illi præstamus, sacramentoq; astringimus. Quemadmodum dum Paul. ubi Roma. 1. in sermonem incidit de obedientia

Synod. Triden.

Prima ratio.

Secũda.

Rom. 6.

Ephe. 5.

Rñsio.

Duplex membrũ Christi.

fidei in gentibus, subdit. In quibus estis & uos uocati Iesu Christi: id est, christiani, per hoc, quod eandem obtulistis fidei obedientiam: in captiuitatem (ut ait ipse alio loco) redigentes intellectum in obsequium Christi. Sed aliter sumus illi insiti, & compacti per charitatem. Vnde Rom. 8. Si quis spiritum Christi non habet, hic non est eius. Et prima copulatio ordinatur ad secundam. Ad hoc enim configuramur Christo crucifixo in baptismo, ut opa carnis mortificemus.

Gala.5. Vnde Galat. 5. Qui christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum uitijs, & concupiscentijs. At uero inconsequēs est, ut qui a fine & scopo fidei aberrat, fidem protinus amittat. Enimuero licet quolibet delicto fidem eatenus frangimus, quod non omnino facimus ut promisimus, haud tamē usquequaq; denegamus fidem, quo minus simus semper lege astricti. Instar reipublicæ ciuilis. Non enim qui unum crimen committit, a republica protinus abciditur: sed si est perfuga, uel prorsus rebellis. Vnde Matth. 18. Si ecclesiam (inquit) non audierit, sit tibi tanq̃ ethnicus, & publicanus: ergo q̃diu ecclesiā quis audierit, fidelis & catholicus christianus est. Quocirca quēadmodum fides mortua, ut supra diximus, non ficta, sed uera secundum substantiam est, ita & christianus charitate uacuus, christianus nihilo secius est. Neq; similitudinem omnino gerit oculi mortui. Nam oculus totum compositum dicit ex corpore & anima, qua proinde decedente, non est oculus. Secus de fide, quæ uiuit per aliam uirtutē. Neq; palmes euāgelicus cumprimum absentia gratiæ arescit dissecatur a uite: sed manet insitus per fidem: quæ fides est genitrix charitatis: usq; ad finem seculi: quando huiusmodi steriles palmites abscindentur, et in ignem mittētur. Vel quousq; authoritate ecclesiæ amputētur. Idem docemur in similitudine areæ: ubi cum tritico commiscentur paleæ, & sagenæ missæ in mare ex omni genere piscium congregantis, & eiusmodi alijs: quas non est præsentis loci percensere. Et Paul. 2. Thimo. 2. ecclesiam comparat magnæ domui, ubi non solum sunt uasa aurea & argentea, sed & lignea, & fictilia: quædam in honorē, quædam in contumeliam. Illud autem ubi repræsentat ecclesiam sine macula & sine ruga, effectum iri intelligit per Christum

Oculus mortui.

Similitudines euāgelicæ.

2. Thi. 2

rum in extremo iudicio: quando reddet regnum patri. Interim tamen ratio christianæ reipublicæ, fide militãtis in hoc consistit, quod sacramẽta, leges, magistratus, cerimoniæ, uniuersa denique exercitia in hoc instituta sunt, ut homines pietatem colant, uirtutẽ sectentur, & charitate (quæ finis est perfectionis) cor emundẽt, quo possint purificati æterna illa uisione beari. Quocirca qui hanc fidẽ tenent, etsi nonnunquàm a recta deflexerint, christiani censentur: nisi a fide deficientes, ab ecclesia uel decesserint, uel eijciantur. Eadem est sententia tum patrum aliorum, tum ẽt Augustini in de fide ad Petrũ, & de uera religione: & sæpe contra Donatistas: & in libro de baptismo: cuius uerba de consecra. d. 4. can. est unitas, referũtur. Est unitas ecclesiæ, quæ late patet, in sacramentorum uidelicet societate & communiõe, quæ complectitur cũ granis etiam paleas: quando eas corporaliter mixtas ita patitur, ut neque illas iusti uitent, neque ab illis iuste uitentur. Sic sunt in ecclesia homines mali, ut in corpore hũano humores mali, qui interdum exeũt de corpore. ¶ At uero princeps omnium argumẽtum, quo ueritas hæc constabilitur, est. Quod nisi fides informis christianos efficeret, qui reuera essent mẽbra Christi, fieret, ut cũ primũ prælati, & sacerdotes in peccato essent mortali, abdicarentur sacerdotio: saltem quãtum ad ecclesiæ iuridicã gubernationẽ. Nã profecto cũ caput (uerbi gratia) qđ dignissimum est membrorum, esse nemo possit, nisi qui uere est membrũ: ubi non est uera ratio mẽbri, nec uera subesse potest ratio capitis. Quare neque Papa in peccato esset uere papa, neque uero cæteri episcopi retinerent gradus suos. Porro hæresiarcha ille famigeratissimus Ioannes Huss optime iudicauit consequentissimũ esse, qđ si ecclesia solũ est illa nobis ignota, quæ intus charitate nitet, nemo in peccato uere cõpos est ecclesiastici muneris. Ob idque asserto priori, alterũ subinde adiecit. Nostri uero recẽtiores Hussitæ (nã et hoc nomine gloriãt Marti.) id qđ antecedit, lubẽtissime in odiũ ecclesiæ (ut aiunt) papisticæ prædicãt: quod uero consequit, palliãt. Nã postquam in 7. ar. confes. August. confessi sunt, ecclesiã esse congregationẽ membrorum Christi: hoc est, sanctorum, qui uere credunt, & obe-

Ratio ecclesiæ militantis.

De consec. dis. 4. can. est unitas.

Præcipuum argumẽtũ.

Ioan. Huss.

Lutherani.

diunt Christo, subscripserunt in articulo. 8. quod mali, & hypocritæ qui societatem habent externorum signorum, possunt administrare sacramẽta, eademq; ab illis recipere nobis licet. Quoniam ut addit in apologia Melãthon, ministri fun guntur uice Christi. Sed profecto ut sint dialecticæ negligentissimi, tamen non possunt non cernere uim consequẽtiæ. Si enim fides sine charitate, ut nullibi non inculcant, non est uera fides, sed ficta: atq; adeo, ut uerbis Melanthonis utar, in quibus nihil agit Christus (uidelicet charitatis) non sunt mẽbra Christi, euidentissime colligitur, ut prælati extra gratiã, non sint ueri, sed ficti. Ob idq; non est cur per illos Deus certius conferat effectus sacramentorũ, quàm per alios, qui non gerunt formam ministrorũ. Sed quid pluribus opus est, nonne Lutherus bene nouit consequentiã, & ar. 25 assertionum, ubi ait. Papam non esse Papã, si non amat Christum. Et Lutherani nũquid per ironiã & ludibrium appellãt ministros, eosdem, quos, extra gratiã appellãt hypocritas? Expendant uerba Philippi. Recte, inquit, possumus sacramẽtis uti quæ per malos administrantur. Nam & Paul. prædixit futurũ, ut Antechristus sedeat in templo Dei: hoc est, in ecclesia dominetur & gerat officium. At de hoc in articulo de ecclesia.

Conuincuntur.

Luthe.

Verba Melanthonis.

De causis iustificationis. cap. 9.

HAc de fide præstituta ueritate qđ sit exordiũ christianę pietatis, sufficiens nos christianismo adscribere, subsequitur, ut ad causas iam iustificationis elucidandas descendamus. Primam ergo, ceu basim, propositionem iaciamus. In opere hoc diuinæ misericordiæ, qua filij Adæ Deo reconciliamur, ueluti in effectis naturæ, genus omne causæ est consyderare. Non modo inquàm quatuor primaria, sed sibi etiã ipsis cognata. Est enim causa finalis, tam proxima, quàm suprema: mox efficiens, & instrumentalis, deinde materialis, & dispositiua: ad hæc exemplaris & formalis. Finis proximus iustificationis nostræ est nostra ipsorum glorificatio. Nam quos uocauit (ait Paul.) illos & glorificauit: id est, ad hoc iustificauit, ut glorificaret. Supremus uero est Deus ipse: quippe qui (ut lib. 1. cap. 3. diceba-

Quatuor genera causarũ.

Finis iustificationis.

mus)in hunc finem creauit tam hominem,quàm angelum, ut suam illis diuinam felicitatem impartiens,modo quodam dilataret,& propagaret.Id quod & cap.3. denuo repetendo explicuimus. Nimirũ,quod Deus nõ propter creaturas primum,sed propter se,tum hominem condidit, tum & fabrefecit mundum:uidelicet ut gloria esset sua patentior, & nomẽ celebratissimũ. Vnde Apostol.1.ad Corin.13.de extrema die mentionem faciẽs,qua Christus operis redemptionis postremum actum perficiet,Deinde,inquit,finis:cum tradiderit regnũ Deo & patri.Et rursus.Cũ subiecta fuerint omnia filio, tunc ipse filius(scilicet inquantum homo & sanctorũ caput) subiectus erit ei(sane cũ beatis omnibus)qui subiecit sibi omnia:ut sit Deus omnia in omnibus.Hic ergo est supremus finis redemptionis mundi,& glorificationis,non solum hominum,sed etiam angelorũ.Atqui ut ipse supremus est finis,prima etiam est causa efficiens: unde omnis pendet authoritas. Est enim teste Ioanne,Alpha et.O. Vnde Esa.50.Dominus Deus auxiliator meus:ideo non sum confusus. Iuxta est qui iustificat me:quis contradicet mihi? Ecce dominus Deus auxiliator meus,quis est qui cõdemnet me? Quibus ferme uerbis Pau. Deus qui iustificat impium,quis est qui cõdemnet? Ille enim est,cui soli peccatur:ut confitetur Dauid:& idcirco idem est,qui conuersus uiuificat nos. Quo nimirũ alludebãt iudæi,dicentes.Quis est hic,qui etiam peccata dimittit? Acsi dixissent,quod Dei est,sibi usurpans.Nam legerant in psalmo.Gratiam& gloriam dabit dominus. Sũt enim quædam participatio diuinæ naturæ: & ideo facultatem creatæ excedunt.Secundum autem Deum,Christus etiam inquantũ homo,est causa suo modo & ordine efficiens. Primum, quia cõmeruit nobis salutem:per quod meritum tãquàm mediator Dei & hominum,fecit nobis ipsum propitiũ. Iuxta illud Ioã. Aduocatũ habemus apud patrem, Christũ nostrum,& ipse est propitiatio pro peccatis nostris:non pro nostris autẽ tantum,sed pro totius mundi. Et Paul.Iustificati gratis per gratiam ipsius,quæ est in Christo Iesu:quem proposuit Deus,propitiatorem in sanguine ipsius.Nec sine mysterio congemina

[Margin notes: 1. Cor.13. — Causa efficiẽs. — Esa.50. — Rom. 8. — Lucæ. 7 — Christus causa efficiens. — Rom.3.]

uit, gratis, per gratiam ipsius. Poterat enim nobis Deus gratis condonare peccata absq; aliquo redemptionis pretio, ubi nulla esset ratio iustitiæ: attamen æquissimus simul, ac benignissimus, ita gratis id fecit, ut tñ per iustitiã mediatoris Christi pficeret. Sane, quẽ gratis nobis dedit, & cuius nos rursus gratis efficit mẽbra. Necq; uero tãtũ est causa p modũ meriti, sed quodãmodo causa efficiens, quasi instrumẽtum uiuũ, & organũ diuinitatis: ut perdocte adnotauit S. Tho. 1. 2. q. 112. artic. 1. Quod ego ita interpretor, Christo domino nostro, quatenus redemptori, non solum conueniebat mereri nobis gratiam, uirtutes, & gloriam, sed eadem de causa, sic omnem potestatem in cælo, & in terra recipere, ut ipsi cõpeteret omnia dispensare, & distribuere: quæ pertinent ad nostram salutem, tanquàm iudici uniuersali. Vnde Apost. Vnicuiq; nostrum data est gratia, secundum mensurã donationis Christi. Propter quod scriptum est. Ascendens in altum captiuã duxit captiuitatem, dedit dona hominibus. Itaq; non solum gratiã nobis, & reliqua dona elargitur, sed homines ẽt iustificat, inquantum homo. Non quidem propria uirtute, sed tanquàm organum, & uiuum instrumentum Dei. Et hoc est quod ait Apostol. Vnus Deus, unus mediator Dei, & hominum Christus Iesus. Quod si mihi morosi, & importuni obuiam prodierint, philosophantes, quod gratia gratum faciens a Deo creetur: ad quã idcirco productionem humanitas non potest attingere: quia authore ipso eodem S. Thoma. 1. p. q. 45. art. 5. creatura necq; instrumentum quidem esse potest creationis. Responsum sibi putent, quod quemadmodum naturale agens, non pertingit creationem animæ, sed infusionem: ut totum compositum sit homo, ita necq; Christus est causa gratiæ, sed infusionis eius, ut homo sit gratus. Quia ipsi incumbit trutina sua librare, & perpendere, quantum gratiæ unicuiq;, iuxta dispositionem, qua se auxilio Dei præparauit, debeatur. Sicuti ad ipsum spectat in iudicio extremo sententiam proferre, & pœnas damnatis, atq; præmia iustis decernere, & suo quenq; ordine collocare. Sũt præterea, et sacerdotes, ecclesiæ ministri causa gratiæ tãquàm

1. ad Thimo. 2.

[Eph]e. 4.

Argumentũ.

Sacerdotes causa gratię

uice Christi fungentes. Quēadmodum enim a Deo in Christum, ita & ab ipso in sacerdotes deriuata est hæc potestas: ut Christus ipse redemptor noster palam affirmat. Data enim inquit, est mihi potestas in cælo, & in terra: sicut misit me uiuens pater, & ego mitto uos. Accipite spiritum sanctum. Quorum remiseritis peccata, remissa erunt, & quorum retinueritis, retenta erunt. Haud sane tamen tam amplam habent, tanq̃ liberam huiusmodi potestatē, quàm fuit in Christo. Ille nanq̃ nihil pendebat a sacramentis: utpote sine quibus gratiam contulit Magdalenæ: & paralytico, & quàm plurimis. Hæc enim erat gratia capitis. Ministris autem modum præscripsit, ut non nisi per sacramenta iustificent. Quare & hæc sunt quoq; instrumenta gratiæ. Nō ut ministri, sed ut inanima organa, quibus passio applicat̄ nobis. Ait enim Paul. ad Titum. 3. Secūdum suam misericordiam saluos nos fecit per lauacrum regenerationis, & renouationis spiritus sancti: præpositio autem illa, nota instrumēti est. Et ad Ephe. Mundans eam lauacro aquæ in uerbo uitæ: ubi, & materia, & forma exprimitur sacramenti. Et super Ioannē Aug. Vnde tanta uis aquæ, ut corpus tangat, & cor abluat? Et in hoc differunt a sacramentis ueteris legis: quæ ideo appellat Paul. infirma, & egena elementa, quod nulla illis uis inesset iustificandi. Circuncisio enim non erat instrumentum, sed signū fidei: cuius fidei uirtute cōferebatur gratia. Ita. n. de Abrahā loquitur Pau. Signū accepit circūcisionis, signaculum fidei. Sacramenta uero nostra, quia signa iam sunt passionis exhibitæ, quasi quæ ex latere Christi dormientis fluxerunt (ut est in glossa ad Rom. 5.) nō indicia modo, sed efficacia sunt gratiæ. Etenim cū Christus morte sua, uitā spiritualem nostram fuerit operatus, ad similitudinē uitæ animalis uirtutē nobis eiusdem passionis dispensauit p̄ sacramenta. Baptismus. n. est quædā spiritualis regeneratio: ita. n. ut modo dicebamus, appellat eum Paul. lauacrum regenerationis. Confirmatio est augmentum quoddam, & robur gratiæ: sicut adolescentia uitæ. Iuxta illud Lucæ ultimo: ubi admoniti sunt discipuli, iā baptizati, sedere in ciuitate, quoadusq; induerētur uirtute ex

Gratia capitis.

Sacramenta.

ad Tit. 3

Sacramēta uetera.

Rom. 4.

Ratio sacramentorum.

Luc. ult.

alto. At sacrosanctũ sacramentum corporis & sanguinis, est quædam iugis, quotidianaq́ alimonia. Nisi enim manducaueritis, inquit, carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis uitam in uobis. Quæ quidem sacramenta tria, nisi renatus homo aliquãdo relaberet̃, satis erãt quantum ad personã cuiusq́ propriam. Sed propter peccatũ quæ est quædam infirmatio, adhibitum est sacramentum pœnitẽtiæ, quo preciosus, saluificusq́ sanguis Christi applicatur per modum medicinæ: iuxta precationem Psalmistæ. Sana animam meã, quia peccaui tibi. Et tandem extrema unctio, qua reliquiæ, si quæ sunt peccatorũ, prorsus absterguntur: secundum illud Iacobi. Quod si in peccatis est, dimittentur ei. Sacramẽtũ autem ordinis institutũ est in bonum cõmune. Nimirum ut gratia suppeditetur ecclesiæ ministris ad generandum spiritualẽ prolem. Quemadmodum sacramentũ matrimonij, ut digne ad laudẽ Dei propagetur animalis uita. Cõferunt autem sacramẽta hæc gratiam: eo modo quo supra de Christo dictum est. Vtpote quæ non creationẽ gratiæ attingunt, sed instrumenta sunt quibus homo est Deo gratus. Cuius exemplum in uirtute seminis generatrice hominis pręsto est, quæ nõ est animæ generãdę causa, sed hominis. Neq́ aliã uirtutem in illis agnosco, q̃ quod propterea homo, quia baptizatus est, uel sacramentaliter absolutus, reconciliat̃ Deo. Nam quid opus est dicere, huiusmodi uirtutẽ, qualitatẽ esse, re distinctam ab aqua et uerbis? De hac sacramentorũ uirtute nõnullus paulo post ineundus nobis superest conflictus cũ Luthero. Tertio loco est causa materialis. Non inq́ anima uel potẽtiæ, quæ gratia & uirtutibus perfundũtur: illa .n. subiecta potius sunt quàm materia. Sed causam materialẽ appellamus, dispositiões, et pręparationes ad gratiã: qui sunt actus fidei, spei, & charitatis, seu pœnitentię. De huiusmodi autem causis dicere hic non oportet explicatius: eo quod non eædẽ prærequirũtur in omni genere iustificationis, sed per capita sunt singulæ ex ordine discutiendæ. Exẽplaris autem iustificationis nostræ causa, est iustificatio ipsa Christi: inquantum homo est. Ipse .n. fuit primum exẽplar: sane qui non per mo-

Sacramẽta cõfe. grat.

Virtus sacramẽtorum.

Causa materialis.

Cã exẽplaris.

dum meriti, sed uirtute unionis gratiã Dei recepit, ut homo esset naturalis filius Dei: cuius nos instar gratiam, & gloriã recipimus, plus, minusue: qua adoptamur in filios, hæredes quidem Dei, ut ait Paul. cohæredes autem Christi. Si tamen compatimur, ut conglorificemur. Itaq; & ad exemplar illius debemus pati, si uolumus secundum suam gloriam glorificari. Vnde subdit. Prædestinauit nos Deus cõformes fieri imagini filij sui. Imago enim exemplarem causam significat. Et ideo in baptismo cõmorimur, & consepelimur ad similitudinem mortis, & sepulturæ suæ, & pariter resurgemus ad similitudinem resurrectionis. Si enim ait Paul. complantati facti sumus similitudini mortis eius, simul, & resurrectionis erimus. Et ad Philip. 3. Qui reformabit, inquit, corpus humilitatis nostræ configuratũ corpori claritatis suæ. Hæc omnia rationem præ se ferũt exemplaris causæ. Atq; adeo gratia eius exemplar est nostræ: & gloria, itidem gloriæ. Sãcta uero Synodus cap. 7. ubi has causas denarrauit, gloriam Christi coniungit in causam finalem cum gloria Dei: uel quia exemplaris quodãmodo est finalis: uel forte propter gloriã corporis, & nomen, quod est super omne nomen, quod illi accessit per modum præmij, merito redẽptionis. Postremum deniq; locum habet causa formalis: puta gratia, & uirtutes, quibus infusi iustificamur. At uero neq; de causis formalibus possumus hic exacte dicere, quoadusq; modos singulos iustificationis, cap. sequẽtibus exponamus. Est enim nobis de causa formali, & cum Lutheranis permagna, & inter nos nõnulla discordia. Ordo hic causarũ & series ex analogia sumit, tum naturalium, tum & artificialium. Agens enim proposito fine, per instrumenta disponit materiã, ut instar ideæ, & exemplaris propositi inducat formam.

[Margin: Rom. 8. — Philip. 3 — Synod. Trid. — Causa formalis]

De iustificatione infantis ante usum rõnis. cap. 10.

Vniuersa principia hæc præmeditati, ad punctum deniq; & articulũ iustificationis instructiores descendimus. Hæc autem non uno, sed quatuor modis, si perspicuitatẽ exoptas, celebratur: iuxta differentias hominum, quibus hoc reconciliationis beneficium

[Margin: 4. modi iustificationis.]

impenditur. Est enim iniustorum quatuor genera contēplari. Primum, infantium ante usum rationis, qui originali sunt culpa maculati. Secundum est eorum quibus usus iam rōnis emicat, cum sola tamen eadem originis tabe: sane qui nondū male usi sunt propria uoluntate. In tertio ordine sunt, qui originale peccatum indeletum actualibus cumularunt. At demum in quarto sunt Christiani, qui a gratia baptismatis delabunt̃. Atqui de primo genere priori lib. cap. xi. et. 12. cū Lutheranis abunde disputauimus, atq; constituimus, in baptismo plenissime remitti originale: eo usq;, ut nulla prorsus reliqua fiat ratio culpæ. Hic autem ubi de dispositionibus est sermo, duos diuersos errores subnotare restat. Primus est Lutheri, qui adeo tenax est, & propugnator suæ illius particulæ, Sola fide, ut in utrunq; extremum absurde peccauerit: dum & adultis, præter illam, nullum aliud opus proprium necessarium existimat ad iustificationē, & infantibus docuerit esse necessariam. Quin uero pariter ut adultos, ita illos existimat non sacramento, sed sola fide iustificari. Hic enim est articulus eius primus inter assertiones ad Leonem: cuius iam supra meminimus. Hæretica est, sed usitata sententia, sacramēta nouæ legis dare gratiam. Et paulo post. Neq; enim baptismus saluat, sed fides baptismi. Neq; uero (ut fideliter illic explicat Roffen. loquitur de habitu fidei cælitus infuso, sed ait etiamnum in infantibus inesse actum credendi uiuacissimū. Id quod in suo Homiliario euangeliorū dominicalium aperte prædicat: & secundum ipsum alij etiam suæ scholæ in multis locis. Tametsi in confessione Augustana, & cæteris colloquijs id silēter prætermiserint. Fuit enim figmētum illius hominis, quod gratiam non suscipimus per sacramentum: sed per fidem quā damus uerbo, non ministri, sed Christi ipsius: ubi instituit sacramenta: puta, Qui crediderit, & baptizatus fuerit. Nisi manducaueritis carnē filij hominis. Quorū remiseritis peccata, Qua scilicet fide assentientes, promissionē esse firmam, iustificamur. Ita se exponit in eodem articulo, & in suis Galathis, cuius ludicra, & quidem ridicula uerba sunt, inter exponēdum illud. 3. cap. ex operibus legis spiritum acceptistis

Error Lutheranorum.

cepistis

cepiſtis,an ex auditu fidei? Ait enim uſq; adeo uerum eſſe, & fidem omnibus eſſe neceſſariam: puta uiuaciſſimum actum, neq; poſſe niſi ex auditu haberi, ut etiã infantes eam ex auditu conſequantur. Et obijciens ſibi ipſe, quod nihil audiũt, reſpondet, uerbo Dei nihil eſſe ſurdum: ſed ſimul dum aures pulſat, intus ſpiritũ infundit. Neſcio profecto ubi potuit, non dico beneuolas, ſed patulas aures aucupari, in quas eiuſmodi exoneraret portẽtum. Quis enim, ut ante me alius dixit, tam eſt ab omni ſenſu alienus, cui metuendũ ſit poſſe perſuaderi, quod paruulus, cui nõ modo nulla notitia Dei, uel boni, uel mali diſcretio, uerũ neq; ullus rationis uſus, ulliuſue rei cogitatio ineſſe poteſt, auditu concipiat actum fidei per quem iuſtificetur. Adde quod hæreſis præterea illa, q̃ ſacramẽta nulla ſint cauſa iuſtificationis, ſed ſola fides uerbi, manifeſte pugnat, non modo cum euangelio, ſed ſecum ipſa. Enimuero ſi fides illa uera eſt, qua aſſentimur Chriſto dicẽti, Quorum remiſeritis peccata, uerum eſt enunciatum ſuum: puta quod miniſtri eccleſiæ remittũt peccata. Et ſi uera eſt fides, quã eidem præſtamus, dicenti, Niſi quis renatus fuerit, & Niſi mãducaueritis carnem filij hominis, conſequens fit, ut lauacrũ ipſum regenerationis, & ſacramentũ corporis cauſa ſit iuſtificationis. Hoc enim eſt, quod ipſe affirmat. Admirabilis fuit audacia (ut ab alio uerbo tẽperem) illius hominis. Ad probandũ, q̃ non per ſacramentũ, ſed per fidem illorum uerborũ Chriſti iuſtificamur, citat teſtimonium illud Aug. Accedit uerbũ ad elementũ, & fit ſacramentũ. Acſi loqueret̃ illic de uerbo Chriſti, & non eſſet euidentiſſimũ, quod loquebat̃ de uerbo miniſtri, Ego te baptizo, & Ego te abſoluo, qđ tanq̃ forma ſacramẽti confert gratiã. ¶ Igit̃ ut ſecũdum orthodoxorũ ueritatẽ de primo iuſtificandorũ genere cõcluſionẽ ſtatuamus. Paruuli nõ poſſunt proprie dici fide, aut quouis alio ſuo actu, aut peculiari diſpoſitione iuſtificari: ſed ſolo ſacramento fidei, tanq̃ inſtrumẽto paſſionis Chriſti: quo, nullũ adferẽtes obicem, in adoptionem filiorũ regenerãtur. At uero dubiũ reſtat, qđ nobis obijcit locus euãgelij Mar. ult. Qui crediderit, et baptizatus fuerit, ſaluus erit. Vbi tam neceſſaria proferẽ fides, q̃ ba-

Portẽtũ Lutheri.

Hæreſis.

Vera ſẽtentia de paruulis

Dubiũ, Qui crediderit, &c.

lud. Qui crediderit, de adultis duntaxat qui sunt rationis cõpotes enunciari. Neq; omnino absq; probabilitate, si præcedentia uerba respicias. Est enim contextus. Euntes prædicate euangelium omni creaturæ. Qui crediderit, &c. Euangelium autem non prædicatur nisi auditum habentibus, & ratiõis iudicium. De illis ergo intelligitur, Qui crediderit. Paruulis autem satis est si baptizetur. Sed profecto ubi rem pensiculatius consydero, interpretationẽ hanc probare non possum. Primo, quia uerba sũt uniuersalia: perinde atq; illa, Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto. Neq; est uerisimile, quod ubi Christus tradebat Apostolis formam, & modum euulgandæ, & propagandæ fidei, si sub illis uerbis omnis ætas mortalium, & conditio non comprehẽderetur, quin simul explicaret, paruulis baptismum sufficere. Et quod me maxime urget, nunq; ecclesia ab Apostolis ipsis edocta, susceptores puero decerneret, qui suo ipsius nomine interrogati an crederet, responderent, credo: nisi quod Apostoli ipsi uerbum illud intelligẽtes ad uniuersos pertinere, illa cerimonia puerum significarent credere. Neq; temere sane Aug. sed sciẽtissime tanquàm rem magni momenti, tantopere studuit explicare, ut paruuli credant. Cuius sententiam probatissimã habet S. Tho. 3. p. q. 68. eo articulo, quo de baptismo paruulorum differit. ¶ Igitur quantũ ex uerbis Augustini conijcere possum, credere, ut est uniuersis necessariũ ad iustitiam, idẽ est, quod euangelium solenni professiõe suscipere. Nisi quod adulti suscipiunt actu credentes, & confitẽtes fidem, atq; obligantes se legibus Christi: pueri autem suscipiũt eandem fidem per obligationẽ, qua uerbis susceptorum, quæ sua propria censentur, astringũtur. Sicuti minor ætate obligatur uerbis tutoris. Et ita intelligo Augustinũ, dicentem ipsos credere, id est, suscipere solenniter euãgelium per uerba gestantiũ. Quocirca quodammodo recipiunt euãgelium per auditum parentum, qui adhibentes ipsi fidẽ, se suosq; liberos, quos habent in legitima potestate, baptizant. Atq; hinc palam colligitur, hæresim esse manifestariam, Anabaptistarũ, qui autumant pueros, ubi primum illuxerit rationis usus, conueniẽdos esse, & sciscitandos, habeant ne ratum, quod parentes de

Primũ argumẽtum.

Secũdũ

S. Tho.

Sentẽtia authoris

Anabaptistæ.

ipsis fecerunt. Quinimo sunt iam uere obligati, & idcirco cōpellendi ad fidem, legemque seruandā, quam susceperunt. Vnde quādo ait Aug. pueros credere idem esse, quod baptizari, non intelligit aliud, nisi quod idem ualet illis baptizari, per quod sacramētum legibus Dei obligantur, quod ualet adultis credere. Etenim Hypog. lib. 5. palam ait, quod paruuli assumuntur in fide credentium, non obedientia uoluntatis, sed dilectione nimia: uidelicet Dei, qui absque aliquo eorum actu, in suam illos recipit amicitiam. Hæc August. Habemus ergo quod paruuli sine aliquo proprio actu uel dispositiōe, quam ipsi adferant, sed solū per alios obligati, sacramento sanctificantur. Et quàmuis sine illa solennitate baptizentur, baptizator, tanquàm ecclesiæ minister, ipsos obligauit. ¶ Sed altera in altero extremo est quorundam opinio. Hi nescio quo protecti pietatis obtentu, dicere audent, pueros qui casu aliquo absque baptismo moriunt̄, nihilo secius misericordia Dei, quæ defectum supplet baptismi ab originali liberatos, ad regnum admitti cæleste. Atque idem censent tam de pueris iam in lucem editis, quàm de illis qui in maternis uteris ante lucis usuram de uita decedunt. Et quoniā de hac re per ora uulgi circunfertur doctissimus Caietanus, illum nomino: quem semper tamen, non nisi honoris gratia nominare soleo. Is enim, alias profecto omni authoritate dignus, super. q. 68. 3. p. (sub correctione tamen, et, quę sua erat religio ac modestia, nihil pertinaciter asserendo) utrunque, ceu probabile profert. Ait enim artic. 2. quod in casu necessitatis: nempe ubi non est aquæ copia, ad salutem puerorum (& loquitur de illis qui iā nati sunt) sufficere uidetur baptismus in uoto parentum: prę cipue cum aliquo exteriori signo. Et postmodum arti. xi. addit (sub eadem censura) paruulos in maternis uteris periclitantes, posse pari modo saluari per sacramentum baptismi in uoto parentum cum aliqua benedictione seu oblatione ipsius ad Deum, cum inuocatione Trinitatis. Sicut diximus, inquit, de pueris, qui nō possunt baptizari. At uero, salua semper doctoris eximij authoritate, haud dubito utrāque partem opinionis suæ falsam esse: nescio uero priori ne sit digna calculo, saltem in illis, qui, quod ipse temperatissime insinuauer-

Aug.

An pueri sine baptismo saluentur.

Caietanus.

rat, iam modo incunctanter asseuerant. In quorum potius gratiam, quàm ut ipsis contradicam, pressius rem hanc edisseram. Et primum omnium utroque articulo Caietanus apertissime contradicit diuo Thomæ: cuius agit interpretem. Nā priori loco: ubi ait, uotum nonnunquàm baptismi sufficere ad salutem, ne cui relinqueret occasionem suspicandi, quod sufficeret uotum parentum, palam explicat, ubi non est copia baptismi in re, necessarium esse uotum suscipiendi in ipso baptizando. Ait enim. Sicut cum aliquis baptizari desiderat, Quare pueris nullam reliquā facit salutis uiam. Et secundo loco, pueris nondum natis, nisi quibus ex priuilegio donatum est in utero gratiam recipere, nullum tribuit remedium salutis: eo quod non possunt baptizari: quod secundum euangelium necessarium est. Atque ne citra sacram scripturam uel uniuersalem consensum ecclesiæ, liberum esset dicere, quempiam in utero sanctificari, aut gratiam recipere, exprimit in solutione ad primum argumentum, restrictionem de sanctificatis in utero: nempe, qui in ecclesia tales habentur. Porro autem August. ut gradatim ascendamus, innumeri sunt loci, quibus idem inculcatissime repetit. Primus est, uulgatissimus ille canon de fide ad Petrum relatus inter decreta d.4. de consecra. Vbi ait. Firmissime tene non solum homines ratione utentes, uerumetiam paruulos, qui siue in uteris matrum uiuere incipiunt, & ibi moriuntur: siue iam de matribus nati, sine sacramēto baptismi, quod datur in nomine patris, & filij, & spiritussancti, de hoc seculo transeunt, sempiterno igne puniendos. Quod si cauilletur quis, non esse ita certum opus illud Augustini, idem ferme meminit ubicunque in certamen descendit contra Pelagium. Ille enim (ut patet Hypog. lib.5.) non negabat pueros baptizandos esse ut intrarent regnum cælorum: quia illud expresse habetur Ioan.3. sed dicebat decedentes ante baptismum in aliquam transmigrare mansionem, ubi haberent felicitatem uitæ æternæ: eo quod nullum, secundum ipsum, contraxissent peccatum. Animaduertat ergo oculatissimus quisque, adeo semper fuisse constitutissimum in ecclesia, nullum paruulum absque baptismo in re (sane quem non potest habere

S. Tho.

August.

Pelagius.

Animaduerte.

men credere nequeo authores huius, quam reprobamus, opinionis æstimate inspexisse, ut fuerit cōdemnata aduersus Pelagium. Hæc enim uerba sunt Innocentij papæ in epistola rescripta concilio Carthaginēsi, & Mileuitano, quæ refert Augu st. contra duas epistolas Pelagianorum lib. 2. cap. 4. Illud uero, quod eos uestra fraternitas asserit prædicare, paruulos æternæ uitæ præmijs etiam sine baptismatis gratia posse donari, perfatuum est. Quibus subscribit Aug. quod præuaricator esset ecclesiæ Romanæ quicunque ab illa sententia deuiasset. Et contra Iulianum lib. 3. statim cap. 1. ait, quod Pelagius timens ipse damnari, damnauit eos, qui dicunt infantes, etiā si non baptizētur habere uitam æternam. Et inferius cap. 12. eandem repetens sentētiam. Vnde Pelagius, inquit, quod supra commemoraui, eos qui dicunt infantes, etiam si non baptizētur, habere uitam æternam, in ecclesiastico iudicio, nisi damnasset, damnatus exisset. Haud equidem nescio, alia ratione fuisse damnatum Pelagium: nempe quia negabat originale peccatum. Attamen cum sententia & forma ipsa dānationis, ea sit, puerum scilicet non baptizatum posse habere uitam æternam, uidere non uideor quomodo possit catholicus, ullam inde exceptionem cogitare, nisi quam spiritussanctus ecclesiæ reuelasset. Nam duo errores eodem uerborum fulmine percelluntur, & quod non sit peccatum originale, et quod absque baptismo possit remitti. Quocirca quēadmodum ex prima parte non est liberum quēquàm excipere, nisi quatenus ecclesia uel definiret, uel permitteret, ita neque ex altera. Ex qua tamen neminē hactenus exemit. Mox post authoritates sanctorum, & ecclesiæ determinationem expendenda sunt uerba ipsa euangelij. Cum enim uniuersales sint sententiæ Saluatoris, Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sācto: &, Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit: &, Oportet uos nasci denuo, nunquid plusquàm temerarius ausus est, ne dicam, contradictio scripturæ, quempiam inde subducere absque expressa reuelatiōe Dei per ecclesiæ scitum? Profecto non dubito, quin ad istos usque exceptores pertingat, quod ait Paul. Si ego uel angelus de cælo aliud euangelizauerit, quàm euangelizauimus, anathema sit. Quapro-

Cōdēnatio Pelagij.

Aug.

Verba euāgelij.

Quorũdã audacia. pter non possum non demirari, quàm facile, quanq; audenter consueuerint nõnulli, uniuersales sentẽtias scripturę glossare, quod intelligantur de lege. Quibus nihil, inquiunt, obstat oppositum secus quãdoq; contingere, uel ex priuilegio, uel ex misericordia Dei. Cum tamen synceritas scripturæ ea sit, ut nisi exceptio ipsa eodem sacro eloquio exprimatur, uel per ecclesiæ fiat authoritatem sacrilega sit, & præuaricatrix

Ioan.1. eiusmodi glossa. Nunquàm enim Aug. ausus esset ex uniuersitate illa, Deum nemo uidit unquàm: et, Non uidebit me homo, & uiuet, substrahere probabiliter Mosen uel Paulũ, qui uidissent Deum, nisi de primo legisset in eadem scriptura, pu

Exo.33. ta Exodi.33. quod uideret posteriora Dei: & de altero, quod raptus in tertium cælũ, uidisset arcana Dei. ¶ Sed ut ad locũ euangelij reuertamur. Si fas esset affirmare, alicui remitti peccatum originale sine baptismo in re uel in uoto suscipiendi, pari facilitate posset quis etiam dicere, quod aliquis impœnitens ex misericordia Dei possit ab actuali liberari. Nam uerba eadem sunt, Nisi quis renatus fuerit: &, Nisi pœnitentiam egeritis. Deo autem nihilo plus repugnat remittere actuale sine pœnitẽtia, quàm originale sine baptismo. Et quàmuis actualis sit maior, etiam originalis est uera culpa. ¶ Hoc autẽ quod subijciam est argumentum, quod, quãdo solum existe-

Argumẽtum prẹcipuum. ret, satis rem posset mihi persuadere: uidelicet ecclesiæ consuetudo. Nanq; nisi baptismus ita esset necessarius, ut absq; illo nemo quoquo pacto posset seruari, nunquàm ecclesia instituisset paruulos baptizari: quæ tamen institutio est apostolorum: dicente Dionysio cap. ultimo ecclesiasticæ hierarchiæ. Diuini nostri duces, scilicet apostoli, probauerũt infantes recipi ad baptismum. Et est argumentum huiusmodi. Paruulis ante usum rationis nulla erat religio baptizari, quinimo longe fuisset decentius expectare, ut sua se sponte, & arbitrio addicerent legi, quam erant obseruaturi: ergo nisi iudicassent Apostoli periculum illis imminere dãnationis, si illa ætate de uita subriperentur, aut sufficere uotum parentũ in tempore baptizandi, nunquàm sacramentum illis decreuisset. Atq; hanc rationẽ explicat August. in epistola ad Hieronymum, quæ est.28. cuius idcirco uerba in hunc locum reseruaui.

uaui.

raui. Quisquis, inquit, dixerit, quòd in Christo uiuificabuntur, etiam paruuli, qui sine sacramenti eius participatione de hac uita exeunt, hic profecto, & contra apostolicam praedicationem uenit, & totam condemnat ecclesiam. Vbi propterea cum baptizandis paruulis festinatur, & curritur, quia sine dubio creditur, aliter eos in Christo uiuificari non posse. Qui autem non uiuificatur in Christo, restat, ut in eadem damnatione maneat. De qua dicit Apostol. Per unius delictum in omnes homines ad condemnationem. Consydera pie lector, ut opinio quam refellimus, & apostolicae praedicationi, & ecclesiae institutioni contraueniat: quae propterea festinat, & currit ad baptismum paruulorum, quia sine dubio credit, aliter non posse saluos esse. ¶Neque certe deest redargutio etiam scholastica aduersus istos. Nam ut de illo qui est in uentre matris, loquamur, demus, matrem quae periculum foetus persentiscit, ea benedictione uti erga ipsum, quam isti uolunt. Tunc iuxta suam sententiam recipiet gratiam. Sit postea casus, quòd non moriatur infans, sed nascatur incolumis. Profecto nihil tunc esset necessarius baptismus: siquidem nascitur in gratia. Eodem modo arguam de illo, qui natus est, si ubi non est copia aquae per illam benedictionem recipiet gratiam. Non enim opus esset amplius baptismum adhibere: nam Patres non obligasset ecclesia baptizare puerum, nisi ut conferatur illi gratia. Secus est de adulto, qui non potest saluari, nisi uoueat baptizari: & ideo tenetur postea implere praeceptum. Illi ueruntamen qui responderent, huiusmodi pueros per solum aduentum mortis eodem momento, quo decedunt, iustificari, ineptiores, ut bona uenia dixerim, se proferrent, quàm cum quibus serio esset agendum. Nam si intelligerent, habituros gloriam, qui non discesserunt in gratia, non essent audiendi. Si uero fingerent, quòd gratiã susciperent in illo puncto, uti est gratia, quae martyribus impenditur plenissimae remissionis, temeraria esset assertio, quod paruulus, non occisus pro Christo per fortuitam mortem absque aliquo actu proprio, uel sacramento extrinsecus adhibito, abstergeretur originali macula. Postremum denique argumentum est huiusmodi. Cũ nul-

Falsa responsio.

Postremũ argumentũ.

lum iam modo post aduentum Christi sit aliud remediũ uel sacramentum conferẽdæ gratiæ regenerationis, præterq; baptismus, reuera, si ex misericordia Dei posset quis absq; illo gratiã recipere, ęqua esset omniũ sors, atq; adeo nihil illis offi ceret negligẽtia parentũ, sed siue ꝓponerent illos baptizare, siue non: siue iam illos ducerent ad baptismum, & morte in uia prçriperent: siue aliquo alio casu inscijs parẽtibus subito morerentur, nemo periret: quin uero nullũ esset discerniculũ, parentibus ne esset fidelibus natus, an infidelibus. Quia ipsi nulla lege tenentur aliquid agere: ob idq; nisi baptismus ipse in re necessarius illis esset, nihil noceret incuria parentũ: neq; uiceuersa citra exhibitionẽ baptismi, aliquid prodesset eorũ solertia, & pietas. Siquidẽ nulla est illic ratio meriti. Et quod sufficiat uotum in parentibus conferendi, est nouum inuentum: non solum nullibi apud patres repertum, uerum & ipsis, & ecclesiastico instituto, & certe euangelio dissonantissimum. Cõcludamus ergo ubicunq; uel in concilijs, uti nunc in nostro Triden. cap. 4. uel apud patres habetur, baptismũ sufficere in re, uel in uoto, intelligendum esse præcise de uoto suscipiendi, quod habet baptizandus ipse. ¶ Argumẽtum in contrarium unicum est, idemq; quodam pietatis uelamine obtectum. Haud enim condecens iudicant diuinæ bonitati, ut ordini illi, & statui puerorum, qui antequàm sint idonei baptismo in utero moriuntur, Deus non prospexerit, instituẽdo remediũ aliquod salutis. Et idem ferme est de illis, qui iam in lucẽ exclusi, uel aquæ inopia, uel alia negligẽtia absq; baptismo immaturi obeunt. Sed miraculum est, quod genus hoc pietatis pientissimi patres ecclesiæ nunquàm agnouerint. Tunc uel maxime quãdo Pelagiani hoc eodem achille tã erãt ecclesiæ infesti: ut est uidere in locis supra citatis apud Augustinum: uidelicet contra duas epistolas pelagianorum lib. 2. cap. 7. Dicebãt enim gratiam Dei potius fatum esse, uel acceptionem personarũ, si ex duobus adultis absq; ullo meri to alteri opitulatur Deus, ut cõuertatur, alteri uero minime: & ex duobus paruulis absq; unius diligẽtia, alteriusue negli gentia, primus abluitur baptismo, & alter relinquitur. Quibus respondet Aug. nullam esse causam, nisi uoluntatẽ Dei,

Votũ suscipiendi baptismum.

Rñdet aduersarijs.

Aug.

qui nemini est debitor:& ideo, nemini facit iniuriam, si hunc eligat, illum uero deserat. Et idem fusius adhuc differit lib.1. de pecca.me cap.21. Vbi ait, cur ad illum ueniat, ad illum nõ ueniat, occulta esse causa põt, iniusta non potest. Huius enim profunditatis stupore perculsus Paul. aiebat. O altitudo diuitiarum. Subdenda ergo, inquit, sunt colla authoritatibus scripturarum. Et reuera, si argumentum hoc tam esset urgens, q̃ isti arbitrãtur, latissime pateret, etiam ad eos usq; qui adulta sunt aetate. Dum enim ex gentilibus, uel quibusq; infidelibus alios lux fidei in uiam iustitiae perducat, casu quodam mirabili, & secundum iudicium nostrum, fortuito, alijs in sua caligine relictis: atq; inter christianos, duorum eodem lecto pari culpa sordentium, subitaneum fulmen alterum extinguat, alter uero sospes, metu perculsus, fructus deinde agit poenitẽtiae: in quam rogo causam possumus referre, nisi quod Iacob dilexit, Esau autem odio habuit? & quod ex eodem lecto, ex eodem agro, ex omni deniq; aetate, sorte & negotio mortaliũ unus assumetur, & alter relinquetur? Et sicut in adultis propriae cuiusq; culpae imputandum est, quod nõ assumatur, ita & in paruulis culpae ab Adam contractae. Sinit enim Deus naturam suis motibus agere. Nullã ipse fecit legem, quod aliqui uitã finiant in utero, uel ante baptismum. Et ideo si aliquis naturaliter moriatur, nihil suae detrahitur bonitati. Vltimum pertrahit argumentum Caietan. a lege ueteri. Tunc enim paruuli uita ante octauum diem defuncti, fide parentum, alio ritu applicata, quàm circuncisione mundabantur ab originali: simile ergo confitendum modo est, de mortuis ante baptismum. At uero argumẽtum nullum est, quinimo in ipsum authorem reuoluitur. Tunc enim propter laesionem lege erat interdicta circuncisio ante octauum diẽ. Et ideo author ipse legis Deus non debuit destituere remedio paruulos praereptos morte. In lege uero euangelica, hoc potius quod nullus praefinitus est dies baptismo, sed quàmprimum editus foetus baptizari permittitur: quinimo in necessitate iubetur. Testimonium est, quod nisi per ipsum baptismum in re, nemini paruulorum salus pateat.

Testimonia scripturae.

Rom.9.

Caieta.

ſterio fidei præ cæteris diuiniſſime diſſeruit. Ab eo enim ſtatim ſermone incarnati uerbi, continuo ait, Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius. Et iterũ, Sic Deus dilexit mundum, ut filium ſuum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum non pereat, ſed habeat uitam æternam. Et interrogantibus, quid facerent, ut operarentur opera Dei, reſpondit Chriſtus. Hoc eſt opus Dei, ut credatis in eum, quẽ miſit ille. His enim & talibus admonebat mortales, oſtium regni cæleſtis non patere aliũde, quàm ſi fidem ſibi haberent. Neq; id tantum in lege euangelica, ſed in omni æuo a lapſu primi hominis, uſq; ad finem mundi. Adeo ut ſicuti paulo ante dicebamus de infantibus ſanxerit apoſtolica eccleſia, ut non niſi fidem proteſtantes ſolenniter baptizentur. ¶ At cauſas ueritatis huius operęprętium eſt perpendere, quæ ex triplici capite deriuantur. Primum idemq; maximum eſt, quòd cum Deus per Chriſtum ſit author noſtræ iuſtificationis, primum obſequium noſtrum eſſe debet, fidem illi habere reuelanti ſeſe nobis, pollicentiq; gratiam ſuã, tãquàm uero Deo & (ut ait Paul.) remuneratori noſtro. Per quam fidem in familiam eiuſdem redẽptoris Ieſu Chriſti recipimur. Secunda cauſa eſt, quod cum (ut cap. 3 prioris libri commõſtrauimus) finis, ad quem deſtinati homines ſumus, ita noſtram exuperet facultatem, ut neq; ipſum cognoſcere naturaliter ualeamus, & homo, niſi præmonſtrato ſcopo, nequeat actiones ſuas recta intendere, neceſſaria fuit nobis fides, quæ index illius eſſet. Tertia demum huius cauſa, quàm maxime ad intelligentiam dicendorum conferens, eſt hæc. Cum ſpes præmij ſit, quæ potiſſimum animos adhibet ad patientiam laborum, & præmium illud æternæ felicitatis tam eſſet non ſolum a ſenſibus noſtris, uerũ & a cogitatione longe abſens (quis enim crederet, quòd tam eximia nos merces noſtrorum operum maneret) omnino fuit neceſſarium, tum id nobis reuelari, tum nos etiam Chriſto ſuiſq; apoſtolis de hoc fidem præbere, ut inde animaremur ad obſeruantiam legis, qua illuc eramus perducendi. Neq; enim decuit illa nobis prius ſempiterna bona coram manifeſta luce uel ſcientia repræſentari, tum quia uiſio (ut ait Grego.)

Ioan. 1. & 3.

Cur fides ſit fũdamẽtũ.

meritum adimeret, tum præsertim, quia cum uisio ipsa sit meritorum præmium, non quidem anteire, sed subsequi debet in fine decursi stadij. Fidem ergo necessarium fuit præmitti, quæ & primum esset fundamentum nostræ a Deo recipiendæ iustitiæ, & dux deinceps recte agendi. Docuit itaque nos Christus supernaturalia ad modum naturæ. Nam ut est in analecticis, oportet addiscentem primum credere. Et ita magister Deus, Omnis, inquit, qui audit a patre, & didicit, uenit ad me. Atque ideo fidem Paul. appellauit, substantiam rerum sperandarum. Tu ergo circunspecte lector, exhinc intellige, uiam sterni ad interpretandum illud, Iustus ex fide uiuit: & similia. Sensus nanque (ut cap. postremo fusius patebit) est fidem esse fundamentum uitæ: non autem totam uitã, ut Lutherani credunt. Cum enim fuerit semper germana nobilitas libertatis plurimum, ac fidei cultrix. De utroque inuidia Satanæ deiecti sunt, ut & liberum arbitrium abnegarent, & fidei, de qua aliter depelli nequiuerant, iustam lineam transilirent: sane quam cum iniuria aliarum, itidẽ diuinarũ, uirtutum nimiũ extollerent. ¶ Est ueruntñ pretium operæ de fide & remedio in iure naturæ adnotatiunculam præmittere. Fuit nãque in omni seculo ab Adam usque præuaricante necessaria fides Dei, quæ significationem quampiã uel umbratilem haberet Christi, atque adeo trinitatis, nonnullam. Nam de fide Adæ ante peccatũ, nihil ad præsens. Verbum quippe illud Pet. Non aliud nomen est sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri, non ad hanc tãtum ætatem euangelicam refertur, sed ad seculum omne post lapsum. Quoniam nemo unquàm reconciliationis gratiam, nisi per Christum, accepit. Vnde. 2. Thimo. 1. Deus nos liberauit, & uocauit uocatione sancta, non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum, & gratiam, quæ data est nobis in Christo Iesu ante tempora secularia. Quapropter cum ante passionem exhibitam nulla poterat esse in re uirtus Christi, præter eius fidem, consequentissimum est, qđ semper fuerit necessaria. Et huius emphasim habet uerbum illud Roma. 3. Iustificati gratis per gratiam ipsius, per redẽptionem, quæ est in Christo Iesu, quẽ proposuit Deus pro-

Doctrina Christi. Ioan. 6. Germanorũ nobilitas. De fide in genere naturæ. Actu. 4. 2. Thi. 1. Rom. 3.

pitiatorem per fidem in sanguine ipsius ad ostensionem iustitiæ suæ, propter remissionem præcedentium delictorum. Et ideo detinebantur Patres in limbo expectantes solutionẽ pretij, cuius fide fuerant seruati. Eodem pertinet, ut author est Aug. Hypog. lib. 3. ditissima illa fidei soboles Hebræ. xi. quæ per omnes mundi ætates effloruit. Ea enim ratione demonstrat Apostol. fidem esse sperandarum rerum substantiam, & robur: sine qua impossibile est placere Deo, qđ accedentem ad Deum oportet credere, quia est: & requirentibus se remunerator est: non solum hoc tempore, sed fide, inquit, intelligimus aptata esse secula uerbo Dei. Cuius locupletissimum supponit exemplum ab Abel orsus & Enoch ꝑ Noe, Abrahã, & reliquos Patres discurrẽs, usq; ad oẽs prophetas: qui per fidem uicerunt regna, operati sunt iustitiam, adepti sunt repromissiones. Et ad Heb. 13. Iesus Christus heri & hodie, & ipse in secula. Hæc uerũtamen fides (ut author est. 2. 2. q. 1. S. Thom.) tametsi quantum ad substantiam, eadem fuerit semper, tamen quo ad expressionem, neq; cunctis seculis eadem fuit, neq; in aliquo tempore eadem est in singulis minoribus personis necessaria, quæ in quibuspiã primoribus. Eadẽ inq; semper est fidei substantia: qui ubi unus Deus est (ut ait Paul.) non põt nisi una esse fides. Actus uero huius fidei, ille omni æuo fuit necessarius, qui est credere, quod esset Deus, idemq; remunerator: in quorum primo membro omnia reconduntur mysteria diuinitatis, & in altero, omnia incarnati uerbi. Hęc autem progressu temporis explicata sunt: atq; eo clarius, quo propius ad ortum ipsius solis Iesu Christi domini nostri accedebatur. ubi sunt patẽtius reserata. Vnde Hebræ. xi. Iuxta fidem defuncti sunt omnes isti non acceptis repromissionibus: sed a longe eas respicientes. Viceuersa quanto nunc sumus ab eodem Christi splendore elongatiores, tãto in nobis magis elãguescit fides. ¶ Igiť in iure naturæ forsan singulis de plebe non erat alius lucis radius necessarius, quàm naturalis. Conclusionem hãc tanquàm exili iudicio meo probatiorem affirmo. Haud enim nescio locum illum Pauli, ubi philosophos incusat, quod cum Deũ cogno-

Heb. xi.

S. Tho.

Fides necessaria in omni tẽpore.

uiſſent,non illi detuliſſent diuinos honores,non ſic ab omnibus interpretari,ut cognitio naturalis ſufficiens fuiſſet ad ſalutem:ſed quod per illam poterant officijs, quæ ſupra appellauimus moraliter bona,ipſum colere.Et tunc Deus illuſtraſſet illos ſupernaturali luce,ut conuerterentur. Sunt ueruntamen, qui non iudicant aliam fuiſſe agentibus in lege naturæ neceſſariam agnitionem Dei, præter naturalem. Tametſi indiguiſſent ſpeciali eius ope mouentis uoluntatē. Et reuera in iſtorum facilius ſententiam (citra pertinaciam tamen)deſcenderem.Tunc enim non erant myſteria ulla ſupernaturalia creditu neceſſaria,ſed id tantum,ꝙ eſſet Deus, & quod idem eſſet remunerator:ad quod efficax erat acumē naturale ingenij. Vnde S. Tho.inter enarrandum illud.Gētes,quæ legem non habent,naturaliter quę legis ſunt,faciūt, aduerbium illud,naturaliter,interpretatione, quam,cum ſit ſecunda,magis uidetur probare,intelligit de cognitione naturali,quæ ſufficiebat in illo ſtatu ad ſalutem. Quamuis neceſſaria,inquit,fuerit gratia ad mouendum affectum. Verū eſt tamen.1.2.q.113.ar.4.ad.2.argumentum dixiſſe,ꝙ per cognitionem naturalem homo non conuertitur in Deum,inquantum eſt obiectum beatitudinis,& iuſtificationis cauſa: unde talis cognitio nō ſufficit ad iuſtificationem. Sed forſan loquitur modo,ubi eſt euangeliū promulgatū:uel intēdit ꝙ in iure naturæ in aliquibus præcellentibus uiris requirebat̄ cognitio ſupernaturalis,ut expoſitum eſt.Cæterū Hier.lib.1. cōmentarioꝝ epiſtolæ ad Gala.ſuper illud. Vtrum ex operibus legis ſpiritum accepiſtis? quærit utrum ſine auditione fidei ſpiritus accipi poterat in lege naturæ.Et loquēs de Cornelio ait,Nos reſpondebimus,accepiſſe quidem (ſcilicet Cornelium)eum ſpiritū:ſed ex auditu fidei,& naturali lege,quæ loquitur in cordibus noſtris,bona quæꝗ facienda, & uitanda mala,per quam dudum quoꝗ Abraham,Moſen,& cæteros ſanctos,iuſtificatos retulimus. Videt̄ ergo ſentire,lumen naturæ in illa lege,cum auxilio ſpeciali,ſufficiens fuiſſe ad ſalutem. Eſt ueruntamen intelligendum,ubi non eſſet lumen illud aliunde caligine obductum. Erant.n.ubiꝗ inter gētes omnia

S.Tho.

Hiero.

omnia plena idololatrijs, flagitijs, & uitiorum portentis, ut uix ulla esset scintilla, quæ rationem duceret in ueram notitiam naturalem Dei. At uero præter hanc naturalem notitiam, etiam in lege naturæ, in singulis ætatibus effulgebant cælitus nonnullis proceribus mysteria quædam paulo apertiora uenturi Dei: quod S. Thom. egregie adnotauit loco nuper citato. 2. 2. quæstione. 1. Vt quemadmodum Dionysius de angelicis hierarchijs philosophatur, sic & in hominibus, inferiores, superiorum ministerio erudirentur. Vnde Iob. Scio, inquit, quod redemptor meus uiuit: & in nouissimo die uidebo Deum saluatorem meum. Et Sibyllarum uaticinia commẽdatissime refert sæpenumero Aug. Et Actu. 17. refert Paul. inuenisse inscriptum aræ, ignoto Deo. Vnde causam nactus, aperire orsus est mysterium Christi. ¶ Sed nunquid aliquis erat in illo statu uel odor originalis peccati, cuius remedium aliquod infantibus adhiberent? Nam hæc, res erat supernaturalis. Negari non potest, quin ab Adam generationum successione, aliqua notitia originalis maculæ perdurasset usque ad Noe, qui multa etiam supra naturam edoctus a Deo fuit. A quo usque ad Abraham, eadem, licet sub umbra, deriuata est cognitio. Is enim peculiare recepit sacramentum circuncisionis contra originale peccatum. Postmodum uero humano iam genere fusius in orbem propagato, & disperso, præterquàm in populo Israel, non est adeo uerisimile, quod fuerit expressa eius cognitio: maxime ubi uitia cœperunt crebrescere. Tametsi apud aliquos perstiterit: ut libro priori ostendimus de Iob maledicente diei in qua natus esset, & asserente, non esse super terram, neque puerum unius diei absque peccato. Neque adeo in alijs nationibus fuit eadem notitia obliterata, quin aliquandiu permaneret uestigium aliquod, & genus forte quoddam oblationis, & quodammodo sacramenti, quo bene institutæ reipublicæ paruulos suos Deo dicarent. Quinimo ius naturæ, quàmuis nulla esset talis notitia uitiatæ originis, ut ita fieret, admonebat. Sicut enim legitur de sacerdotio Melchisedech offerentis panem & uinum, ita conijciendum est de sacrificio pro originali

Iob. 19.

Actu. 17

Dubitatio de originali.

De cōſe. d.4.cap. qđ autē. reatu. Vnde Greg. ut refertur de con ſe.d.4. Quod apud nos ualet aqua baptiſmi, hoc egit apud ueteres, uel pro paruulis ſola fides (nempe applicata per aliquod genus religionis) uel pro maioribus uirtus ſacrificij: uel pro his, qui ex Abrahę ſtirpe prodierūt, myſterium circuncißionis. Haud tamen cum illis conſenſerim, qui opinātur in ſtatu naturæ unum fuiſſe ſacramentum, abluendo originali peccato inſtitutum a Deo. Quandoquidem nulla eſt talis hiſtoria. Neq; eſt uериſimile, quod nationes diuerſæ tali communi ſacrificio uterenť omnes. Niſi forte prope tēpus Adæ uel Noe ante diſperſum genus humanū. Sed unaquæq; gens, naturali iure edocta, ſuū inſtituebat ritum. Quoniam cum illud gratiam non conferebat, ſed ſignum erat illius obumbratæ fidei Chriſti, cuius uirtute emūdatio fiebat peccati, nihil obſtabat, quo minus non a Deo immediate, ſed ab humana republica inſtitueretť. Hæc de illo ſtatu naturæ cogitaſſe ſatis ſit. De quibus cum nulla extet hiſtoria, quaſi per tranſennam iudicamus. In lege uero ſcripta lumen fidei explicatius emicuit, ſed in euangelio explicatiſſime, q̄ per ænigmaticā potuit cognitionem. At uero quemadmodum de ſtatu naturæ diximus, ita & in lege ſcripta, & in noſtra, plura tenentur explicite maiores credere, q̄ ſinguli de plebe. Vt omni ſeculo uerum habeat analogia illa

Iob.1. Iob, Boues arabant, & aſini paſcebantur iuxta illos: id eſt, ex ſapientum meditatione rude uulgus pabula ſumit.

De iuſtificatione adulti a ſolo originali. cap. 12.

Sisce præmeditatis, unde exiuimus reuertamur. Porro ut tres uarias iuſtificationis diſpoſitiones, quas, cauſas uocamus materiales, in adultis expēdamus. Primus eſt eorum ordo, qui ubi ad rationis uſq; participium adoleſcunt anteq̄ propria contrahant actualia delicta in gratiam Dei recipiūtur. Statuamus ergo hominem legitima ætate cum ſolo originali, quem Deus ad ſe trahat. Nihil modo anxij, teneatur ne, ubi primū quis uenit ad uſum rationis, conuerti, ut uult S. Tho. an uero (quod alij magis probant) poſſit aliquo tempore ſola originis labe

Primus ordo adultoꝝ.

1.Cōcīo. ſordere. In hoc peccatore primum omnium neceſſaria eſt fides: ut cap. iam proximo ſatis monſtratum eſt. In iure quidē

naturæ confusa: nunc uero in lege euãgelica expressior Christi. Et hæc fuerit hic prima conclusio. Qua de causa secundũ ecclesiæ saluberrimum institutum, cathecumeni, etiam si uoluntatem religioni præstiterint, remorandi sunt a susceptione baptismi, dum cathechizantur. Haud tamen huic de quo loquimur homini ulla est pœnitentia necessaria. Nanqȝ tantum abest, obligari quempiam ad originalis culpæ pœnitẽtiam, ut neqȝ possit. Eorum enim quæ a natura accidunt, tristitia nos quidem potest, & dolor, & uerecũdia premere: pœnitentia uero, cũ sit dimotio animi inde, ubi erat infixus, esse nequit, nisi earum rerum, quas nostra sponte fecimus. ¶ Sed tamen, ut secundam subijciamus conclusionem, neqȝ solus fidei motus sufficit eidẽ homini, qui a solo originali mundandus est: imo exigitur ab eo actus spei, & item dilectionis: qui uti cap. 7. dicebamus, non sunt necessario cõnexi, sed sua singuli libertate fiunt. Exhinc enim deuiare a uero incipiũt Lutherani. Sane ubi docent, fidem solam esse, qua misericordiã Dei apprehendimus, spem autem & charitatem subinde naturaliter consequi. Nos uero contra agnoscimus fidei motũ, primum esse necessarium, at quoniam possibile est, ut qui credit, non diligat (quemadmodum illic edisserebamus) adijcimus necessarios esse cũ illo, qui est fidei, actus præterea spei, & charitatis. Quod autem tres saltem hæ motiões sint necessariæ in eo qui rationis compos conuertitur, probatur, primo manifesta ratione. Fidem ex eo a nobis exigit Deus, ut tum spe eorum, quæ nobis pollicetur, tum maxime ob suam ipsius infinitam, quam nobis retegit bonitatem, ipsum deamemus: primũ quia omnis cognitio boni honesti ad eius amorẽ ordinatᷓ, præterea quia ratio ipsa propria fidei, quatenus est rerum sperandarum cognitio, id ipsum præse fert, quod sit suapte natura propter spem, atqȝ amorẽ Dei: fit ergo, nisi sequantur spes & charitas, ut fides non sufficiat ad salutem. Et confirmatur explicatius hæc ratio, ut iam supra insinuabamus. A uersio a Deo affectu potissimum uoluntatis fit, per hoc quod ad creaturas animo peruertimur: quemadmodum ille qui uultum auertit a sole: ergo conuersio quæ motum contrariũ dicit uoluntatis nostræ in Deum ipso tra-

[Margin notes: Cathecumeni. — Pœnitẽtia. — 2. Cõclũ — Lutherani. — Primũ argumẽtum. — Confirmatio.]

hente, nobiscum libere uenientibus, contrarius debet esse motus uoluntatis in Deum: siue ab originali solo, siue ab actualibus reconciliemur. Nam et originale per auersionem Adæ contrahimus. At quia amare sine præuia cognitione nō possumus, & ad eum diligendum quem offensum habemus antea nos oportet spe aliqua suæ benignitatis erigi, fit, ut prius fidei, mox spei, ac denique charitatis motus in nostra conuersione concurrant. Per quos quidem Deus, nobis cooperantibus, ad se conuertit, ut gratiam infundat. Igitur absque ulla

Luthe. probabilitatis specie commentatus est Luthe. sola fide apprehendi a nobis gratiam, & iustitiam, spem uero & charitatem subsequi: non animaduertens, quod conuersio designet motum, quo animum dimouemus a terrenis, & admouemus Deo. Per hoc autem, quod quis Deo credat, nisi spe & amore feratur in eum, non conuertit in ipsum totum animum: qui tamen antequàm conuertatur, non potest gratia

Dispositio ad gratiā. S. Tho. perfundi. Dispositionem enim ad gratiā optimo exemplo sapiēter explicant theologi: ut author est S. Th. 1. 2. q. 109. ar. 6. Est enim gratia uelut lumē solis, qđ nullus uultu excipit, nisi qui se in ipsum uerterit. Sed quia id nemo per se facere potest, Deus ipse nos, consentientes tamen, ad se conuertit, ut gratiam infundat. Quiquidem motus conuersionis dispositio est, & præparatio ad gratiam. Quamobrem non solum fidei, sed & spei, & charitatis actus debet saltem natura ipsam antecedere. Hac de causa in scriptura, iustificatio nostra nunc fidei, nunc spei, nunc uero charitati adscribitur. Arbi-

Rom̄. 4. tramur enim (inquit Paul.) hominem iustificari per fidem, & non ex operibus. Et gratia estis saluati per fidē, & non ex uobis. Dei. n. donum est. Atque alia hoc genus quàm plurima, quę cap. ult. cōmemorabimus. At uero ad Roma. 8. Spe ait, salui facti sumus. Et 1. Ioan. 3. Omnis qui habet hanc spem in eo (scilicet, quoniam uidebimus Deum sicuti est) sanctificat se, sicut & ille sanctus est. Sed & de charitate ait Paul. quod plenitudo legis est dilectio, & quod finis præcepti est charitas. Et expresse Ioan. Translati sumus de morte ad uitam, quoniam diligimus fratres. Et, qui non diligit, manet in morte, Et Christus ipse seruator noster. Qui diligit me, dilige-

tùra patre meo:& ad eum ueniemus,& mansionem apud eum faciemus. Hæc autem & his similia testimonia de actibus fidei,spei,& charitatis enunciantur: qua ratione nos ad gratiam præparant,suo quisq; ordine,& gradu. Mouemur enim fide in Deũ assensionem illi præbentes de ijs quæ nobis tum futura reuelauit,tum speranda promisit:spe uero,dũ ita credentes animos illuc sursum attollimus: charitate deniq;, dum ei,quem in se bonum,in nosq; propitium,ac beneficum credimus,uoluntatem nostram affigimus. His enim tribus salus nostra fundata est,sarta,& tecta. Vnde fides non tota machina,sed exordium est pietatis,& fundamentum christiani edificij:ut ait lib.de prædest.sanct. August. At charitas (ut ait Paul.) est uinculum perfectionis,atq; adeo proxima dispositio ad gratiam: ueluti nexus ipse,& nodus,quo cum Deo compingimur. Adeo, ut sapienter adnotauerit in epistola ad Paulinum August.quod cum fides donum Dei appellauerit Paul. charitatem tamen Deum ipsum nuncupauit Christus. Deus enim, inquit, charitas est, & qui manet in charitate in Deo manet,& Deus in eo. Est enim Deus in nobis sicuti anima in corpore, cui dat esse, & uiuere: nos uero in ipso uelut corpus in anima, unde salus nostra pendet: cuius coniunctionis copula est charitas. Quis ergo hæc consyderate meditatus dicat,sola nos fide gratiam Dei apprehendere? Atq; in eo maxime sensu,quo aduersarij id astruunt: scilicet,sola mentis assensione,qua uerba promissionum Dei credimus esse uera. Loca uero scripturæ, unde aduersarij nostri falsi sunt cap. 18. exposituri sumus. Nunc interim satis sit commonstrasse, fidem non solam iustificare: id est,non solam exigi a nobis ut iustificemur,uerum & spem etiam, & charitatem. Hoc enim Galathas commonefaciebat Paulus,ubi aiebat,quod in Christo Iesu, neq; circuncisio aliquid ualet,neq; præputium, sed fides,quæ per charitatem operatur. Acsi dixisset, quàmuis fides absq; charitate, fides quidem sit secundum substantiam & proprietatem, nunquàm tamen iustificat: nisi per charitatem operetur. ¶Sed erit forte,qui nobis hic obuiam occurrat. Actus illi præparatorij fidei, & spei, & chari-

Fides, exordiũ.

Deus charitas.

Sola fides.

Fides, quæ per cha.ope.

tatis, quatenus sunt gratiæ præuij, informes quidē sunt, nullamq; proinde habētes rationem meriti: fides autem quæ per charitatem operatur, est illa meritorū ferax, quæ natura subsequitur gratiam: fides ergo quæ disponendo iustificat, non est illa, quæ per charitatē operatur: uel saltem, ut aliqui sibi persuadent, prius natura iustificat, quàm per charitatem operetur.

Rñsio. At non est argumentum, propter quod debeamus negare, quin fides iustificans sit eadem, quę per charitatem operatur. Enimuero, cum ex sententia Pauli, præter hanc frugiferam fidem, actiones reliquæ nullius sint ualoris: actus uero dispositorij permagni sint momenti, & suo ordine causæ (scilicet, dispositiuæ) iustificationis, consequens fit, ut fides iustificans sit illa quæ per charitatem operatur.

Animaduertēdum. Est ergo animaduertendum, eundem prorsus ordinem inter se habere fidei, spei, & charitatis actus in eodem articulo temporis, secundum quod natura præcedunt gratiam, quo ordine infunduntur, operanturq; habitus ipsi natura sequentes eandem. Et ideo sicut fides habitu gratiæ formata meritorie operatur per charitatem, ita & actus fidei gratuito auxilio Dei elicitus prius natura per charitatis actū disponit ad gratiā. Velut per actū pœnitentiæ.

S.Tho. Vnde S.Tho.3 p.q.68.ar.2. pro confesso habet, quod ille qui per uotum baptismi in gratiam Dei recipitur, iustificatur per fidem, quæ per dilectionē operatur. Quin uero Paul. & Patres nihil discernūt de hac prioritate naturæ. Sed quia ijdem ipsi actus disponentes, quatenus statim informantur gratia, meritorij sunt gloriæ: fides ipsa dum iustificat per charitatem operatur. Ex hac ergo fallacia procedebat argumentum, qua quis deceptus putaret aliquod esse instans, in quo actus fidei, qui proxima est gratiæ præparatio, inueniatur absq; gratia: quod tamen denegandum est. Quoniam prioritas naturæ (ut physicorum uerbis utamur) nihil aliud est, quàm si dicas, quia homo actibus fidei, spei, & charitatis conuertitur in Deum, recipit gratiam, qua ijdem actus informantur: ut cap.adhuc.14. peramplius explicatur.

Aug. Vnde Aug. tum alias ubicunq; de fide iustificante loquitur, tum ex professo de spir. & lite. cap.32. eidem fidei per dilectionem operāti, cui adscribit laudes omnes, quæ de

fide extant apud Paul. adscribit etiam iustificationis munus. Hæc est enim, inquit, fides, qua salui fiunt, quibus dicit, Gratia salui facti estis per fidem, & hoc non ex uobis. Ipsius enim sumus figmentum creati in Christo Iesu in operibus bonis. Postremo hæc fides est, quæ per dilectionem operatur. Et Hypog. lib. 3. ubi enarrat catalogum eorum, quos Paul. fide saluos cõmemorat, ait, nõ solũ fide, sed gratia: quia nec sine fide gratia, nec gratia sine fide: dicẽte Ap[l]õ ad Thimo. Supabundauit aũt gratia cum fide & dilectione, quæ est in Christo Iesu. Et expresse de fide, & ope. cap. 14. ait, quod ubicũq; Paul. dicit, per fidem nos iustificari, salubrem illam, & euangelicam diffinit, cuius opera ex dilectiõe procedunt: & fides, inquit, quæ per dilectionem operatur. Quin uero nullo opus habet expositore Paul. Cum enim fide antiqui per circuncisionem applicata iustificarentur, docet idem in nobis efficere fidem quæ per charitatem operatur. Vnde ait. Quoniam si circuncidimini Christus uobis nihil p̄derit. Et paulo inferius. Nã in Christo Iesu, neq; circuncisio aliquid ualet, neq; præputiũ: sed fides quæ per charitatem operatur. De illa ergo fide iustificante loquebatur, ubi ait, non iustificare, nisi dum per charitatem operatur. Qua de causa Aug. cap. 13. Huius inquit, fidei per charitatem operãtis, omnes christiani filij sumus ceu ab illa progeniti. Igitur adeo sancta esse debet catholicis confessio hæc, q[d] nostra iustitia est, FIDES QVAE PER CHARITATEM OPERATVR, ut de uerbis istis inter nos & Lutheranos nulla sit discordia, sed de re ipsa & sensu. Atq; hoc est thema, quod hoc libro denarrandum proposuimus, hicq; præsens locus, ubi explicatur punctum discordiæ. Illi.n. aiũt, sola fide, ut est assensio, & persuasio mentis, credentiũ uerbũ promissionis Christi esse uerum, percipi misericordiã & gratiam, quam gratiã sequitur charitas operans. Quare licet uerbo dicant, iustificari hominem fide quæ per charitatem operatur, re nihilominus dicunt, fide prius natura quàm actus spei & charitatis accedant, iustitiam haberi. Nos autem sentẽtiam Paul. confitentes, & uenerantes, profitemur actibus fidei, spei, & charitatis libere a Deo trahi, ad ipsumq; conuerti a quo gratiam iustificationis recipiamus. ¶ At uero, quo ad

Augus. oẽs filij fidei.

Discordia inter nos & Luthe.

nostrum hominem regrediamur, qui sola infectus originis tabe reconciliari cupit: cum plures sint actus charitatis, hic illi proprie necessarius est, ut Deo se soli colẽdo addicat: cuius mandata, uniuersis posthabitis mundi rebus, obseruare proponat. Quæ quidem dispositio sufficiens erat in lege naturę, per quam Deus hominem ab originali mundatum in gratiam suam reciperet. Attamen in lege iam nunc euangelica, necessarium insuper est uotum baptismi: quin & baptismus ipse, ubi adsit facultas. Etenim ut inter enarrandum causas iustificationis supra dicebamus, sacramenta sunt instrumentales causæ, per quas prouidentissime Christus instituit applicari nobis sui sanguinis pretium, ad diuersos usus spiritualis uitæ. Sane ut nunq̃ nobis memoria excideret, inde ab ipso deriuari ad nos omnem iustitiam. Vnde sacrosanctum mysterium instituens eucharistiæ, Hæc inquit, facite in meã commemorationẽ. Inter effectus autem spiritualis uitæ primus est regeneratio, qua efficimur membra Christi, & protestatio christianæ fidei: quorũ uterq; est a sacramento baptismi. Nã nisi quis, inquit, renatus fuerit ex aqua, & spiritu sancto, non intrabit in regnum cælorum. Et, Qui crediderit, & baptizatus fuerit (scilicet in protestationẽ eiusdem fidei) saluus erit. Quare, ut loco citato dicebamus, pestilens est error Lutheri, dicentis, non sacramẽto, sed fide quam habemus dictis Christi iustificari.

Sacramẽti uotum.

¶ An uero baptismus in uoto sufficiat olim fuit in ecclesia dubitatũ. Quam Magister sen. quæstionem disputãs in. 4. d. 4. affirmatiuam partem indubitato tenet. Sunt nihilosecius, quos iam nunc in concilio sic submurmurare de hac re audiuimus. In euangelio nihil de uoto scriptum est: sed de re baptismi, Nisi quis renatus fuerit: non est ergo res certa, ullum esse propositũ & uoluntatem, quę absq; baptismo sufficiat ad salutem. Hi ueruntamen uel ex usu ecclesiæ rem satis debuissent habere persuasam. Si enim uotũ absq; re baptismi non sufficit, non deberet, quinimo nõ posset ecclesia arcere cathecumenos a sacramento: sed cumprimum quis postularet, iure diuino absq; mora conferendum esset: quia ecclesia non potest effectum diuinæ misericordiæ remorari. Cum autem saluberrime differt petenti, certissima est, quod

est, quod apud Deum uoluntas pro facto reputatur. Etenim ut habetur. 1. Regum. 16. non ut homo ea tantum uidet, quæ apparent, sed cor penitissime intuetur, atque adeo recipit. Et Ezechiel. 18. et. 33. Cum auerterit se impius ab impietate sua, quã operatus est, & fecerit iudicium, & iustitiam, ipse animã suam uiuificabit. Et sensus est, in quocunque momento. Imo secundum quod Aug. sæpe citat. In quacunque hora ingemuerit peccator, iniquitatum eius nõ recordabor. Et Dauid, Dixi confitebor aduersum me iniustitiam meam domino, & tu remisisti impietatem peccati mei. Quinetiam si scriptura id non attestaretur, lumen ipsum naturale id nos de Deo patefaceret, quod ubi non adest rerũ possibilitas, ex nulla re mundi, præter ipsum & nos ipsos, uoluerit gratiam suam dependere. Unde Paul. 2. Cor. 8. Si uoluntas, inquit, prompta est, secundum id quod habet, accepta est, nõ secundum id, quod non habet. Et ad rem nostram proxime ad Roma. 2. Non, inquit, qui in manifesto Iudæus est, neque quæ in manifesto in carne est circuncisio, sed qui in abscondito Iudæus est, & circuncisio cordis in spiritu, non litera: cuius laus non ex hominibus, sed ex Deo est. Ergo quàmuis in euangelio nihil exprimatur de uoto baptismi, manifestum per se est, quod ubi res ipsa non est possibilis, uel iure differtur, uoluntas habet effectum respectu gratiæ iustificantis. Quocirca Ambros. de Valentiniano. Quem regeneraturus, inquit, eram, amisi. Veruntamen ipse gratiam, quam poposcit, non amisit. Et August. super Leuiticum. 84. Inuisibilis, inquit, sanctificatio nonnullis adfuit, & profuit sine uisibilibus sacramentis. Et subdit exemplum in Cornelio. De quo ait, quod ipse, & qui cum eo erant, cum iam inuisibiliter infuso sancto spiritu sanctificati apparerent, baptizati sunt tamen. Et in expositione inchoata super epistola ad Roma. expresse idem affirmat, quod Cornelius spiritum sanctum antequàm baptizaretur accepit: ut ex textu etiam Actuũ. x. colligitur. Porro & Paulus, & Eunuchus Candacis reginæ, & eorum multi, qui baptizantur adulti, uerisimile est tales uenire ad baptismum, ut iam gratiam receperint. Quàmuis & sæpe baptismus ipse primam ipse gratiam con-

Scripturæ testimonia.

Ratio naturalis.

2. Cor. 8.

Rom. 2.

Ambro.

Aug.

Synod. Triden. ferat. Et idem determinauit sancta Syno. sess. 6. cap. 4. ubi ait, sufficere uotum baptismi, & cap. 6. ubi ait, sufficere propositum suscipiendi baptismum. Ad illud autem, quod habet de eccles. dogma. cap. 74. scilicet, nullum cathecumenum quis in bonis operibus defunctum, uitam æternam habere: excepto martyrio, ubi tota baptismi sacramenta complentur, respondent theologi (ut cernere est apud S. Tho. 3. p. q. 68. art. 2.) quod intelligitur de his qui super originale actualia etiã peccata cumularunt. Neq; simpliciter negatur, illos consequi uitam æternam, sed quod statim illuc euolent, uti martyres, aut illi qui in re susceperunt baptismum. Quoniam sacramẽtum, nisi re ipsa susceptum, non remittit omnem pœnam: illi autem quia fide iustificantur per charitatem operante, saluabuntur quidem: sed per purgatorium ignem. Nisi & peccata mortalia non fuissent adeo grauia, uel cõtritio tanta, ut pœnas ẽt oẽs lueret. De paruulis aũt alia est rõ quia ipsi non possunt baptismũ suscipere in uoto: ut cap. ꝓximo dissserebamus. Et est sentẽtia Magistri loco citato.

Rñsio de cathecu.

De ignorantibus euãgeliũ

¶ Postremũ utiq; reliquũ est dubiũ de illo qui hoc iã tẽpore euãgelico in ultimis insulis, ubi lex euangelica ignorat̃, iure usus optime naturali cõuerteret̃ in Deũ. Vtrũ ne ille absq; ullo uoto baptismi saluus fieret? Ad hanc ut respondeam interrogationem, primũ nihil ambigerim, esse nunc natiões aliquas, quibus est inuincibilis ignorantia baptismi. Nẽpe, quod forte nunquàm ibi fuerit prædicatum euangeliũ. Nam illud. In omnem terram exiuit sonus eorũ, cum sit prophetia, non gerit intus sensum, quẽ præ se fert, de præterito: sed quod ante consummationẽ mundi prædicabitur euangeliũ regni in uniuerso orbe: ut habetur Math. 24. Et quàmuis iam fuerit omnino hoc cõpletum, ut Aug. alicubi uidetur sentire, nihilosecius unde a trecentis uel quingentis annis christiana prorsus religio dispeṙijt, certe ibi quàmuis in principio ignorantia fuerit crassa et peccatum, tamẽ iam modo perinde habent mortales illi, acsi nunquàm illuc usq; euulgatum fuisset euangeliũ. Dico ignorantiam esse inuincibilem, si immediate referatur ad euangelium: ueluti ait Paul. Quomodo inuocabunt, in quem nõ crediderunt: aut quomodo credent ei, quem non audierũt: quo-

Prima cõclusio.

Rom. 10

modo autem audient sine prædicante? Quamuis ignorãtia sua ex eo remote non careat culpa, quod quæuis gentium re cte seruassent ius naturæ, non diu desererentur, quo minus Deus illis prospiceret: mittẽdo a quibus possent doceri fidẽ. Hac autem supposita ueritate de ignorantia inuincibili, secunda etiam est certa cõclusio, quod quicũq; in eiusmodi re- 2. Cõclo gionibus conuerteretur in Deum, eo modo quo ante natum Christum, reciperet protinus gratiam Quoniam Deus præsto est manum porrigere cuicunq; petenti: alias homo non solum sine sua culpa, sed optatissimã etiam habens amicitiã Dei, destitueretur eius auxilio, quo illa posset potiri: quod re uera christianæ aures exhorrerent. Neq; ulla fulcitur probabilitate, quod aliqui effingunt, puta, quod Deus angelum de repente mitteret eiusmodi homini, aut alio quouis miraculo erudiret eũ de fide Christi. Derogat enim hoc prouidẽtiæ diuinæ, quæ sine nouis miraculis gubernat iam ecclesiã. Hoc uero tertium sub iudice est inter doctores. Pleriq; enim sunt qui dicunt, eum qui prædicto modo reciperet gratiam, nunquàm permittendũ fore de uita decedere, antequàm fides illi Christi innotesceret: uel per prædicatores, uel alia uia. Propterea, quod ut habetur Actu. 4. nõ est aliud nomen sub Actu. 4. cælo, in quo oporteat nos saluos fieri: salui autem tum perfecte sumus, cum ad gloriam admittimur. Neq; uero ego opinionem istam auersari uolo: tametsi, ut uerum dixerim, hanc necessitatem non prorsus uiderim. Quoniam uerbum illud Actu. 4. non tantum intelligitur in lege euãgelica, sed etiam in lege naturæ: ut nos paulo ante dicebamus Et S. Tho. loco proxime citato. 3 p. q. 68. ar. 1. expresse affirmat, ubi ait, quod etiã in lege naturæ nullus fiebat saluus, nisi in nomine Christi: citans eũdem locum scripturæ. Et ideo posset quis forsan dicere, quod ille locus diuersimode adaptandus est diuersis mortalium conditionibus. Nempe, quod ubicunq; nunc diuulgatum est euangeliũ, nemo seruatur nisi in nomine Christi expresse inuocato, & confesso. Sed tamẽ sicubi laboratur ignorantia eius inuincibili, ibidẽ iustificatio, atq; ẽt glorificatio fit per eius fidem implicitam: sicuti ante euangelium sufficienter promulgatum omnes fatentur. Et sic non opus esset

appellare ad miraculum hoc, quod qui in abditissimis orbis angulis conuertuntur, non permittentur mori, quoad uel illuc usque notitia fidei perlata fuerit, uel illi ad nos commigrauerint. Præsertim, quod salutis nomine non solum uenit receptio ad gloriam, sed certe reconciliatio etiam in gratiam. Et ideo si propter illud uerbum Petri negandum est quenque decedere in gratia absque notitia Christi, profecto uidetur sequenter quoque negãdum, quod admittatur ad gratiam. Hoc dixerim non asserendo, sed hæsitando, ubi contra non uideo uel testimonium apertum scripturæ, uel cuiuspiam sanctorũ patrum: paratissimus tamen non ab ecclesia modo, uerum a quocunque melius sentiente corrigi.

De adultorum iustificatione ab actualibus. cap. 13.

IN tertio ordine sunt adulti, qui ab originali una cũ actuali ueniunt ad fidem Christi. Sane in quibus eędem sunt prorsus dispositiones necessariæ, quæ in homine nunc proxime descripto requiruntur: utpote, actus fidei, spei, & charitatis. Nisi quod ista charitatis motio alia ab istis delictoribus exigitur, quàm ab illo qui nullum contraxerat actuale delictum. Est enim illis necessaria pœnitentia, quæ actus est etiã dilectionis Dei: contra quem fuerat commissum peccatum. Nõ inquàm præter actum charitatis alter pœnitentiæ requiritur: ut cum in superiori iustificatione requisiti fuerint actus tres, hic adijciamus quartum. Quia in nulla reconciliatione necessarius est, nisi unicus actus charitatis: sed tamẽ ille, in diuersis, diuersus. Ratio prima conclusionis huius, illa plane est, quam cap. 1. ex rerum natura deducebam. Est enim naturale ius gentibus uniuersis per se notissimum, ut nemo in amicitiam eius redeat cui offensionem intulit, nisi eum facti pœnituerit. Cum ergo Deus perfectior sit naturæ, in quacunque lege uoluit idem erga se esse obseruatissimum. Iuxta illud Ecclesiastici. 12. Altissimus odio habet peccatores, & misertus est pœnitentibus. Et cap. 17. Pœnitentibus dedit uiam iustitiæ. Neque alia extitit Deo causa illius tremendi cogitatus, Pœnitet me fecisse

Pœnitẽtia necessaria.

Ratio prima.

Eccli. 12.

Gen. 6.

hominem, quàm quod flagitiosissimum illud genus hominum impœnitens esset. Si enim per pœnitentiam crimina sua delecta curassent, nunquàm ipsos Deus deleuisset a facie terræ. Atqui utraque sacra pagina huius testimonijs dispersa est Hieremiæ. 18. Si pœnitentiam egerit gens illa, a malo suo, quod locutus sum aduersus illam, agam & ipse pœnitentiam. Et Ezechielis. 18. &. 33. Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, & custodierit omnia præcepta mea, & fecerit iudicium, & iustitiam, uita uiuet, & non morietur, omnium iniquitatum eius quas operatus est, non recordabor. Plura sunt, uulgatioraque testimonia ueteris legis (ut in strato Dauid, lachrymis pœnitentiæ die ac nocte rigato, in sacco & cinere Niniuitarum: & alijs id genus pœnitentiæ insignibus) quàm ut opus huc sit cuncta coaceruare. Sed & Ioannes, quem Deus angelum in mundum præmiserat præparatum uias Christi, inde præconium ueritatis orsus est, ut pœnitentiam agerent, quos in figuram euangelici baptismi aquis Iordanis tingebat. Idemque prothema suæ prædicationis accepit Christus ipse dominus noster. Nempe, Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cælorum. Apertissime nimirum docens, uirtutem sanguinis eius (quod nomine regni cælorum designabat) neque per sacramentum quodpiam, neque ulla quauis alia uia in quenquàm mortalium, qui propria uoluntate deliquisset, diffusum iri, nisi delecto per pœnitentiam peccato, quod est diuinæ gratiæ inimicum. Idque deinceps fuit apostolorum institutum. Vnde Actuum. 2. sciscitantibus Iudæis corde compunctis, Quid faciemus uiri fratres? Respondit Petrus. Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque uestrum in nomine Iesu Christi in remissionem peccatorum uestrorum: & accipietis donum spiritussancti. Ex prædicatione ergo Baptistæ, & ex his uerbis Petri clare liquet pœnitentiam esse necessariam, non solum peccatorum, quæ post baptismum patrata, confessionis sacramento sunt remittenda, uerum eorum quæ sine confessione abstergenda sunt in baptismo. ¶ Cuius causas subscribit S. Thom. 3. p. quæstione. 68. articulo. 4.

Hiere.18
Eze.18. &.33.
Matth.3
Actu. 2.
S.Tho.

Primū ex uulgato illo Augustini, Qui creauit te sine te, nō iustificabit te sine te: Vbi aliqua designatur necessaria cooperatio, qua se peccator disponat per pœnitētiā. Deinde, quod per baptismum efficitur homo membrū Christi: secundum illud ad Gal. 3. Quicunque in Christo baptizati estis, Christum induistis: talis autem regenerationis omnis iniquitas est impedimentum: nam quæ participatio iustitiæ (ut ait Aposto.) cum iniquitate? Vnde Aug. in lib. de pœnitentia, cap. 2. de

Aug. eisdem ipsis, qui ad baptismum accedūt, enunciat, quod nullus uoluntatis suæ arbiter constitutus, cum accedit ad sacramētum fidelium (scilicet baptismum) pōt uitam nouam in-

2. argū. choare, nisi eum ueteris uitæ pœniteat. Præterea sacramentū baptismi institutum est ad abstergendum peccatum: qui autē aduertit se in peccatis esse, neque uero animo illa respuit, is, si non in forma, saltem in uirtute retinet: & ideo obicem opponit effectui sacramenti: quod proinde ecclesia non debet illi cōferre, ne sit in eo falsitas. Cōsepelimur enim, ut ait Paul. per baptismum cum Christo, ubi moriendū idcirco nobis est peccatis, quæ tamen sola displicentia perimuntur: sicuti complacentia perpetrantur. Vnde ar. 6. eiusdem q. repetit S. Th. quod ante baptismum licet, non sacerdoti, saltem Deo tenetur homo sua peccata recogitando cum dolore confiteri. ¶ At uero, ut de ambobus simul commodius, luculentiusque disputemus. Quartus denique ac postremus gradus iustificandorum, est illorum, qui a gratia baptismatis relapsi, misericordia Dei, nisi in finem desipuerint, resipiscūt. In quibus eædē ferme ipsæ dispositiones, quæ in illis de quibus modo dicebamus, præire debent gratiæ iustificanti, uel proportione similes. Primum enim requiritur actus fidei, & spei. Licet cū christianus in peccatis habitus huiusmodi habeat informes, forsā non necesse habet semper nouo auxilio ad eliciendos actus: eo tunc dum conuertitur: uti sumus quàmprimū dicturi. Est tamē semper necessarius charitatis actus ex auxilio Dei qui proxima est dispositio. Actus tamen iste charitatis respectū debet habere ad peccatum, ut sit etiam actus pœnitētiæ: pœnitere. n. diuinæ offensæ actus est charitatis. De qua re pręter

Quartus ordo iustificādorum.

Lucæ. 13 illa quæ adducta sunt, est etiā sententia Christi Lucæ. 13. Nisi

pœnitentiam habueritis, omnes ſimul peribitis. Et cap.ult. Oportebat Chriſtum pati,& reſurgere a mortuis,& prædicari in nomine eius pœnitentiam,& remiſſionem peccatorum in omnes gentes. Vnde & Pet.non ſolũ baptizandis,ſed mago etiam Symoni baptizato,Pœnitẽtiam,inquit,age ab hac nequitia tua,& roga Deum,ſi forte remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui. Tandem,ut tribus præcedẽtibus generibus peccatorum neceſſarium diximus eſſe baptiſmũ,ita huic neceſſarium eſt pœnitentiæ ſacramentũ. Etenim ut baptiſmus integra nauis eſt ad ſeruandũ inter fluctus huius ſeculi innocentiam,ita & pœnitẽtia ſecunda eſt tabula poſt naufragiũ, ut Tertullianus primum lib. de pœniten. & ſuper Danielem poſtea Hierony. authores ſunt. ¶ De hac autem pœninitentiæ diſpoſitione paulo eſt limatius diſſerẽdum. Et quidem contra Lutheranos abũde iam ſupra diximus. Tria.n. præter alia illis ſunt lubrica loca,ex quibus in hunc proruũt errorem,ut huiuſmodi diſpoſitiones repellant.Primus,quod omnia opera per naturæ facultatẽ,& generalem Dei influẽtiam a nobis exhibita,ceu peccata condemnant.Quod & in calce ſuperioris libri,& ſequenter in capite ſecundi huius pro noſtro ingenio expugnauimus. Secũda erroris ſui cauſa eſt, quod uel non conſyderant,uel non recipiunt, diſpoſitiones ad gratiam non eſſe ſolius noſtri arbitrij opera, ſed Dei nobis peculiari fauore opitulantis.In qua fallacia circunuoluitur Luthe.arti.6.ſuarum aſſertionum. Nempe,quod uti Pelagiani ita nos nobis arrogemus diſpoſitionem,quæ ſit meritum gratiæ. Vtrunq; nos tamen paulo ante commonſtrauimus.Sane,& quod diſpoſitiones nõ noſtra præciſe, ſed Dei ſint opera nobis ſingulariter ſuccurrentis: & quod nulla ratione,qua gratiam pręcedunt,ſunt meritoria.Quod ſi aliqui dicunt, illa eſſe nonnulla merita, impropriſſime id tamen. Tertia deluſio iſtorum eſt,ſaltem Lutheri, art.7.Quod nullus eſt neceſſarius actus charitatis in conuerſione, qui feratur in peccata,& ſit deteſtatio retroactæ uitæ. Sed optima, inquit,pœnitentia,noua uita. Atq; ex his demum conficiũt ſola nos fide iuſtificari. Docentes,quod quicunq; fidem adhibuerit dictis Chriſti,pollicentis nobis remiſſionem pecca-

2.tabula poſt naufragiũ.

Tria Lutheranis errandi principia.

torum, atque ita crediderit, ut certo fidat sibi nunc peccata cõdonari, misericordiam Dei, & gratiam tali eum fide extemplo recipere. Non quod eadem fides aliquo modo sit uel dispositio uel meritum, sed quod per eam applicẽt nobis misericordia, & passio christi modo cap.5.et.xi.exposito. Quod quidem figmentum adeo est multiiugum, ut necessarium illud nobis fuerit per diuersa capitula membratim discerpere. His ergo, quæ dispersim hactenus contra hanc solam fidem coniectati sumus, colophonem tandem adhibeamus. Primum, quod aiunt, nulla opus esse erratorum pœnitentia, id iam apertissimis scripturæ testimonijs, & rationibus naturalibus supra reprobatum est. ¶ Sed pondera suorum argumẽtorum libremus. Ait Luthe. nouam uitam optimam esse pœnitentiam. Nam metanœa, inquit, quam nos resipiscentiam appellamus, hoc tantum significat, quod est transmentatio: id est, mentis mutatio: quæ uox solum præ se fert, ut qui propositum hactenus malum habuit, in futurum habeat bonũ: nulla habita ratione præteritorum pœnitudinis. Secundum illud Pauli ad Gala. 6. In Christo Iesu, neque circuncisio, neque præputium aliquid ualent, sed noua creatura. At uero, ut totum hoc illi donemus, quod ait de uoce metanœa, & de nouitate uitæ, hoc pro nobis apertius, quã cõtra facit. Nam nouũ hominem nemo prius induit, quã præteritum exuerit: secundũ illud Pauli. Expurgate uetus fermentum, ut sitis noua conspersio. Et ad Roma. Abijciamus ergo opera tenebrarum, et induamur arma lucis. Et ad Ephes. Veritas est in Iesu, deponere uos secundum pristinam conuersationem ueterem hominem: qui corrumpitur secundum desideria erroris. Et subnectit. Renouamini autem spiritu mentis uestræ, & induite nouum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia: exuere autem ueterem hominem, & deponere ueterem conuersationem, non fit nisi per detestationem prioris uitæ: renouari ergo in nouam uitam utrũque terminum dicit: scilicet, & a quo (ut philosophi loquuntur) & ad quem. Et ideo nisi animum quis a peccatis dimouerit per contrariam uoluntatis motionem, quàm fuerãt commissa, non renouat uitam: neque iuxta uerbum Pauli, fit noua creatura. At uero

Luthe. Metanœa.

Refutatio.

1.Cor.5.

pro uerbiũ

prouerbium illud, quod uera pœnitētia est noua uita, aduersus illos profert, qui cum crebro bonū concipiunt propositum, pœnitentiamque inceptēt, identidē relabunt. Admonemur.n. illo dicto, tunc nostrū propositū firmas iecisse radices, quādo fructus fecerit nouę uitæ. Neque uerbū metanœa aliud equidē designat. Nā trāsmentatio respectū quoque insinuat præteriti. Nimirū quod ex abominatione anteacti mali, mentē uertamus in bonū. Vnde et Metanœa poetis ipsis dea erat pœnitentiæ præteritorum. Vt in Ausoniano illo carmine est uidere. Sū dea cui nomen nec Cicero ipse dedit. Sum dea quæ facti, non facti que exigo pœnas: nempe ut pœniteat, sic metanœa uocor.

¶ Cōtra illud aūt, quod sola fide, misericordiam dei apprehēdamus, neque tamē per modū, uel dispositiōis uel meriti, primū argumētum est, quod nō est uel explicatu, uel intellectu possibile, quo pacto fide, uel quauis actiōe nostra, pręsertim, quā a nobis Deus requirit gratia nobis infundatur, & misericordia applicetur, nisi uel per modū dispositiōis (quod nos dicimus respectu primę gratiæ) uel per modum meriti, quod fit in eius augmēto. Tertius, profecto modus, neque excogitabilis ē. Etenim nisi actio nostra dispositio esset, ut quid deus uteretur ea ad effundēdū in nos benignitatē suā. Est enim iam nobis locis compluribus constitutum, actum illum fidei libere a nobis produci præueniente speciali auxilio dei. Quod si ita est, monere, mouereque illud Dei, ut in ipsum credamus, & ita credentes secum reconciliemur, quid aliud est quàm nos ad gratiā disponere? uidelicet ad se conuertere (quod iampridem exponebam) ut gratia suffundamur? Vel explicent nobis, quid aliud est, fide nobis misericordiam applicari. Hinc protinus gradus facilime fit, ut demonstretur, solam fidem non esse totam dispositionē. Nanque secundū suam substātiam solum dicit assensionē intellectus, qua firmissime credimus, tā ea quæ nobis deus reuelauit, uerissima eē, quam etiā et illa certissima, quę nobis pollicitur. At inter ea quę nobis reuelauit, illud firmissimū est, ut quotquot pœnitētiā nō habuerint pereāt. Pręter alia hmōi testimonia scripturæ quam plurima. Neque tamen simpliciter nobis spopōdit remissionē peccatorum, sed illa cōditione, si pœnitentiā egerimus. Etenim si pœnitētiā, inquit, Pro-

pheta, egerit gens illa, agã & ipse pœnitentiã. Et Christus dominus. Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnũ cælorum. Ergo non satis est fidem adhibere Christo, nisi illa faciamus, quæ fides ipsa nobis ostẽdit. Neq; aliter fidere illi certo possumus, promittenti nobis ueniam, q̃ si nos præparauerimus per pœnitentiam: seu ut tutius loquamur assensum ei prębuerimus, operanti cooperantes: siquidem imparatis nihil est pollicitus. Fit ergo manifeste, ut nõ sola fide, sed & spe, & charitate, atq; adeo, ubi adsunt actualia peccata, actiõe pœnitentiæ disponamur, moueamurq; in Deum. Vt hic etiamnum, præter alios, legitimus sit sensus illius euangelij, Cũ uenerit ille, arguet mundum de peccato: nempe, quod alias nõ pateat diuino flamini uia, qua se ad pectora nostra insinuet, quàm re iarguendo nostra delicta. Eius enim afflatu assensuq; nostro, iuxta Baptistæ admonitionẽ, peccatorũ tumores demolimur, atq; rectas, planasq; uias aduentanti Deo sternimus.

Nõ sola fide.

Cauillus Luthe.

¶Sed aiunt ex fide eodẽ cõtinuo momento naturaliter cõsequi spem, & charitatẽ. Hoc tamen suum uerborũ obtendiculum iam supra reuelauimus. Nõ enim ita aiunt, spem, & charitatẽ comitari fidem, ut oẽs requirant̃ ad recipiendã gratiam, sed quod fidem sequitur gratia, & gratiam spes & charitas. Quocirca semper retinent, quòd sola fide iustificemur. Nos autem qui eas catholice cõfitemur, requisitas esse prius natura, quàm gratia infundatur, iam supra satis commonstrauimus, non esse necessario consequentem charitatem ex fide. Sed neq; si id gratis largiamur, ulla profecto probabilitate conficient, solã esse fidem, qua iustificamur. Enimuero officium ipsius nõ requiritur, nisi rõne actus charitatis: quia non possumus ignotum amare. Vt enim in suum nos Deus amorẽ alliceret, reuelauit nobis speranda. Quare licet actus fidei sit primus, tamen præparatio ad gratiã non perficitur nisi per actum charitatis. Si ergo fides nunquàm ante iustificat, quàm per charitatem operetur, ut iampridẽ dicebamus, cur illi soli, etiam si naturali consecutione comitaretur charitas, tribuitur iustificatio, & nõ ẽt, imo potius charitati.

Postremũ argumentũ.

¶Ad hæc (quod postremũ hic argumentum est) fiducia illa, quã isti appellant fidem, quàmuis partim nascatur ex fide, quam

Deo sponsori damus: maxime tñ augetur, & cõstabilitur ex charitate, & bonis operibus. Et ideo si bene perspicerent, sua illa firmissima fiducia non est, qua iustificamur, sed præsupponit potius, iam nos fide p charitatem operãte iustificatos. Hoc enim designat Paul. ubi post illud uerbum, Iustificati ergo ex fide (scilicet per charitatem operante) pacem habeamus, statim subdit, Habemus accessum per fidem in gratiam istam, in qua stamus, & gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei. Quasi firmissima spes ex charitate procedat. Imo propterea de charitate enunciat ad Cor. quod omnia credit, & omnia sperat, quod cæterarum uirtutum habitus ipsa nutrit, & corroborat. Et hoc est, quod August. in enchiridio, cap. 8. significat, ubi ait, quod sicut amor non est sine spe, ita nec sine amore spes: nempe illa, qua ex operibus per gratiam Dei factis speramus uitam æternã. Et super psal. 31. Ipsa, inquit, charitas bene operantis, dat nobis spem bonæ conscientiæ. ¶ Attamen ut Lutherũ iam missum aliquando faciamus, eius postea discipuli demirandi sunt, qui non uideãt, ut iam de hac re conuicti idem prorsus nobiscum sentiant, et tamen solo diuerso nomine antiquum pallientes errorẽ, persuadere suis populis pertendunt, se pseueranter euangelicos, nos uero Pelagianos esse pertinaces. Enimuero in confessione augustana, ar. 4. expressis, replicatisq; uerbis fatentur requiri pœnitẽtiam ad iustificationẽ, licet gratiã dicant gratis donari: hoc est, nõ pendere ex cõditiõe dignitatis nostræ, nec dari ppter ulla præcedẽtia opera, aut dignitatẽ sequentiũ. Et in Apologia Melanthõ. Fides, inquit, de qua loquimur existit in pœnitẽtia: hoc est, cõcipit in terroribus consciẽtiæ, quę sentit irã Dei aduersus nostra peccata. Propterea enim aiunt prædicationem euangelij inchoari a pœnitẽtia, ut perterrefactæ mentes confugiant ad fidem. Admittunt ergo pœnitentiã omnino requiri ab illo qui fide est iustificãdus, atq; adeo impœnitentem nũquàm fide iustificari posse. Quo ergo differunt a nobis confitentibus dispositionem ad gratiam? For san quia terrores oẽs illos censent ante gratiã esse peccata: qđ nos tamen crebro ante confutauimus: non solum quia etiam sine auxilio speciali timere malũ bonum morale est, sed quod

[Margin notes: Rom. 5. — Aug. — Cõfessio Aug. — Admittunt pœnit.]

actio illa, quæ proprie & proxima est dispositio, per auxiliũ speciale fit: & ideo peccatum non est. Et quanquàm forte ante isti auxilium speciale non agnouerint, iam tamen compulsi sunt palam fateri, ut cernere est in libello imperatorio Ratisponensi arti. 5. Cuius uerba sunt. Perspicuum est, quod adulti non consequuntur hæc beneficia Christi, nisi præueniente motu spiritussancti, quo eorum mens, & uolũtas mouetur ad detestationem peccati. Et subijciunt authoritatem euangelij, & Augustini. In quorum uerborum enarratione Bucer. Adulti, inquit, hæc Christi beneficia non consequuntur, nisi præueniẽte motu spiritussancti, quo eorum mens, & uoluntas moueatur ad detestationem peccati. Nam omnino salutaris peccatorum pœnitentia, quam necesse est, si non tempore, natura tamẽ iustificationi in nobis perfecte præire, excitari in nobis, nisi per spiritum sanctum non potest. Nun quid uerba hæc sunt, quibus S. Tho & doctores nostri utuntur? Igitur in re nullum est interuallũ, nisi quod nos illos pręuios motus, licet non merita, dispositiones tamen significanter appellamus: illi uero uerbotenus negant. Sed locum hũc prouidens lector memorię cõmendato. Nam ex hac pœnitẽtia, quam iam necessariã confitentur, ualidissimum conficiendum nobis est argumentũ li. 3. cap. 10. cõtra suam certitudinẽ gratiæ. Nunc autem satis est constituisse locum hunc dispositionũ non solum ex ipsis ueritatis principijs, sed ex aduersariorũ etiam datis, & assertis. ¶ Id deniq; in calce ex ista disputatiõe colligendũ est, quod iussus de hac re dicere in S. Synodo præfatus sum. Nempe, quod non satis Lutheranis cõtradicitur, si pronuncietur, spem, & charitatẽ coire cum fide in articulo iustificationis. Nam id plus æquo ipsi largiuntur: tantũ abest, ut negent. Aiunt. n. ut sæpissime adnotauimus, gratiã, quę sola fide apprehenditur, subsequi protinus spem, et charitatem. Et ideo Melanthon in apologia utrũq; dicit. Primũ q; fides non solũ est principium, & exordiũ, ut nos dicimus, sed quod proprie ac uere ipsa sola fide propter Christũ iusti reputamur. Et paulo post. Impossibile est dilectionẽ Dei diuellere a fide. Punctũ uero contradictiõis, hoc est, qđ quemadmodũ actus fidei informis, saltẽ natura, antecedit gratiã,

Libellus Ratis. de auxilio speciali.

Bucer.

S. Tho.

Synod. Triden.

Punctũ cõtradictionis Lutheranorum.

ita necesse est antecedant actus spei,& charitatis. Itaq; fides non est totus, sed primus actus, quo conuertimur. Id quod perspicienter in sua confessione ses.6.cõfessa est S. modo Synodus Tridentina, cap.6. ubi de illis, qui ab originali simul & actualibus reconciliantur sic habet. Disponunt ad ipsam iustitiam, dum excitati diuina gratia, & adiuti, fidem ex auditu concipientes, libere mouentur in Deum, credentes uera esse quæ diuinitus reuelata, & promissa sunt: atq; illud inprimis, a Deo iustificari impiũ per gratiam eius, & redemptionem, quæ est in Christo Iesu: & dum peccatores se esse intelligentes a diuinæ iustitiæ timore (quo utiliter concutiũtur) ad consyderandã Dei misericordiam se conuertendo in spẽ eriguntur: fidẽtes, Deum sibi per Christũ propitium fore, illũq; tanq̃ omnis iustitiæ fontem diligere incipiunt: ac propterea mouentur aduersus peccata p odium aliquod & detestationem: hoc est, per eam pœnitentiã, quam ante baptismum agi oportet. Deniq; dum proponunt suscipere baptismũ, inchoare nouã uitam, & seruare diuina mandata. Et de illo qui a lapsu post baptismum in gratiã redit, cap.14. Qui uero ab accẽpta iustificationis gratia per peccatum exciderunt, rursus iustificari poterunt, cum excitante Deo per pœnitentiæ sacramẽtum, merito Christi, amissam gratiã recuperare procurauerint. Hic. n. iustificationis modus est lapsi reparatio, quã secundam post naufragium deperditæ gratiæ tabulã sancti Patres apte nuncupauerunt. Et can.9. Si quis dixerit, sola fide impiũ iustificari, ita ut intelligat nihil aliud requiri, quod ad iustificationis gratiam consequendam cooperetur, & nulla ex parte necesse esse, eum suæ uoluntatis motu præparari, atq; disponi, anathema sit. Synod. Triden.

De differentia inter attritionem, & contri. cap.14.

STrinximus, quantũ nostrũ fuit pusillum ingeniũ Lutheranos, de huiusmodi dispositiõibus ad gratiam, superest nõnulla dissoluere dubia, quę inter catholicos restant. Diximus enim actualium delictorum necessarium esse ad salutem actum pœnitentiæ, tam in illo qui sacramẽto baptismi regenerãdus est, q̃ in illo qui iã christianus per sacramẽtũ pœnitentiæ in uiã redit. Dubita Quęstio

tio ergo est prima, utrum actus contritionis requisitus sit ab utroq;, an uero attritio satis sit & præterea utrũ pari omnino detestatione sit uterq; præparandus, añq; salutẽ recipiat. Cui disputationi præmittendum breuissimum uerbum arbitror de illo, quod inter attritionem, contritionemq; est intersti-tium. Scotus & qui ei adhærescunt, nihil uidentur inter attritionem, & contritionem discriminari, quàm quod attritio sit detestatio peccatorũ per naturalem facultatẽ generali auxilio suffultam, quam ipsi uocant meritum de congruo: contritio uero, est idem ipse actus informatus gratia. Verba Scoti sunt in. 4. d. 14. q. 2. Peccator potest ex naturalibus cum cõmuni influẽtia cõsyderare peccatum cõmissum, ut offensiuũ Dei, & ut contra legem diuinam, & ut auersiuum a Deo, & ut impeditiuum præmij, & ut inductiuum supplicij: & sub multis talibus rationibus. Et põt uoluntas ipsum sub aliqua illarum rationũ, uel sub multis, illud peccatum sic consyderatum detestari: & ille motus potest continuari, & intendi ante infusionem gratiæ, Et paulo inferius. Et si manet idem motus, qui prius fuit attritio, in illo instanti fit contritio: quia in illo instanti fit concomitans gratiæ. Itaq; ex parte obiecti nihil distinguit inter attritionem, & contritionẽ. Quandoquidem attritionem hanc, dolorem astruit esse peccati: siue quia offensiuum Dei, siue quia impeditiuũ præmij: siue quia inductiuum supplicij. Nisi quod quatenus a natura proficiscitur, est attritio: & quatenus gratia informaẽ, cõtritio. ¶ Tria hic sunt, quæ alijs non probantur, neq; profecto mihi quidem. Primũ, quod ait, actum a natura, sine peculiari ope Dei profectum, meritum quoquo pacto esse iustificationis: de quo satis supra cap. 4. diximus. Secundum, quod ait, continuationem actus per aliquod tempus, atq; adeo intensionem necessariã esse in eo qui ad gratiã disponitur. Hoc enim profecto, salua doctoris authoritate, ut ipse fuit primus, qui excogitauit, ita nulla ratione probat (neq; sane apparẽti ulla potuit) sed mere gratis affirmat. Ex sacra uero scriptura, non modo nullus illi suffragatur locus, uerum refragantur pleriq; multi. Si enim authoritates superiori capite inductas respexeris, id facile cernas. Illud nanq; Hieremiæ, Si egerit gens illa pœ

Sco. de cõtri. & attri.

Tria nõ probantur.

nitentiam, agam & ego. Et illud Ezechielis.18 &,33. Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis, quę operatus est, omnium iniquitatum eius non recordabor, nihil de continuatione, aut intensione insinuant, sed de numero peccatorum. Nempe, quod in quacūq; hora, & eadē ratione, in quocunq; momento iniquum pœnituerit offendisse Deum, obtinebit ueniam. Et in psal. Dixi cōfitebor aduersum me iniustitiam meam domino, & tu remisisti impietatē peccati mei. Quæ uerba subitaneam actionem præ se ferunt. Et Actu.2. Factus est de cælo repente sonus, tanquàm aduenientis spiritus sancti. Vbi ait glossa, quod nescit molimina spiritus sancti gratia. Et ideo S.Thom. Patrum uestigia sequutus, qui de huiusmodi gradualibus intensionibus nihil nos docuerūt 1.2.q.113.arti.7. ait, iustificationē in instanti fieri posse. Atqui de infusione quidem gratiæ, neq; Scot. ipse ambigit, quin tēporis momento fiat. Sed & de dispositione ait S.Tho. quod licet Deus nos quandoq; successiue disponat, nempe dū non statim nos ad actū charitatis, qui proxima est dispositio gratiæ numen adspirat, sed ad alias uirtutum actiones, per quas tanquàm per gradus, perducit ad gratiam, subito nos tamen sæpenumero disponit. Et ratio est, quia actui mentis, seu intellectus, seu uoluntatis, cum sit spiritualis, non repugnat fieri in instanti. Maxime cum eiusmodi dispositio a Deo præcipue fiat, cuius potentia est infinita. Cui possumus exemplū solis simillimum accōmodare. Est enim Deus ut sol, cuius lumen est gratia. Et ideo quemadmodum ubi primum quis solem conspexerit, irradiatur lumine, ita eum quis primum assenserit cooperando motioni diuinæ, absq; ullo prorsus temporis interuallo, perfunditur gratiæ fulgore. Cuius equidem ueritatis, uel hoc maximum est argumentū, quod alias si tēpus est aliquod, quo necessario debeat continuari contritio, unum debet esse omnibus præfixū. Si ergo esset decima (uerbi gratia) pars horæ, tunc si quispiam repentina inuasus morte inciperet pœnitere, obiretq; ante illum certū limitem, non esset illi possibile remedium per contritionem, quod esset assertu impium. Neq; uero satis respondetur, quod posset per intensionem actus, extensio recompensari. Quia huius nul-

Psal.31.

S.Tho.

Exēplū solis.

Argumentū.

lum est fundamentũ. Esset enim mirabile dictu, quod si duo inciperent pœnitere eadem intensione, quæ certo tempore continuata sufficiens esset, ille qui ante illum terminum moreretur, ob solum defectum temporis, absq; uenia periret, alter uero eodem actu obtineret gratiam. Intensio ergo uel duratio non est necessaria ad remissionem culpæ dummodo ex obiecto sit uerus actus contritionis. Facit tamen permultũ utraq; ad quantitatem gratiæ, ut docet S. Tho. 1. 2. q. 89. ar. 2.

¶ Tertium, quod in opiniõe Scoti adnotabamus, est, quod attritionem & contritionẽ non ita dignoscit, ut ratione obiecti disparentur: sed solum ex causa efficiẽte. Vtpote quod attritio naturaliter fiat: contritio uero, ab habituali gratia informãte. Nam auxilium speciale, quo disponamur ad gratiã (ut cap. 3. et. 4. dicebamus) nuspiã apud ipsũ legiẽ. Igitur ut punctũ rei attingamus, bifariam inter attritionem & contritionẽ differt. Primum intrinsece ex parte obiecti. Sane quod contritio sit dolor peccatorum propter deum, uel (quod tantundem, & quidem significantius pollet) quatenus sunt offensa dei: attritio uero est dolor peccatorum, non qua ratione sunt offensa dei, sed quatenus nobis nocua. Nimirum, quia causa sunt pœnę, aut in hoc, aut in futuro seculo. Distinctio hæc inde constat, qđ nomine cõtritionis, uniuersis, tum Patribus, tũ theologis scholasticis, uenit actus pœnitentiæ perfectus, quo peccata remittuntur. Vt enim hactenus cõmonstratum est, pœnitentiæ sacra pagina tribuit remissionem peccatorum, tanq; proximæ ex parte nostra dispositioni: proxima autem dispositio, uti habemus etiam hucusq; constitutum, actus debet esse charitatis: porro autem actus charitatis non est ex genere suo attritio: nã qui peccata abominatur, ea tãtum rõne, quia nocent, non tã Deũ diligit, q̃ pœnas odit: ergo cõtritio solũ est detestatio peccatorũ, quatenus offensa sunt Dei: sane quæ amor quidã eius est: uterq;.n. est actus amicitiæ: scilicet, & lætari de bonis amici, & de suis quoq; iniurijs dolere. Ob idq; S. Th. 3. p. q. 85. ait, pœnitentiã esse speciẽ quandã iustitiæ: qualis iustitia (secundũ Philosophum. 5. Ethi.) inter nos & deum esse potest. Quippe cuius officium est, emẽdare uitam, resarciẽdo iniuriam Deo illatã. Sed imperatur nihilominus

Inter attri. et cõtri.

S. Tho.

minus

minus actus eius a charitate, eo quod est displicentia iniuriæ illatæ amico. Et explicatius ar. 5. inter enumerandum dispositiones ad gratiam. Quintus, inquit, actus, est motus charitatis, quo alicui peccatum displicet secundum seipsum, & nō iam propter supplicia. Insinuans pœnitentiam illam quæ a timore pœne progignitur, non esse actum charitatis: quia non contritio sed attritio est. Atq; inde patet nominum etymologia. Est enim attritio in corporibus, dum mola (uerbi gratia) frumentum terræ in frustula terit: contritio uero, ubi iam est in pulueres cōmolitum. Vnde tracta analogia, aiunt theologi, contritionem esse odium & detestationem peccati supra omne quod odibile est: attritionem uero esse odiū eius non supra omne odibile. Quod non est referendum ad intentionem & feruorem actus. Nam potest quis mœrore longe maiori afflictus esse ex metu inferni, quàm alius, ex eo quod in deum deliquerit. Sed est iuxta ea quæ diximus intelligēdum: scilicet, quod per contritionem abominamur delicta, summa, iustissimaq; ratione qua est abominandum: id est, qua diuinæ uolūtati aduersatur. Quamobrem includit propositum, nunquàm amplius ullum admittendi, pro quacunq; re mundi: quod aiunt, appretiatiue odisse super omnia. Attritio uero, non tanta est execratio. Qui enim non dolet nisi propter pœnas, quantum est ex natura rei, ubi non esset pœna, non uitaret delictum. Tametsi dum attritus non habet in affectu, quod alias, nisi supplicium incurreret, propter Deum non cessaret malefacere, attritio bona est, tanquàm initium pœnitentiæ: si uero adiecta esset illa exceptio in affectu, mala esset prorsus & iniqua. ¶ Neq; uero silentio duxerim prætereundum, quod ex nominalibus quidā addubitant, num in ratione contritionis necessarium sit propositum cauendi a uitijs in futurū. Atq; id negāt, ex eo quod in biblijs sacris nihil cōperiāt de huiusmodi proposito. De quo profecto, si exile meum iudicium ullius esset momenti, condemnandi essent: non solum quia error est, sed quia perniciosus. Est enim ignoratio nominis pœnitentiæ. Porro quæ, ut supra dicebamus, idem sit quod mentis mutatio:

Etymolo. Attri. et cōtri.

Nominales.

atq; adeo utriusq; temporis respectum complectens. Unde ueluti supra Lutherum urgebamus, quod non potest esse re sipiscentia & propositum bonę uitæ in futurum, nisi ubi animus per pœnitentiam diuellatur ab erratis præteritis, ita uice uersa & aduersus istos astruimus, quod nequit esse pœnitentia præteritorum sine proposito cauendi in futurum. Quomodo enim quenquàm pœnitere potest, Deum offendisse, cui non fuerit intentio mutandi uitam? aut qualis illi potest esse intentio mutandi uitam, cui non est propositum declinandi a malo, ut regrediatur in uiam? Et quàmuis nomen per sepsum pœnitentiæ aperte præ se fert huiusmodi propositū, haud tamen illud subticuit Propheta, ubi ait. Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quę operatus est, Ecce respectum præteriti: & custodierit omnia precepta mea, En propositum in futurum: & fecerit iudicium, & iustitiā, Ecce propositum satisfaciendi. Ille, inquit, uita uiuet. Et Christus ipse pœnitentiæ magister, mulieri de adulterio ad se delatæ, uade, inquit, & amplius noli peccare. Propositū ergo huiusmodi exigitur a pœnitēte. Nam pœnitere est peccata respuere & execrari: respuere autem malum, non solum ad præteritum, sed ad futurum potius refert. Unde S. Tho, loco proxime citato. 3. p. q. 85. ex eo probat pœnitentiam esse actum iustitiæ, quod munus eius est recompensationem facere iniuriæ illatę. At optima compensatio est emēdatio uitæ: quatenus penitus, inquit, assumit moderatum dolorem de peccatis præteritis, cum intentione remouendi ea. Verba eius sunt ar. 1. Differunt ergo natura sua, contritio & attritio ex eius obiecto diuerso. Sed tamen est præterea adnotādum, quod utraq; elici ab homine pōt, uel ex uiribus naturalibus cum auxilio naturali Dei, uel ex singulari eius succursu. Enimuero non solum naturaliter potest quispiam mœstitia affici, quod supplicia fuerit peccando commeritus, sed potest etiam naturaliter pœnitere, quod deum offenderit. Etenim cum possit quicunq; naturaliter pœnitentia duci, quod amicum læserit, cur etiam non poterit similem detestationem habere peccati, eo quod fuerit contra diuinam uoluntatem cō-

S. Tho.

missum. Quandoquidem immensa illa bonitas, non modo lumine fidei, sed etiam naturæ nobis innotescit. Neq; opus hic existimo, ueritatem hāc pluribus psuadere. Quippe cum libro priori cap.20. & duobus sequentibus, pro uirili mea id confecerim, quod quemcunq; actum potest habere ille qui est in gratia, potest etiam quantum ad substantiam operis, elicere peccator ex puris naturalibus. Huiusmodi autē pœnitentiæ actus naturalis, quāuis rōe obiecti sit contritio, non tñ est sufficiens dispositio ad gratiā, sed potest esse in eo, qui est in peccato. Saltem ubi adest ignorantia aliqua uincibilis. Potest enim quis dolere, quod deū offenderit, quinetiā proponere, quantum in sua est cognitione, offendicula omnia uitiorum uitare, qui tamen non facit quicquid debet, ut uiam ueritatis agnoscat. Vti usu uenit infidelibus, et hæreticis, atq; in uniuersum ijs, qui ignorantia crassa laborant. Econuerso attritionem etiā habere quis potest ex timore inferni, per auxiliū speciale a Deo incusso, quæ tamen non erit proxima dispositio, & sufficiens. Per se saltem absq; sacramento. Nam de dispositione ad sacramentū statim dicemus. Ex his oritur secunda distinctio inter hos actus extrinseca, rōne gratiæ. Vt omnis dolor peccatoꝝ, siue attritio, siue contritio, ex parte obiecti, qui est absq; gratia, dicatur hoc modo attritio: & omnis dolor, ille etiam qui est attritio ex parte obiecti, ubi informatur gratia, dicatur hoc modo contritio. Secūda distinctio.

De differentia inter bapt. & sacramentum pœnitentiæ. cap. 15.

Post hæc quæ presenti erāt negotio necessaria, dubitatio incidit, utrum eadem omnino peccatorū detestatio requiratur in præparatione baptismi, quæ requisita est ad sacramentū pœnitentiæ. Prima conclusio, qua de baptismo inter theologos omnes cōuenit, est, quod dolor qualiscunq; necessarius sit suscipienti. Nā est sententia Petri Actu.2. Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisq; uestrum: Augustino interprete, quod nullus uolūtatis suæ arbiter possit, neq; per baptismum, uitam inchoare nouam, nisi quem ueteris pœnituerit. Et quàmuis sint, qui Scoto hāc opinionem inurant, quod satis sit nullum adferri Conclō de bapt. Scot.

obicem: puta complacentiā peccati, quàmuis nulla adsit detestatio: uidelicet si baptizandus absq; ullo actu accedat respectu peccati, profecto hoc nusquàm elicitur ex ipso. Quin uero. 4. sentē. d. 4. quæstione. 5. expresse ait, quod qui accedit ad baptismum cum obice infidelitatis, uel aliquod habēs peccatum, quod tunc actu committit, uel quod prius commisit, & nullo modo sibi displicet, nullo modo recipit gratiam: iuxta uerba Augustini in de pœnit. Nullus ad sacramentum fidelium accedens potest nouam uitam inchoare: &c. Atqui d. 14. eiusdem libri. q. 4 quàmuis dicat, quod ad suscipiendū gratiam per baptismum, sufficit accedere sine fictione, cum intentione suscipiendi sacramentum ecclesiæ: subdens, quod solum requiretur opus exterius cum amotione interioris impedimenti, ipse se paulo inferius declarat. Dicens, quod non requiritur tanta attritio, quanta est illa, quæ, secundum suam opinionem, sufficeret sine sacramento: sed licet sit parum attritus, etiam attritione quæ non habet rationem meriti de congruo, uolens tamen recipere sacramentum, per ipsum recipiet gratiam. Caietanus. 3. p. q. 86. super artic. 2. uideri quibusdam posset dicere, quod sufficiat receptio ipsa baptismi in remissionem peccatorum loco pœnitentiæ. Attamen reuera non intendit negare, quin requiratur aliqua attritio ad tollendum obicem: sed ait, quòd perfecta ratio pœnitentiæ, quæ complectitur propositum nouæ uitæ, cōpletur per hoc, quòd quis recipit sacramentum baptismi in remissionē peccatorū. Itaq; propositum baptismi ualeat pro eo, quod est, nouæ uitæ. Quod si quis contenderet, absq; ullo actu displicentiæ, digne adiri baptismum, manifesti conuinceretur erroris, ex testimonijs & argumentis, quæ præcedentibus cap. cōtra congeminauimus. Opponet autem hic forsan nobis textum illum capituli maiores de bap. & eius effectu. Tunc characterē sacramētalis imprimit operatio, cū obicē cōtrariæ uoluntatis non inuenerit obsistentem. Responsio tamen est, quod ad charitatem baptismi, sufficiens est uoluntas suscipiendi baptismum. Et ideo si quis absq; ui illata, dum baptizatur, tacet, silentium illud & permissio reputatur consensus abijciēs talem obicem. Tollere autem obicem peccati (quod requirit

Caietanus.

De bap. cap. maiores.

ad suscipiendam gratiam)non solum dicit meram negationem cõplacentiæ peccati,sed detestatricẽ actionem. Qualis uero detestatio exigatur,hoc est dubium.Porro Scot. aperte asserit, non solum sufficere attritionem,uerum neq; tantam exigi,quanta est dispositio ad gratiam.Et S. Tho.3.p.q.68. ar.4.ad.2.argu.loquens de baptismo,ait,quod Christus dupliciter operatur ad gratiam:uno modo per seipsum (scilicet sine sacramento) & sic præparat uoluntatem hominis,ut bonum uelit,& malum odiat.Quod plane intelligit de perfecta contritione. Alio modo operatur per ministros exterius adhibendo sacramenta: & sic operatur perficiendo exterius id quod est interius inchoatum. Et ideo non est exhibendum sacramentum baptismi,nisi ei in quo interioris conuersionis aliquod signum apparet. Dicendo,inchoatum,&, aliquod signum,ad differentiam interioris perfectæ conuersionis,sentit, quod sufficit attritio.Itaq; non sit tanta dispositio necessaria ad sacramentum, quanta illa est quæ per se sufficit. Consonat sibi in artic. 6. ubi ait, quod sufficit baptizando, ut sua peccata recogitans,de eis doleat:iuxta uerbum Augustini,de inchoante nouam uitam.Est ergo secunda conclusio,quod ad baptismum non est necessaria contritio. Cuius ratio est, quam ipse idem explicat in. 4. senten. d. 4. quæstione. 2. artic. 1. Videlicet, quod cum baptismus de se sit institutum ad regenerandum hominem, & remouendum peccatum, non expostulat detestationem, tanquàm per se causam, uel ut sit simul cum ipso causa, sed ut obicem tollat: nempe complacentiam peccati, quod baptismus ipse auferat. Et ideo d. 6. quæstione. 1. artic. 3. ad quintum argumentũ repetit,quod ad baptismum, nec charitas, nec contritio requiritur: sed sufficit attritio. Quod si nos quispiam contradictionis redarguat, ex eo quod præfati sumus, cuicunquè reconciliando, necessarios esse motus fidei, spei, & charitatis. Respondetur, quod absq; sacramento requiritur actus charitatis, qui sit uera contritio: petenti autem baptismum satis est inchoatio charitatis per attritionem, quæ perficitur ablutione ipsa: qua uelut instrumento passionis Christi infundit̃ cum gratia charitas.

Scot.

S.Tho.

Conclusio.2.

Ratio.

Argumenti responsio.

Dubiũ. ¶Hoc tamen posset restare dubiosum, an sufficeret attritio, quam accedens conscius est, esse attritionem, & non contritionem. Porro quia scit se nõ dolere propter Deum, sed propter timorem inferni, & ita palam patefacit, & confitetur ecclesiæ. Videtur sane iste non talis accedere, cui sit ministrandum sacramentũ. Nam ut supra diximus, & Aug. sæpe commonefacit, & theologi in. 4. d. 4. & S. Tho. 3. p. d. 68. admonent, peccatores non sunt baptizandi: ille autem quem constat non pœnitere propter Deum, indubitatus est peccator. Et inde augetˀ dubitatio, quod profecto, qui taliter affectus accederet ad sacramentũ pœnitentiæ, neutiquàm absoluendus esset. postquàm non uero corde se accusat offendisse deũ.

Rñsio. Crediderim nihilominus, sub peritiorum censura, baptizãdum esse eiusmodi notum attritum, propter causam prædictam. Nempe quod de se baptismus sit regenerationis sacramentum ordinatũ ad remissionem cuiusuis peccati, ubi non reperit complacentiæ obicem. Complacentia uero satis tolli-

S. Tho. tur per quemcunq; dolorem. Accedit authoritas S. Tho. citata. 3. p. d. 68. ubi ait, quod sufficit in baptizando apparere aliquod signum interioris conuersionis. Loquitur ergo de innotescente attritione. Et. q. 79. art. 3. ad secundum, constituẽs differentiam inter eucharistiam et baptismum, ait, quod cum baptismus sit spiritualis regeneratio, ordinatus, ut faciat ex peccatore iustum, non conuenienter eodem accedit qui habet conscientiam peccati mortalis. Secus de sacramento eucharistiæ, in quo porrigitur Christus tanquàm cibus & alimentum iam uiuentis per præcedentem gratiam. Unde S.

Synod. Triden. Syno. Tri. ses. 6. cap. 6. ante baptismum solum requirit motũ aduersus peccata. Per odium, inquit, aliquod & detestationẽ, hoc est, per eam pœnitẽtiam, quã ante baptismũ agi oportet.

Argumẽtũ de pœni. ¶Sed arguis. Igitur idẽ affirmare licet de illo, qui accedit ad pœnitentiã, quandoquidem & illud institutum est ex genere suo, ad remouendum peccatum. De hoc aliorum forte di-

Discrimẽ inter tria sacramẽta uersum erit iudiciũ, meum autem est, ni fallor, quod sit inter tria sacramenta, scilicet eucharistiæ, baptismi & pœnitentiæ ita hoc loco discernendum, quod ad baptismum sufficit attritio: etiam si sit cognita, ut dictum est. Ad eucharistiam uero

nemo licite aduenit cũ conſcientia peccati mortalis, atq; adeò neq; eſt ſufficiens attritio, ſed requiritur quod bona fide exiſtimet ſe in gratia exiſtere. Ita enim ait S. Tho. loco iam modo citato, & q. deinceps proxima. 80. ar. 4. de quo inter Patres & theologos ſummus eſt conſenſus: iuxta illud Pauli. 1. ad Cor. xi. Probet aũt ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat et de calice bibat: qui enim mãducat & bibit indigne, iudiciũ ſibi manducat. Vbi ait gloſſa, indigne manducare, qui uel in crimine, uel irreuerenter accedit. Atqui ratio diuerſa uſus hor um ſacramentorum ſumenda eſt ex fine diuerſo, ad quẽ ſint diuinitus inſtituta. Nanq; cũ baptiſmus ſit inſtitutus ad regenerandũ infidelem, ſpiritualiter mortuum, non requirit de ſe, quod qui petit, ſit in gratia, ſed quod non opponat obicem. Eucharistia uero, cum ſit illis cibandis conſtitutum, qui, per gratiam iam, uel baptiſmi uel pœnitentiæ, uita funguntur, depoſtulat, ut a nemine ſumatur, niſi qui ſe exiſtimat per gratiã uiuere. Pœnitẽtia uero medio quodã modo ſe habet. Nã licet ſit ſacramẽtũ remiſſionis peccatorũ, ſicut baptiſmus, ille tñ eſt ſicut generatio, ubi non cõcurrũt actus recipiẽtis, ut pars ſacramẽti: hoc ãt ẽ quaſi medicina cõcurrẽtibus actibus pœnitẽtis, ut materia. Et ideo uſus nõ eſt utriuſq; idẽ. Qm̃ ad baptiſmũ nulla eſt, uel accuſatio, uel cõfeſſio neceſſaria: qualis tamen in ſacramento pœnitentiæ depoſcitur. Qui autem ſciret ſe nõ deteſtari peccata propter deum, eius profecto nõ eſſet uera accuſatio in cõfeſſione: ſiquidem accuſatio non eſt niſi de offenſa Dei, & quatenus eſt offenſa. Quare qui nõ ita in pectore gereret, ſed ſolum propter pœnas doleret, falſo diceret, ſe accuſare peccaſſe in Deũ. Atq; adeo ſi ita mihi certo conſtaret, grauiſſime formidarem, ſic affectum abſoluere. Tametſi niſi manifeſtiſſima eſſent indicia, ſemper in re dubia credendum eſt, legitimam eſſe contritionem: quoniã difficillimũ eſt diiudicare rõnem doloris, ſit ne propter Deum, an propter alias cauſas. ¶ Confirmaẽ nunc maxime hęc ſententia authoritate concilij Triden. Sane, quod cum cap. 6. cenſuiſſet, ad baptiſmum ſatis eſſe adferri odiũ aliquod, cap. tamen. 14 ait, pœnitentiã poſt lapſum multo aliam eſſe a baptiſmali, & continere cor contritum. Quod ergo S. Tho. &

1. Cor. xi.

Synod. Tridẽ.

Ex attrito contritus.

ferme doctores consentienter aiunt, per sacramētū pœnitētię nonnūq̄ ex attrito fieri cōtritū, intelligendū existimo, quādo aliquis accedit attritus, putans se esse contritum. Tunc enim licet attritio interna nō sufficit, tamen quia ille bona fide accedit, recipiet gratiam per sacramentum. Id quod & sacramento etiam eucharistiæ congruit: ut loco citato q.79.ar.3. author est S. Tho. ubi ait, quod eucharistia confert primam gratiā ei qui, licet sit in peccato mortali, tamen facta diligentia, nullius recordatur. Vel q̄uis non sit sufficienter contritus, reuerenter tamen accedit. Intellige, quia non certo diiudicat dolorē suum non esse ueram contritionem. Vnde quando S. Patres constituūt, non esse conferendum sacramentum illi, qui ē in peccato, sic interpretandum est. In baptismo quidem, de illo, qui habet propositum peccādi. In eucharistia uero & pœnitentia, de illis qui petunt cum conscientia peccati. Sed tamen inter eucharistiam & pœnitentiam hoc est interstitium, quod ante eucharistiam requisita est probatio, per omne remedium quod est contra peccatum: scilicet per pœnitentiam, tam uirtutem q̄ sacramentum. Haud quidem sum extra me-

S. Tho.

tū, quod mihi quis forsan obijciat S. Thomam.3.p.q.80.art. 4.ad.2.ar. ubi sacramento eucharistiæ utrunq; simul e regione opponit: scilicet, & baptismum, & sacramentum pœnitentiæ: commonefaciens, quod eucharistia non debet dari nisi liberatis a peccato: alia uero duo concedi posse febricitātibus febre peccati. Quia iste duæ, inquit, sunt medicinę purgatiuę: illa uero cōfortatiua. Ex quo apparet cōsequens, attrito, etiā conscio, conferēdum esse sacramentum pœnitentiæ, sicut baptismi. Negauerim tamen consequentiam. Nihil enim aliud sibi uult, nisi quod sacramentum pœnitentiæ conferendum est illi, qui se, ut peccati reum pœnitens, accusat, sicuti baptismus largiendus est peccatori. Eucharistia uero non, nisi illi, qui per pœnitentiam absolutus gerit iam, secundum suā conscientiam, formam hominis iustificati. Neq; uero ignoro no-

Nominales.

minalium quorundam opinionem, docentium quod quicūq; se existimat, se esse contritum, reuera obtinuisse iam ueniā, atq; adeo quod nullus, cogitans cōtritionem se adferre ad sacramentum, per ipsum recipit primam gratiam: quin uero iā

recepit per suam illam bonam cogitantiam. Quorum causam nullã aliam subijciunt, quàm quòd alias esset homo ille extra remedium: maxime ubi non esset possibile sacramẽtum. Quoniam si quis arbitratur se esse contritum, non restat illi iam aliquid faciendũ, imo nec potest, aiunt, aliud facere, quippe qui credit iam totum fecisse. Horum ideo memini, quoniam in capitulo de certitudine gratiæ facesseret nobis aliquid negotij hæc opinio, si uera esset. Sed profecto demiror quàm sint isti tenui ratione persuasi. Etenim nescio quomodo non patenter uideant, posse latere in tali credulitate fallaciam, sicut in alijs cogitationibus. Atque eam duplicem. Primum in disquisitione peccatorum, an fuerit legitima. Verbi gratia, quando perditissimus homo recogitat sua peccata, quæ commisit, tum plurima, tum grauissima, facile ac temere credit se fecisse legitimam diligentiam, quam tamen non fecit pro quantitate criminum, et diuturnitate temporis, quo cessauerat confiteri. Et præterea etiã si diligens fuerit exquisitio, forsan dolet non propter Deum, sed propter infernum, aut propter alia damna quæ accepit, qui dolor nõ sufficit ad remissionem culpæ, sed leuiter iudicat cõtritionem esse. Profecto isti tales antequàm sacramentum suscipiant, non erunt in gratia. Deridiculum enim est, quod sola ignorantia sufficiat ad remittenda præterita peccata: cum tamen contritio non sit actus intellectus, sed uoluntatis. Sit, exempli gratia, qui reuera habet solam attritionem peccatorum, & ita de se ipse credit. Is secũdum istos non est in gratia. Fac ergo interroget ignarum doctorem, an ille suus dolor sit contritio sufficiens, a quo falso persuadeatur, esse sufficientẽ, nunquid propterea, quod iste attritus mutauit credulitatem, idem actus uoluntatis immutatus, qui antea erat attritio, efficietur sufficiens contritio? Minime gentium. Sed tamen iste bona fide accedens ad sacramentum pœnitentiæ, recipiet primam gratiam, per quam fiet ex attrito contritus. Est igitur consequẽtia fallacissima (quod repetendum nobis est in de certitudine gratiæ) Iste putat habere cõtritionẽ, ergo est cõtritus. Quod si interroges. Quid ergo aliud debet facere? Certe conteri, uel suscipere sacramentũ, alias peribit propter peccatum, quod

ante commiserat. Quinimo haec est una causa, quare Aug. dubitauit de sero poenitentibus. Frequentes enim sunt in articulo mortis, quibus animo repraesentaт̃, se dolere suorũ criminum, qua ratione fuit deus offensus, & tamen non dolẽt, nisi quod incurrerint in gehennã. Atq; eadem est causa, quare tanti tunc habentur sacramenta, per quae saepe fiunt ex attritis contriti. Imo uero addiderim, tã crassam posse esse ignorantiam illius, qui putat se esse contritum, ut sit nouum peccatum accedere ad sacramentum: & tunc neq; per sacramentũ recipit gratiam: perinde enim esset acsi accederet, sciens non esse contritus. Sed quando ignorantia excusat a nouo peccato: porro quia probabilitas est fecisse quod debuit, tunc qui licet per se non sufficeret remittere praeterita peccata, cũ non sit contritio, tamen quia ignorantia est inuincibilis, bona fide accedit: atq; adeo per sacramentum recipitur prima gratia. ¶ Aliud superioris germanũ dubium est, quomodo attritio fiat cõtritio. Videlicet, utrum actus ipse qui erat dolor ꝓpter poenã, adueniente gratia, mutet obiectũ, ut sit propter Deum? Ita quidem nonnulli, etiam scholae S. Thomae, imaginantur, quod tamen intelligere nequeo. Enimuero gratiae munus penitus est, facere hominem amicum, ac subinde informare eius opera genere bona, ut quae antea non erant grata, efficiantur grata. Mutare autem obiectum actus, hoc certe est abijcere unum, & substituere alium nouum: quod licet quandoq; contingat in eo qui suscipit sacramentum, non tamen est semper necessarium: sed eodem ipso actu interno uoluntatis, quo quis accedit ad sacramentum, saepissime recedit: ut experientia monstrat. Quin uero est demonstratio, q꞉ non semper actus mutetur. Nam potest quis attritus accedere ad sacramentũ, qui illo tunc articulo temporis, quo absoluitur, cessauerit omnino habere actum poenitẽtiae, uel per diuagationem mentis, uel per abruptionem cogitationis. Tũc utiq; manifestum est, non commutari actum: & nihilosecius euadere potest ex attrito contritus. Fit ergo attritio, cõtritio extrinsece, per hoc, quod idem ipse dolor propter poenas adueniente gratia, per sacramentum efficitur Deo gratus. Tametsi nonnunq; etiã auxilio Dei mutetur finis doloris. Qua

Ignorantia crassa

Q̃uo ex attrito fit contritus.

de causa statuimus superius unam cōtritionem intrinsece ex
obiecto,& aliam solum extrinsece,ratione informantis gra-
tiæ.Quemadmodum,illū,qui iam iustus est,potest nō solum
propter Deum,sed etiam nonnunquam memor inferni merito-
rie pœnitere.Quod autem ait S.Tho.in.4.d.17.q.2.attritio-
nem non fieri contritionem,sed per diuersos actus ex attrito
fieri contritum,intelligit de contritione,quę intrinsece ratio-
ne obiecti,est contritio,& elicitur ex infuso habitu charitatis,
& de attritione,quæ ex timore inferni potest naturaliter eli-
ci.Horū.n.actuū,cum specie differāt,neuter in alterū transit.

An alius actus charitatis, quàm contritio sufficiat. cap. 16.

HAec ueruntamen ex superioribus enascitur dubi
tatio de præparationibus ad gratiā. Vtrum alius
actus charitatis, qui formaliter nulla sit detesta-
tio peccatorum,sufficiat ei ad salutem,qui actua-
lis delicti reus est.Cui primum omnium interrogationi con- Cōclo.1.
sentienter theologi prima conclusione respondent, per illu- ꝗ marty.
strem illum charitatis actum martyrij,absq; ullo peccatorū
respectu,dummodo non adsit propositū mali ullum,aut cō-
placentia,aut uincibilis ignorantia(uti est in hæretico)beni
gnissime cōdonari omnia,etiam pœnas:ut supra ex libro de
ecclesiasticis dogmatibus citatū est.Et de Cypriano ait Au-
gust.quod si quid illi erat purgandum,passionis falce ablatū Aug. de
est. Vnde de celebra.missa.c.cum Marthæ.Iniuriā facit mar- Cypria.
tyri,qui orat pro eo.Porro priuilegium hoc indultū est præ- De cele.
clarissimo illi actui fortitudinis propter excellentiam chari- mis. cap.
tatis,qua nemo habet maiorem,quàm ut animam suam po- cū Mar-
nat quis pro amicis,atq; adeo pro amicorum summo Chri- thæ.
sto.Cum enim erratorum pœnitentia actus sit charitatis,cō-
sentaneum rationi iudicarunt ecclesiæ Patres,ut qui in ago-
ne positus passionis pro confessione christianæ fidei (quod
heroicum est charitatis officium)non esset astrictus ad cogi
tationē peccatorū.Sed sicut aqua baptismi tinctos, ait Paul.
cōmori Chrsto,& cum illo una sepeliri, ita martyr suo san-
guine rubricatus una æstimetur crucifixus cum Christo,atq;
adeo eundem assequi uberrimum fructum gratiæ remittētis

Theologorũ. peccata plenissime. Hæc enim est ratio quam S. Tho. 4. senten. d. 4. quæstione. 3. & illic theologi assignant huius comparationis martyrij cum baptismo. Nempe, quod quã Christi passionem, baptismus sacramentaliter repræsentat, eandem refert & martyrium realiter. Et ideo character, quidem qui ad sacramentalia pertinet, non imprimitur martyri: qui idcirco si christianus non fuerat, & resurgeret, baptizandus est. Copia uero gratiæ, non modo par martyri, uerum longe cumulatior, quàm baptizato impenditur.

An citra martyrium. ¶ At dubium aliud est præcipuum, an citra martyrium quiuis actus charitatis, quantocunque sit excellentissimus, absque formali detestatione peccati sufficiat peccatori ad salutem. Apparet nanque id affirmare Scot. in. 2. d. 28. ubi inter loquendum de pręcepto charitatis, ait, quod quandocũque uoluntas actum huius præcepti exequitur, licet informis, disponit se de congruo ad gratiam gratificantem: cui oblatæ, uel resistit, & peccat mortaliter: uel consentit, & iustificatur. Et quàmuis ipse nihil explicet, an ille qui se disponit sit in peccato, neque de actu charitatis, an debeat esse pœnitentia, sunt tamen qui ita opinantur, ut actus charitatis absque pœnitentia formali sufficiens dispositio sit ad gratiam. Tametsi alij hoc non cuicunque actui tribuant, sed cuidam egregio. Causam nullam pro se adferre possunt aliam, quàm si ita ratiocinentur. Pœnitentia ex eo postulatur ab eo qui est auersus a Deo, quia est actus charitatis contrarius inimicitiæ, sed quicunque actus charitatis pariter est eidem oppositus: ergo quicunque erit, si non formalis, saltem uirtualis pœnitẽtia. Et præterea, quicquid sit de omni actu charitatis, tamen uidetur rationi consentaneum, quod possit quispiam esse tam excellẽtis dilectionis, ut secum nullum admittat peccatum, sed omne depellat. Illum ergo actum saltem qui habuerit, nulla opus habebit alia actione pœnitentiæ. Huc accedit prouerbiũ Sapiẽtis cap. 10. Vniuersa delicta operit charitas. Quod & Pet. apostolus resumit. Et uerbum Redemptoris. Qui diligit me, diligetur a patre meo. Et de peccatrice. Dimissa sunt ei peccata multa: quoniam dilexit multum. Et Pauli conuersioni nulla uidetur præfuisse pœnitentia. ¶ Sunt uerũtamen

Scot. — *Testimonia scripturæ.* — *Reprobatio.*

testimonia scripturæ, quæ longe uehementius urgent aliam partem, quinimo (ni fallor) persuadent. Et ideo discernendum est. Nanque ubi præhabita diligenti indagatione, nullum memoriæ occurrit lethale peccatum, clara res est, sufficere actum charitatis ad remissionem eorum quæ memoria exciderint. Neque forsan in alio quàm in isto casu senserit Scot. sufficere actum charitatis. At uero ubi ulla est peccatorum memoria, uel per legitimam diligentiam haberi potest, nullatenus auderem affirmare, quod absque formali actu pœnitentiæ sufficiat, citra martyrium, quicunque alius actus, uel charitatis, uel cuiusuis alius uirtutis. Neque ullus, crediderim, timoratæ cõscientiæ poterit eam unquàm, si conscius est peccati, aliter pacare. Neque profecto tantum me mouet, uel S. Thom. uel alius eiusdem ordinis, quàm testimonia scripturæ cum rationibus, quæ supra cap. 13. in confirmationem pœnitentiæ accersiuimus ex utroque testamento. Etenim præter Hieremiam, & Ezechielem, & in actibus apostolorum Petrum, nullatenus impio, nisi per pœnitentiam pollicitantes remissionem, reuera, dicente Christo. Si pœnitentiam non habueritis, omnes simul peribitis, nescio quis possit absque pœnitentia salutem promittere. Præterquàm, quod Ioannes, & post Redemptor idem noster, nullum indicabant ingressum peccatoribus ad regnum cælorum, nisi per unam pœnitentiam. Vnde S. Thom. 3. p. quæstione. 86. articulo. 2. incontanter affirmat, impossibile esse peccatum actuale mortale, sine uirtute pœnitentiæ remitti. Cuius dilucidam subnectit rationem ex differentia inter gratiam Dei, et gratiam quæ est inter homines. Gratia enim hominis non efficit in eo, quem secum recõciliat, bonitatem aliquam, sed præsupponit ueram, uel apparentem. Ob idque homo nonnunquàm inimicum sibi in gratiam restituit, qui nihil est interne mutatus, Deus autẽ non præsupponit bonitatem, sed faciendo hominem bonum, reddit sibi amicum. Cum autem offensa Dei ex diametro aduersetũ gratiæ, neminẽ Deus in suã gratiam recipit, nisi mutãdo eius uoluntatẽ: puta, dimouẽdo eã a bono cõmutabili, cui inhærebat, & uertendo ad se. Dimouetũ aũt nemo, nisi p detestationẽ peccati, S.Tho.

contrariam uoluntati, per quam fuit commissum: ergo poenitentia est necessaria. Quæ idcirco dicitur conuersio: iuxta illud Psalmi. Deus tu conuertens (secundum aliam literam) uiuificabis nos. Et 1.2.q.113.artic.5. idem prorsus constituit. Sane quod non potest esse conuersio sine motu Liberi arbitrij in peccatum: qui est terminus a quo conuersionis. Nam actus charitatis in deum, solum habet respectum ad terminum ad quem. Et arguēs quod solus actus charitatis sine formali poenitentia sufficiat, ex illo, Charitas operit multitudinem peccatorum, respondet, propterea operire, quia ad ipsam pertinet, non solum persequi unum oppositorum, puta, deum, sed fugere ab alio, scilicet, a peccato, per actum poenitentiæ qui imperatur a charitate. ¶ Et eadem responsione dissoluitur primum argumentum supra factum. Concedimus enim charitatem contrariam esse inimicitiæ dei. Sed tamen hoc idcirco uerum est, quia ubi non est peccatum, resistit, ne admittatur quoadusque ipsa superetur: & ubi est, expellit illud per actum poenitentiæ. Et pariter respondetur ad aliud argumētum de actu egregio charitatis. Nam primum nemini cōcedā, quod possit esse aliquis actus tam insignis charitatis, quin sibi secūdum substantiam possit esse in hæretico, & in quocunque peccatore: saltem qui ob aliquam crassam ignorantiam inquinatus est peccato: ut libro primo cap. 22. fusius disertum est. Sed esto, fautoribus illius opiniōis largiremur, esse talē quēpiam actum, qui ubi inesset, omni resisteret tētationi, nec culpam admitteret, hoc tamen restat illis probandum, quod nūquàm conficient. Nempe, eum qui in peccato iacet mortali, posse uenire ad talem actum charitatis, nisi per actū formalem poenitentiæ. Et pari modo ad aliud. Qui diligit me, diligetur a patre meo, respondetur, quod quis quicūque Dei dilector ipsi sit uicissim dilectus, tamen nemo dum est in mortali delicto, nisi a poenitentia exordiatur, ad dilectionē Dei conscendere potest. Quod si me percontantur, unde hoc habemus tam compertū, respondeo, quod qui necessitatem poenitētiæ defendimus, causam (ut aiunt) agimus obsignatis tabellis. Nō solum, quia ius naturale, & ideo diuinum id exposcit, ut qui iniuriam intulit, non nisi poenitendo in amicitiam possit re-

Rñsio argumētorum.

Replica

stitui,uerum ẽt quia expresse ait Christus, Si pœnitentiã nõ habueritis,oẽs simul peribitis. Neq; aliis,q̃ pœnitentiã agentibus,promittit regnum cælorum:præter alia supra citata testimonia. Et(ut cap.10.dicebam)temeritas est ex istiusmodi uniuersalibus ullam facere exceptionem citra ecclesiæ authoritatem. Sed aiunt,actum charitatis esse uirtualiter pœnitentiam. Idem posset quicunq; dicere de oratione,uel de quouis alio egregio actu uirtutis. Cum tamen S.Patres hoc priuilegium in uno tantum martyrio agnouerint, propter solam illam causam,quod re ipsa repræsentat passionem Christi:sicut sacramentaliter repræsentatur per baptismũ. Id quod nulli actui uirtutis,qui non sit perpessa morte consecratus, conuenit. Vnde oculate,p̃fecto S.Tho.in.4.d.4.interrogãs,cur cum alii possint esse actus excellentissimæ charitatis:ut uirginitatis uotum,aut strictissimæ religionis,aut peregrinãdi ad prædicandum euangelium,huiusmodi tamen actibus & officiis non tribuatur,ut possit sine pœnitentia remittere peccata,sicuti martyrio,respondet, quia per hæc non commorimur Christo,uti p̱ martyrium. Certe,quo magis cogito,minus probabilitatis uideo in hac opinione,quod actus charitatis sine pœnitẽtia sufficiat. Quin etiam Christus,qui excellenti potestate utebatur in condonandis criminibus absq; sacramento pœnitentiæ:ut in adultera patescit, & in peccatrice,nunq̃ creditur remisisse,nisi mutando interne animũ per pœnitentiæ uirtutem. Ait enim Grego. in homilia de Magdalena,quod per gratiam traxit intus,quam per misericordiam suscepit foris. Et uocat gratiam,pœnitentiam,quam lachrymarum profluuium indicabat. Atqui de cõuersione repentina,stupẽdaq; Pauli,quã Luther.obiicit ar.7.assert.ubi nulla inquit interfuit pœnitẽtia,eo quod subita luce circunfulsus,charitate indutus est:dicẽs, Domine,quid me uis facere. De illa inquam conuersione ait Aug.ad Bonifacium de correp. Donatistarum,quod timor illic præcessit amorẽ. Cuius uerba sunt. Quem maior timor compulit ad charitatem, eius perfecta charitas foras mittit timorem. Id quod historia ipsa testatur. Siquidem in terram prostratus,stupens,ac tremens prius dixit,Quis es tu domine,quàm,Quid me uis fa-

Falsa responsio.

S.Tho.

Christus nõ remisit sine pœnitentia.

Conuersio Pauli

cere, Quorum primum uerbum timoris est, & pœnitentiæ, alterum uero amoris. ¶ Addiderim demũ, quod nisi mea me inscitia cæcat, nõ uideo, quomodo opinio hæc differat ab errore illo Lutheri, artic. 7. suarum assertionum, quem cap. 12. reprobatum curabamus: scilicet, Optima pœnitentia noua uita. Nam per hæc uerba ipse non negabat actum charitatis necessarium: imo affirmabat propositum in futurum parendi Deo, & custodiendi legem. Sed de hoc nihilominus reprehensus est, & damnatus, quod negabat necessariam esse pœnitentiam retroactæ uitæ. Si autem tu dicas, actum charitatis in Deum, pœnitentiam esse uirtualem, idem ipse facile cõcessisset. Vbi ergo damnatur non requiri pœnitentiam, expresse pronunciatur, quod non sufficit aliquis actus charitatis, quem quis posset fingere esse uirtualem pœnitentiam, sed quod formalis sit necessaria contritio. Ait enim Aug. lib. 1. de nup. & concup. cap. 26. super illud Ecclesiastici. 21. quod si a peccando desistere, hoc est, non habere peccatum, sufficeret, tãtum hoc nos moneret scriptura. Fili, peccasti, non adijcias iterum. Non autem sufficit, sed addidit, & de pristinis deprecare, ut tibi remittantur. Exigitur ergo pœnitentia præteritorum. In summa, cum sacramentum pœnitẽtiæ positum sit in remissionem peccatorum nemini patet salus, nisi per ipsum saltem in uoto, quod tamen uotum suapte natura, nisi præeunte detestatione peccati, non est legitimum. Quare S. modo Syno. Tri. sess. 6. cap. 6. necessariam astruit pœnitentiam ante baptismum, & cap. 14. expresse ait, quod nõ sufficit cessare a peccatis, sed quod sit detestatio requisita. ¶ Suborit̃ autem ex hac altera dubitatio. Vtrum præter actum pœnitentiæ requiratur alius charitatis, propterea, quod dictũ est semper dispositiones ad gratiam esse actus fidei, spei, & charitatis. Secundum autem Ioãnem, Qui non diligit me manet in morte. Et secundum Paulum. Si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest. Vnde colligit Aug. de uera, & fal. pœnitẽ. cap. 17. absq; charitate infructuosam esse pœnitentiam. Respondet̃ nihilominus, quod quàmuis frequentissime præter cõtritionem peccatorũ alius charitatis actus Deum præcise habens obiectum

Aug.

Synod. Triden.

Dubiũ precipuum.

ctum interueniat, ueruntamen solus ille contritionis est simpliciter necessarius: quoniam idem ipse, actus est charitatis. Id quod & Aug. eodem loco exponit: dicens, quod ille uertitur a peccato, qui quacunque de causa uult dimittere peccatū: ille autem conuertitur, qui iam totus, & omnino uertitur: scilicet, qui iam non tātum pœnas non timet, sed ad bonum domini contendere festinat: id est, qui peccata propter Deum, & cum proposito parendi execratur. Hūc enim reputat actū charitatis. Et S. Tho. 1. 2. q. 113. non ponit nisi duos motus liberi arbitrij in iustificatione: primum in Deum per fidem & desiderium iustitiæ, quod pertinet ad spem: & alterum detestationis peccati. Ita enim habet articulo. 4. et. 5. Et in. 6. ait, quatuor enumerari in iustificatione: scilicet, infusionem gratiæ, motum fidei, & motum in peccatum, & remissionem. Et statim arti. 7. ad. 2. explicat, quō simul potest esse unus actus, quo peccatum quis odit propter Deum, sicut unū corpus eodē motu recedit ab uno termino, & accedit ad aliū. Et dialectici eodem assensu aiunt assentiri conclusioni propter præmissas. Idem ait. 3. p. q. 85. nempe, quod actus pœnitentiæ simul est, & charitatis, quatenus est displicentia offensæ Dei, et species iustitiæ, quatenus est recompensatio iniuriæ. Et ar. 5. explicatissime ait, qđ primum principiū actionū, quibus ad gratiā disponimur, est diuina opatio. Secundus motus fidei: tertius timoris: quartus spei: & quintus est motus charitatis, quo alicui peccatum displicet secundum seipsum, & non iam propter supplicia. Vide quomodo actum charitatis appellet ipsam contritionē. Sexto loco ponit timorem filialē & reuerentialē Dei. Sed tn̄ est semper necessarius ante iustificationem. Nā contritio ipsa, ut habet eadem. 3. p. q. 89. ar. 1. est ultima dispositio ad gratiā: quam alij, inquit, actus præstantioris charitatis subsequunť. Et ita necessario dicēdum est. Nam ut crebro iam diximus, Pœnitētia est cui tribuitur remissio peccatorum. Pœnitentiæ (inquam) sacramēto principalius uirtute clauium: uirtuti aūt pœnitentiæ secundario, tanquam proximæ dispositioni ex parte nostra, ut perquàm scienter concludit idē Doct. sanctus, eadē. 3. p. q. 86. ar. 6. Vnde uerbū illud Synodi cap. 6. Diligere incipiūt, ac ppterea mouenť aduersus pecca-

S. Tho.

Synod. Triden.

ta, non est sic intelligendum, quod semper sint necessarij duo actus. Q̃m pœnitere est inceptio dilectionis. ¶ Igitur, ut quæ de dispositionibus fuse dispersimus in pauca referam, quasdã appellauimus remotissimas. Nempe, omnia opera moraliter bona, quæ naturali facultate fiunt. Illa autem, quia nõ dimanant ab influxu speciali spiritus sancti, non cẽsentur proprie inter dispositiones. Sed illa duntaxat opera, hoc nomine secundum proprietatem ueniunt, quæ peculiariter attingente nos digito Dei exhibemus. Inter quas tamen aliæ sunt remotæ, & imperfectæ, neq; semper necessariæ: aliæ uero ꝓximæ, efficaces, & omnino requisitæ. Harum discrimen inde sumitur, quod ut. 1. 2. q. 112. ar. 2. et. q. 113. ar. 7. author est S. Th. quandoq; Deus paulatim, & per gradus successu temporis, disponit hominem, non quidem statim mouendo ad fidem per charitatem operantem, sed ad fidem forte informem, ut ad Simplicianum. q. 2. ait, de cathecumenis Aug. in initio suę conuersionis. Vel ad alia opera misericordię, seu aliarum uirtutum, quibus cor durum mollescat. Aliquando uero de repẽte mouet ad actum eiusmodi fidei, & charitatis, uti in Paulo. Dispositiones ergo illæ insufficientes uirtutum sunt actiones. Inter quas regulariter concurrit seruilis metus: item, humilitas, secundum illud Iacobi. Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam: & crebro actus misericordiæ, iuxta illud Prouerbiorũ. 15. Per misericordiam & fidem purgãtur peccata. Quinimo, & actus nonnũquàm charitatis informis, unde non pullulat contritio. Dispositiones autem necessarię & ꝓximæ, sunt actus fidei, spei, & charitatis. Enimuero neq; sine istis esse potest salus, & istis præsentibus, si fiant Deo speciali ter mouẽte, etiam si nullus præcesserit seruilis metus inferni, neq; alia prorsus liberi arbitrij motio, eodem instãti tẽporis ex necessitate subsequitur gratia: non quidem necessitate coactionis, sed infallibilitatis: ut author est S. Thom. 1. 2. q. 112. ar. 3. & theologi. Quare miraculo mihi est doctissimus, & alias consyderatissimus Caietanus in. 1. q. de contritione, ubi ait, posita sufficientissima præparatione ex parte hominis, et cum auxilio speciali Dei, non esse omnino certum eodẽ momento infundi gratiam, sed quandoq; Deum pro suo bene-

Epilogus dispositionum.

S. Tho.

Aug.

S. Tho.

Caietanus.

placito iustificationem per aliquam moram temporis differre. Vniuersa nanque elogia supra citata de pœnitentia consonantissime dissonant huic assertioni. In quocunque enim momēto ingemuerit peccator, & assensum præbuerit euocanti Deo, certissima lege iustificatur. Qui enim infallibilem legē causis naturalibus posuit, ut positis sufficientibus dispositionibus, eodem instanti induceret̄ forma, firmiorem posuit in operibus gratiæ. Et reuera, causa, unde in hāc sententiā permotus fuit, minoris est probabilitatis, quàm cōclusio. Ait.n quod alias si certitudinem haberemus eodem instāti, quo parati sumus, gratiam quoque recipere, eandem haberemus certitudinem, quod sumus in gratia. Nititur enim falsissimo fundamento, quod possimus legitimæ nostræ præparationis habere certitudinem. Sed tam de conclusione, quàm de ratione latius in fine tertij libri, cap. de certitudine gratiæ. Cum autē statuimus hos motus necessarios, non intelligimus formaliter semper in eodem instanti, sed satis est uirtualiter fieri. Etenim fieri potest, ut christianus habens fidem, & spem informes, qui diu fuit, quasi parturiens, imperfecte pœnitens, repētino flagrore charitatis prorumpat in subitam pœnitentiam in uirtute præeuntium motuum fidei, & spei: licet formaliter tunc non eliceat illos actus, credo & spero in Deum: sed satis est, quod eius meminerit misericordiæ.

De causis formalibus, quomodo gratia & uirtutes distinguantur. cap.17.

SAtis denique, nescio an super de dispositionibus, quæ ad cām materialē reducuntur iustificatiōis, disertum nobis est. Nā etsi non fuerit animus, exactissime scholarum more discussionem singulorum facere, pretiū tamen operæ existimaui, paulo rem pressius urgere, quàm qui stylo ferme oratorio præcisis testimonijs Patrum, hoc ætatis rem theologicam tractāt. Hac enim ratione non modo controuersiæ apertius elucidabuntur, uerum etiam, illis definitis, commoditas erit, materiam hanc habere suis numeris absolutam. Quare eandem phrasim in subsequētibus persequemur. Sequitur ergo de causis formalibus, quæ cum eiusmodi dispositionibus cōtinuo connectū-

De habitibus uirtutum.

tur: quales sunt gratia, & uirtutes. De quibus primum cum nostris colloquendū nobis est, ac deinceps cum alienioribus. Igitur de gratia, & uirtutibus non semper olim res certa fuit, essent ne habitus infusi. Imo usq; ad aetatem illam Magistri sentē. res erat dubia. Nisi quod pars affirmatiua plausibilior erat, & plurimum probata. Vnde in cap. maiores, de bap. & eius effectu, utraq; simpliciter pars sub quadam probabilitate denarratur: nisi quod Pontifex postremo loco tāquàm uero magis consentaneam ponit. Et primū de gratia, quàmuis omnibus fides catholica sit, gratia nos saluari p fidem: ut ait Paul. An uero qualitas sit animae, re ipsa ab anima distincta: ueluti sunt habitus scientiae, non adeo res est scripturarum elogijs constitutissima. Nam quod frequentissimum est gratia nos Dei uocari, saluari, & glorificari, idem est quod gratis, sine nostris meritis. Ita enim promiscue ait Paul. Iustificati gratis, per gratiam ipsius. Neq; antiqui Patres ita multum clare loquuti sunt de gratia, tanquàm de uno quodam habitu, & qualitate. Atqui si res ex humana gratia coniectanda esset, contraria pars potius esset probabilior. Cum enim quis in gratiam principis, aut ullius amici recipitur, nulla sibi noua qualitas accrescit: sed per hoc solum gratus sum ego amico meo, quia obiectum sum amoris erga me sui: & ipse uicissim mihi gratus, non per amorem suum, aut aliam formam quae sibi insit, sed quia ego per amorem qui in me est diligo ipsum. ¶ Iam uero de charitate Magister sentén. lib. 1. d. 18. ita sentit, ut audenter refütet esse habitum infusum: sed charitas, inquit, est ipse spiritussanctus, qui nobis illabitur. Non quod adeo desipiat, ut actus nostros charitatis, qui accidentia sunt, ipsam esse cogitet substantiā spiritussancti: sed id tantum arbitratus est, quod spiritussanctus non excitet nos & moueat ad amorem Dei, & reliqua charitatis officia, per aliquem in nobis immanentē habitum, sed per se ipse proxime: ut de auxilio speciali loquuntur theologi. Hanc opinionem sibi in animum induxit propter uerba Augustini. 8. de trini. cap. 8. ubi inter exponendū illud Ioannis, Deus charitas est, ait, quod qui proximum diligit, consequens est, ut dilectionem ipsam diligat: nam dilectio Deus ipse est. Et inferius:

Cap. maiores, de bap. & eius effec.

Humana cōiectura.

Magister.

Aug.

Qui cognoſcit fratrem, quem diligit, cognoſcit, & charitatem ipſam: quæ Deus eſt. Idem repetit lib.15. cap. 17. ubi ait. Ita Deus dicitur charitas noſtra, ſicut Deus eſt ſpiritus. Atquè adeo manifeſtum eſt (inquit Magiſter) non eſſe aliam in nobis charitatem, præter perſonam ipſam ſpiritusſancti. Tametſi de reliquis uirtutibus: puta, de fide, & de ſpe, expreſſe in. 3. ſenten. docet eſſe habitus infuſos: ſed hoc ſolũ negat de charitate, & forte de gratia, propter ſuam excellentiam. ¶ At uero hoc idiomate Auguſtini, non modo tunc Magiſter, ſed & nunc plerìquè decipiuntur: ut capite.20. circa iuſtitiam imputatam iterato admonebimus. Fuit enim Auguſt. ab ineunte adoleſcentia Platonis philoſophia intinctus, qui ideas ſeparatas cenſebat eſſe indiuiduorum formas: quas ideas idem Auguſt. agnouit eſſe diuinam ipſam eſſentiam, ut theologi profitentur. Et idcirco cum quicquid in nobis inſit perfectionis, ut ſapientia, iuſtitia, charitas, & id genus reliqua, participatio quædam ſit eiuſmodi perfectionum quæ ſunt in Deo, crebro utitur illo modo loquendi platonico, quòd nos ſimus boni bonitate, quæ eſt Deus, & ſapientes, ſapientia, quæ eſt Deus. Atquè eadem phraſi, ait, charitatem noſtram: uidelicet, qua Deum diligimus, eſſe Deum ipſum: ut fidus eius interpres diuus Tho.2.2. q.23. cognouit. Haud tamen reſpuit, neq; uero denegandum eſt, quin in nobis ſit habitus charitatis infuſus, ut ilico apparebit. Quamobrem iure, & merito repulſus eſt in hac parte Magiſter ab omnibus theologis. Sane, qui de gratia, & uirtutibus tribus ſaltem theologicis (quicquid ſit de alijs moralibus) una mente confitentur, eſſe habitus infuſos. Id quod optima tum ratione, tum etiam ſacrorum elogijs confirmant. Sed ut a rationibus gratiæ, & charitatis exordiamur, uidere eſt primum, quo diſcrimine diſcernantur. Duran.2. ſenten. d.26. non punctim dignoſcit inter gratiam, & charitatem. Quin praue de illis diiudicat: exiſtimans, quod ſicuti gratia ſumus grati Deo formaliter, ita per charitatem, quæ in nobis eſt ſumus illi chari. Quod ſi uerum eſſet, nõ ſolum re, uerum neq; ratione differrent, ſed ſolo nomine, ut ipſe fatetur: imo alte-

Aug. Plato. S. Tho. Theologorũ ſententia. Durandus de gratia et cha.

ta redundaret. Nam esse quempiam Deo gratum, idem est, quod esse illi charum. Est nihilominus per se manifestum interuallum inter gratiam & charitatē, quod gratia est forma, qua dilecti sumus Deo. Et ideo peculiariter dicit̄ gratia non solum quia gratis (ut reliqua omnia charismata) donetur nobis, sed quia nos formaliter Deo gratos reddit. Veluti (ut sic loquamur) qui obiecta sumus dilectionis diuinæ, per quam (quæ sua substantia est) nos diligit. Charitas uero est habitus suffectus nobis ad diligendum Deum. Ita ut per gratiam simus nos chari Deo: non quod per illam nos formaliter diligat (hoc enim facit per suum amorem) sed quod illa nos amādo perfundit, qua dicamur dilecti, & grati sibi. Per charitatē autē nos eum uicissim redamamus, & ipse fit nobis charus. Est enim charitas (ut. 3. lib. de doct. christ. cap. 10. definitor est Aug.) motus animi ad fruendum Deo propter ipsum, & se atq; proximo propter Deum. Vnde grecæ diuersæ sunt uoces χαρις, & αγαπη. Hæc gratiæ, & charitatis differētia, cum probe, & scite perspecta fuerit Scoto in. 2. d. 27. profecto demiror, cur in eādem opinionem deflexerit, quod charitas & gratia sint ijdem prorsus habitus, sola ratione distātes. Nam de Durando, & alijs, quibus hoc discrimen non fuit perspectum, potius mirandum est, cum solo nomine apud illos differant, cur posuerint ulla ratione duas. Expendamus ergo tātisper causas utriusq; opinionis de hoc interstitio gratiæ, & charitatis. S. Tho. existimat duos esse habitus, non rōne modo, sed re etiam distinctos. ut gratia sit forma, quæ dat nobis esse spirituale, & diuinum: utpote, quo sumus formaliter accepti, & grati, eo, quod sumus ab ipso dilecti. Charitas uero est uirtus, quæ nos facit dilectores, amātesq; sui. Prius enim (authore Ioāne apostolo) diligimur, quàm diligamus. Vnde. 1. 2. q. 110. Prius probat, quod gratia sit aliquid in nobis, deinde quod sit distincta a charitate. Ratio prioris membri sumitur ex discrepantia, quam inter gratiam diuinā, & gratiam humanam paulo ante commemorauimus. Sane, quod homo non diligit amicum propter probitatem, quā in eo effecit, sed propter eam quā in ipso apparentem uidet, uel propter quamuis aliam cogitatam causam. Et ideo potest quis

Refutatio Durādi de gratia et charitate.

Scot.

S. Tho. de gratia et charitate.

quempiam habere gratum, et acceptū, sine aliqua bona qualitate, quæ in eo sit. Deus autē neminem diligit nisi propter bonitatem, quā ipse diligēdo ingenerat. Quinimo idipsum quod nos diligit, est, dignos nos facere, & iustos, atq; adeo potentes iusta, iusteq; operandi. Et ideo licet gratia qua sum amico gratus, nihil in me qualitatis addat, ea uero qua sum Deo gratus, qualitas est mihi ab eo infusa. Non concludit ratio necessitatem: neq; uero ullus ambigit, quin absq; ulla infusa qualitate posset nos Deus habere gratos: sed suppositis testimonijs scripturæ: quibus infusio gratiæ insinuatur, ut cap. proximo uidebitur, est optima ratio. Quomodo autē inter gratiam, & charitatem intersit, ex analogia naturalium idē S. Doctor coniectatur. Deus enim non minori prouidētia disponit res gratiæ, quàm naturæ, quinimo multo maiori: in rerum autem ordine naturalium, hoc perspectum nobis est, ut prius res habeant esse per formas, deinde non solum ipsas generali influxu iuuet, & moueat ad agēdum, uerum etiam uirtutes singulis indiderit ad huiusmodi opa, ut sint ipsis naturalia. Hic enim genuinus sensus est illius uerbi Sapiētis, quod Deus attingit a fine usq; ad finem, & disponit omnia suauiter. Nempe, quod cum nihil in uniuerso, neq; folium arboris, nisi ipso cōcurrente motetur, tamen singulis impressit formas, & uirtutes, atq; adeo pondera, quibus unamquanq; rem in suū finem suauiter inclinaret. Pari ergo modo, eo tunc temporis, quo nos iustificat, per suum in nos amorem, gratia nos informat, qua esse nobis diuinum communicat, & ut ait Pet. apostolus, per tale preciosum donum suæ nos consortes diuinæ naturæ efficiat, atq; adeo charitatem, & reliquos operatiuos habitus adhibet, quibus perfecte operemur iuxta cōditionē eiusdem diuinæ naturæ. Et confirmatur adhuc ratio contra Magistrum senten. Nam quāuis nos spiritus sanctus moueat ad uirtutum opera, facit hoc tamen (ut est apud Sapientem) suauissima dispositione. In officijs tamen, & operibus uirtutum naturalium, ut philosophi omnes, & experientia docet, non est perfectum opus, quoadusq; procedat ex acquisito habitu, qui est sicut altera natura. Per habitus enim fiunt nobis opera connaturalia, a[illegible] adeo facilia, quæ ante

2. Pet. 1.

Confirmatio.

Aristo. comparatum habitum erant difficilia. Vnde Arist. 7. physicorum. Virtus, inquit, est dispositio perfecti secundum naturam ad optimum actum eidem naturae conuenientem. Multo ergo magis rationi consonat, ut in operibus gratiae similes nobis habitus spiritussanctus infundat. Quandoquidem nullo nos coactu impellit, sed quae nostra natura est, libere allicit, & appellit ad bonum, atque adeo ad opera gratiae, acsi naturae congruerent, ita dulciter promouet. Hinc sapienter colligit S. Thom. gratiam esse in essentia animae: uirtutes autem in potentijs, ut fidem in intellectu: spem autem et charitatem in uoluntate. Quoniam gratia tantum dat esse supernaturale, per quam prius natura sumus accepti, & grati tanquàm dilecti a Deo. Et deinde sequuntur habitus in potentijs ad operandum digne, uti decet filios Dei. Neque parum lucis adfert analogia, qua S. Tho. 1. 2. q. 110. patefacit, ut charitas, & gratia distinguantur realiter. Sane, quod gratia sit, uelut in naturalibus lumē intellectus. Vnde sicuti habitus naturales sunt uirtutes illae acquisitae ad operandum secundum perfectionem luminis naturalis, ita charitas, & reliqui habitus uirtutum diuinitus infunduntur simul cum gratia ad operādum proportione debita ad illud esse gratiae supernaturale. ¶ Rationes ergo restat ut expēdamus, quibus Sco. & qui ei subscribunt persuasum habent, unum esse habitum, qui & gratia sit & charitas. Sunt enim tres numero. Prima, quod quicquid excellentiae tribuitur gratiae, tribuit̄ & charitati, & ecōuerso. Vtraque. n. diuidit inter filios regni, & filios pditiōis. Secūda, quod utraque est forma aliarum uirtutum: quare neutra pōt esse informis. Tertia, quod utraque cōiungit nos ultimo fini summa coniunctione, quae potest esse in uia. Sed profecto haud est difficile arietes hos authori suo obuertere. Ratio enim rerum, ubi non possunt separari, sumēda est inde, ubi separantur. Inter homines autem gratia, & charitas ita differunt, ut una possit reperiri sine alia. Vsu enim saepenumero uenit, ut quis sit alteri gratus, quem tamen non uicissim diligit, & solet quis alterum diligere, cui non est gratus: ergo quanquàm inter nos & Deū semper maritentur, sintque adeo indiuisae sodales: quoniā, Qui diligit me, inquit, diligetur a patre meo

Gratia in essentia animae.

Rōnes Sco.

tre meo: ratio nihilominus ipsarum diuersissima præ se fert distinctionem realem. Nam etsi utrique tribuatur diuidere inter filios regni & perditionis, diuersissime tamen, & prius natura hoc facit gratia, quàm charitas. Ex eo enim quod dilecti atque adeo grati sumus Deo, largitur nobis habitum charitatis, per quem ipsum redamemus: iuxta uerbum Ioan. Non quia nos prius dilexerimus, sed quoniam ipse prior dilexit nos. Item quàmuis utraque sit forma aliarum uirtutum, & idcirco neutra possit esse informis, tamen in hoc uastissima etiã intercapedine distant. Nam gratia est forma aliarum uirtutum ratione subiecti: charitas uero ratione finis. Quod est dicere. Gratia quia facit hominem gratum, tãquàm obiectum dilectionis diuinæ, facit sequenter ut opera eius sint grata, & accepta Deo: iuxta illud, Respexit Deus ad Abel, & ad munera eius: id est, & ideo ad munera eius. Charitas uero, quia habet Deum immediate pro obiecto, habet & opera aliarũ uirtutũ, ueluti omniũ regina, referre in honorẽ et gloriã Dei. Ac denique, quamuis utraque nos coniungat ultimo fini, & in hoc quoque plurimũ disparantur. Nã gratia est per quã nos Deus sibi amore copulat, gratosque & sibi acceptos reddit: charitas uero, per quã nos ipsum amore prosequimur: iuxta illud Aug. in lib. de mori. eccl. Charitas est perfecta uirtus animi, quę cõiũgit nos Deo, qua ipsum diligimus. Falsissimũ ergo est, quod uel per gratiã amemus formaliter, uel per charitatẽ simus formaliter grati. Quãuis per opera charitatis, tanquam per merita augeatur gratia. Sed & ex huiusmodi augmẽto sumit aliud argumẽtũ, quod charitas & gratia distinguantur, quoniam non eadẽ proportione augẽtur. Quocunque enim remississimo actu charitatis statim crescit gratia. Quoniam cuicunque merito correspõdet certus gradus gloriæ ad quam statim acceptatur homo: & cum per gratiã acceptemur ad gloriam, fit, ut statim augeatur gratia. Charitas uero per actus remissiores ipsa non confestim augetur: ut S. Tho. 2.2.q.24. & theologorum plurimi confitentur. Quoniam habitus operatiui potius dum remisse operantur remittuntur. Quare quantitas gratiæ non sequitur in uia quantitatem habitus, sed actuum charitatis. Sed de hoc non statuimus hic disputare. Accedit in testimonium distinctio-

Argumentum ex augmento diuerso.

nis gratiæ, & charitatis, quòd gratia nusquàm uocatur uirtus, sicut charitas, sed sub diuersis nominibus ubique exprimũtur, ut capite iam proximo patebit, ubi & euidentius cõmonstrabitur, habitus esse distinctos.

De eisdem causis formalibus, quomodo iustificent. cap. 18.

POstquàm uisum est, ut gratia, & uirtutes distinguantur, quod necessarium erat ad intelligendũ modum diuersum, quo ad iustificationẽ concurrunt, duo supersunt de ipsis constituenda. Primũ de intutione, & alterum de ratione formali, qua iustificãt. Et quod sint habitus infusi, quamuis non antea forte ita constanter, tamen a tempore concilij Viennensis pro comperto habetur inter Patres, & theologos, uti illic decretum est. Quod quod plurimis est sacris testimonijs consonãtissimum. Primum est ad
Tit. 3. Titum. 3. Secundum suam misericordiam saluos nos fecit, per lauacrum regenerationis, & renouationis spiritussancti, quẽ effudit in nos abunde per Iesum Christũ saluatorem nostrũ.
Rom. 5. Cuius simile, & illud est. Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per spiritum sanctum, qui datus est nobis. Vox enim infusio, donum aliquod, præter motum Dei, designat, quod in nobis permaneat. Nisi quod primus locus ad gratiã propius spectat gratum facientem. Per misericordiam enim suã saluos nos facere, idem est, quod per charitatem, qua ipse nos diligit. Secũdus uero expresse loquitur de charitate, qua nos
Aug. ipsum diligimus. Ita enim ait de spir. & lit. cap. 32. Aug. Charitas Dei dicta est diffundi in cordibus nostris, non qua nos
1. Ioan. 3. ipse diligit: sed qua nos facit dilectores suos. Tertius locus est in prima Canonica Ioannis. Omnis qui natus est ex Deo peccatum non facit: quoniam semen ipsius in eo manet. Verbum, manet, inhærentis habitus significationem gerit. Et quamuis uirtutes etiamnum semina, bonorum operum, sane quorum sunt principia, dici possint, significantius tamen ac proprius nomini seminis subijcitur gratia, per quã ex Deo Christo nascimur: sicuti naturali semine ex priori Adam. Et præterea, quia gratia est seminatio fructuũ, sane unde opera no-
Ioan. 14. stra sint merita gloriæ. Accedit & illud. Ioan. 14. Si quis dili-

git me, diligetur a patre meo, & ad eum uenremus, & mãsionem apud eum faciemus. Quod ipse idem exponẽs Euãgelista in sua Canonica, ait. In hoc cognoscimus, quod in eo manemus, & ipse in nobis, quoniam de spiritu suo dedit nobis. Cum ergo Deus pręter generalem illum modum, quo ubiq; est per essentiam (ut aiunt) præsentiam, & potentiam, singulariter in nobis, dicatur persistere per suum spiritum, & charitatem, inexplicabilis est modus alius, q̃ p habitus gratiæ & uirtutũ, quibus nos diuinitus informat. Adeo, ut S. Patres nõ uereantur dicere, quod sicut anima est uita corporis, ita & ipse sit uita animæ. Nempe, ut qui manet in charitate in Deo maneat: quadamtenus, ut materia in uirtute formæ, & Deus in ipso, ut uirtus formæ in materia. Eodem pertinet, quod ait Petr. Maxima & preciosa uobis promissa donauit, ut p hoc efficiamini diuinæ consortes naturæ. Et illud Pauli. Quicũq; in Christo baptizati estis, Christum induistis. Indui enim Christum, compingi ei est, ueluti membrum, ut qui in eo renascitur, suam ipsius imaginem moribus exhibeat per gratiã & uirtutes tali genitura susceptas. Et. 2. ad Cor. 1. Deus signauit nos, & dedit pignus spiritus in cordibus nostris. Id quod repetit ad Ephe. 1. ubi ait, Signati estis spiritu promissionis sancto, qui est pignus hæreditatis nostræ. Referta est huiusmodi elogijs sacra pagina. Nam præter hæc de gratia, & charitate, supra cap. 8. de fide plurima adsciuimus: & idem est de spe iudiciũ. Quare de gratia & tribus theologicis uirtutibus summa consensio est inter theologos, habitus esse infusos.

2.Pet.1.

Gala.3.

2.Cor.1.

Ephe. 1.

¶ Atqui maximum argumentũ in hanc sentẽtiam sumitur ex infantibus baptizatis: sane, quos cum uere sanguine Christi geniti sint filij Dei, huiusmodi subsidia in uitam spiritualem, certum est, participare: & cum maturi nõ sint, ut per modum actuum suscipiãt, plusquàm coniectura est, eadem illis impartiri per modum habitus. Vnde cum essent quondam, qui contrarium opinarentur, dicentes paruulos ex eo, quod non sunt habiles, & idonei ad usum eiusmodi habituum, nequaquàm illis infundi, sed tantum recipere remissionem peccatorum, atq; peruenientes ad usum rationis, tunc temporis uirtute characteris eosdẽ habitus recipere, Cõcilium Vien-

Arg. de pueris.

Concil. Viẽnẽse

tatis,ita in eodem instanti temporis protinus subsequuntur alia quatuor,quæ causæ sunt formales diuinitus infusæ:scilicet,gratia remittens peccatum per diuinā erga nos dilectionem,& tres habitus earundem uirtutum,Deū habentes pro obiecto:utpote,quibus in eum digne,et meritorie credimus, speramus,& amorem referimus nostrum. Atqui quo naturæ ordine motiones illæ antecedunt gratiam,eodem prorsus infunduntur,& habitus in eodem instanti: puta,fides,spes, & charitas. Quocirca S. Thom. quem ordinem posuit.3.p.q. 85.arti.5.inter dispositiones nostras ad gratiam cum auxilio speciali, eundem.1.2.q.113.artic.8. disponit in infusione gratiæ, & uirtutum. ¶Sed quantum ad modum iustificandi, prudenter internoscendū est ac dispiciendum, quod quàmuis gratia & uirtutes causæ sint formales iustificatiōis, haud tamen eodem modo,sed longe diuerso. Bifariam enim usurpare possumus hoc quod est nos iustificari:uel potius eiusdē iustificationis duplex est effectus, & ratio. Dicimur enim iustificari,quia nobis condonant̄ peccata,atq; adeo grati,& accepti Deo reddimur. Et dicimur iustificari,quia simul facultatem accipimus ad faciendū iusta. Primū gratiæ p se formalr̄ attribuit̄:alterum uero charitati,& reliquis uirtutibus. Quamobrem, quicquid sentire libuerit de gratia, & charitate, sint ne una,an plures res, non est uel sentiendum, uel affirmandum iustificari nos in primo sensu: id est, a peccatis liberari per charitatem nobis infusam, nisi forte ut effectus est, & minister gratiæ:ut statim dicturi sumus. Nam illa (quatenus charitas est) non est, qua a Deo diligimur: sed qua ipsum diligimus. Et tamen non ignoscit nobis Deus delicta per hoc,quod ipsum diligimus, sed quia teste apostolo Ioanne, prior ipse diligit nos, infundendo gratiam, qua dicimur dilecti: tanquàm obiecta (ut sic dicamus) dilectionis erga nos suæ. Porro idem docet Paul. ad Ephes. ubi ait, quod Deus prædestinauit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum, secundum propositum uoluntatis suæ (non ergo nostræ)in laudem gloriæ gratiæ suæ: in qua gratificauit nos in dilecto filio suo. Quem sermonem exponens Aug. de prædest. sanct. cap. 18, æstimate

Ordo.

S. Tho.

Modus.

consyderat illud uerbum, Secundũ placitum uoluntatis suæ? Ne in tanto (inquit) beneficio gratiæ Dei placito gloriemur uoluntatis nostræ. Et præterea contemplatur, quomodo in uoluntate sua gratificauit nos. Dictum est enim (inquit) gratificauit, a gratia. Hæc Aug. Colligamus ergo, quod sicut in prima iustificatione, qua constituimur ex iniustis iusti, non iustificamur per nostrã iustitiam, ita neq; merito amoris nostræ uoluntatis: etiam si a Deo sit infusus, sed per gratiam uoluntatis suæ. Iustificamur autem per habitus primum cooperando nostræ iustificatiõi: deinde ut iuste, id est, digne & meritorie credamus, speremus, & amemus, ac deniq; operemur: quod quiuerat nemo ante gratiam. ¶ At uero ad pleniorem rei huius intellectum, notãdum est: primum, quod alia ratione charitas, quàm gratia opponitur peccato. Charitas enim aduersatur illi, sicut amicitia inimicitiæ in eodem subiecto: Qui enim diligit Deum non offendit ipsum. Gratia uero & peccat inũtrinseca rõne formali contraria sunt, tanq; diuersa obiecta respectu Dei. Existere enim hominem in peccato, est ingratum esse, inuisumq;, & offensum Deo: esse autẽ in gratia, est esse gratum Deo, & acceptum. Quoniã intrinseca ratio peccati non consistit, ut nõnulli cogitant, in hoc, quod sit acceptum ad pœnã: ille enim est eius effectus. Sed quàmuis nullum in peccatorem decretum esset supplicium, qui fecisset contra eius uoluntatem, ingratus illi esset. Quo fit ut gratia gratum faciens ex diametro opponat̃ peccato, atq; adeo formaliter per modum contrarietatis expellat ipsum, ut author est S. Tho. 1. 2. q. 113. artic. 2. Neq; aliter profecto expelli põt. Non dico ita necessariam esse gratiam, ut sit qualitas, nam si ne illa potuit nos Deus facere gratos, sed loquendo (ut aiũt) formaliter de gratia, nihil aliud est Deum nobis peccata remittere, quàm in suam nos gratiam recipere. Scio Scotum in 4. d. 1. q. 6. & d. 14. et. 16. contrarium opinari de potentia saltẽ Dei absoluta. Quia sicut potuit, inquit, creare hominem in meris naturalibus sine gratia & peccato, ita potest & peccatum taliter remittere, ut restituatur sine gratia ad pura naturalia. Sed profecto contrarium est multo probabilius. Nempe, quod quàmuis possit homo condi in naturalibus, tam cul

Charitas & gratia oppo. peccato.

Rõ peccati.

S. Tho.

Scotus.

pà,quàm gratia uacãs(quod est medium inter ista cõtrària) in quo homine,ut primum peccatum nullam expelleret gratiam,ita neq; si primum reciperet gratiam,illa depelleret peccatum,tamen postquàm quis illud commisit, certe male est intelligibile, quod possit remitti, nisi per dilectionem, qua Deus eum diligat,qui sibi erat offensus,atq; adeo per hoc,q recipiat eum in gratiã. Est ueruntamen de potentia Dei absoluta uanum disputare. ¶ Vt ad rem igitur redeamus. Secũdo notãdum est,quemadmodum gratia prius natura infundatur,quàm uirtutes. Nam per hoc,quod nos Deus diligit, confert nobis omnia bona. Quod est ualidissimum argumẽtum,gratiã a charitate distingui. Si enim gratia prius infundit,quàm fides,& fides quàm charitas,quomodo gratia põt esse idem,quod charitas? Profecto facilius adduci possem,ut crederem, gratiam,nullam esse qualitatem distinctã, quàm ut opinarer,eãdem esse,quæ charitas. Pari iam facilitate Melanthon,& reliqui,aiunt,gratiam non esse charitatem,sed fidem. Quod plane,etiam si opinio sua uera esset,quod sola fide iustificamur,falsum nihilominus esset. Quoniam si fides est,per quam apprehendimus misericordiam, eadem est per quam apprehendimus gratiam,atq; adeo fides nõ est gratia ipsa. ¶ Tertio hic tandem,quo de causis iustificationis summum addamus uerbum: consyderate cernendum est,quo se habeant modo,naturales dispositiones ad causas formales. Et primo,utrum idem sit motus dispositionis ad gratiam,& quo nos Deus iustificat. Atqui secundum Scotum, & illos qui introducunt meritum congrui,nulla est difficultas:quoniam motus dispositionis est a facultate ipsa,& uigore naturæ per solũ concursum generalẽ Dei:post quem Deus per se solus infundit gratiam iustificãtem. At uero si uerum est,qđ supra cap.3.cõstituere nitebamur:scilicet,quod dispositio ipsa est motus Dei peculiariter nos trahentis,dubium est, utrũ Deus infundendo gratiam moueat nos simul ad recipiendũ eam,uel prius nos moueat,quàm infundat. Et ratio dubitãdi ex una parte est, quod dispositio debet præcedere formã, Et ita S. Tho.1.2.q.109.ar.6.dicit,quòd præparatio ad gratiã fit per auxilium speciale,quasi sit alius motus præuius. At uero

Gratia prius natura.

Fides est gratia.

Ordo cãrũ mate,ad for.

ex altera parte difficile est explicatu, postquàm dispositio, & ipsa iustificatio eodem momento fieri possunt per infinitam uirtutem Dei (ut author est idem S. Thom. eadem. 1.2.q.113. ar.7.) quomodo eodem pũcto temporis possibile sit, ut prius ordine naturæ sit motus dispositionis, quàm infusio gratiæ. Et augetur dubium ex dictis eiusdem in eadem q. proxime citata, ar.6. ubi ait, quod iustificatio est quidam motus, quo anima mouetur a Deo ad remissionẽ peccati. Ad quã proinde quatuor requiruntur: scilicet, gratiæ infusio, quę accipitur ex parte motionis diuinæ: secundo motus liberi arbitrij per fidem in Deum: tertio motus eiusdem liberi arbitrij in peccatum: & quarto tanquàm effectus est remissio peccatorum. Et idem expressius adhuc reperit ar.8. dicens, quod Dei mouentis motio est gratiæ infusio præcedẽs motus nostros. Ex quibus uerbis cõsequens apparet, dispositiões illas liberi nostri arbitrij nullatenus præcedere infusionem gratiæ. Et pręterea colligitur, quod non est aliud auxilium speciale, quàm ipsa infusio gratiæ. Ecce, quod Protestãtes initio execrari cœperunt in doctrina scholastica: scilicet, quod per eam theologia iustificationis in istos anfractus philosophiæ conijceretur, ubi non potest plane intelligi: cum tamen res est, quæ plebibus plana, ac peruia deberet esse. ¶ Ad hoc tamẽ, quia punctum hic delitescit huius controuersiæ, per dispositas propositiones, ex ordine respõdebimus. Primum, non sunt omnia mysteria populis prædicanda, & euulganda, quæ in scholis utiliter discutiuntur. At sunt nihilominus nonnulla creditu necessaria in materia iustificationis, quæ nequeunt, nisi ꝑ philosophiam explicari. Prædicãdum inquàm, plebi est, qđ ut nemo rationis compos ualet, nisi per gratiam Christi iustificari, ita nullum Deus ui cogit, sed iuxta suam naturam libere ad se trahit. Et præterea, quod cum sit uirtutis infinitæ, subito potest honestare pauperem, hoc est, simul & cor hominis emollire, & a peccato diuellere, atq; sibi per gratiã reconciliare. Et hoc satis est, populus auscultet & credat. Maiores autẽ, qui expositi sunt, ut rationem reddant eius, quæ in nobis est fidei, nihil aliud quàm operæpretium faciunt, si ꝑ philosophiam, licet non uulgo, sapientibus tamen explicare student,

Solutio qõnis. 1. Propositio.

dent,quemadmodũ in uno instanti hæc cohæreant,ut a Deo moueamur,& simul eius recipiamus gratiam. Sicuti iam ipse Bucer. fatetur pœnitentiam ordine naturæ præire gratiæ per instinctum spiritussancti. Sit ergo secunda propositio. Auxilium speciale, per quod disponimur ad gratiam, nonnunquàm potest tempore ipsam præcedere. Diximus enim paulo ante præparari nos quandoq; a Deo gradatim anteq̃ perueniamus ad ueram contritionem, quæ est dolor peccatorum propter Deum. Eodem enim instanti, quo per motum specialem Dei hæc fit, infunditur gratia. De alijs ergo dispositionibus tẽpore præcedentibus liquidum est, ut sint diuersi motus per auxilium speciale ab infusione gratiæ, sed de uera contritione, quæ simul fit cũ infusione ipsa, qualis (exempli gratia) fuerit conuersio Pauli, submittam tertiam propositionem, quam fuisse arbitror, & mẽtem S. Thomæ, & omnino rei ueritatem. Nempe, quod Deus infundendo gratiã simul mouet, ac præparat liberum arbitrium ad acceptandum. Verba sunt S. Thomæ, q. iam nunc citata, art. 3. Atqui parum refert, sint ne duo motus, an unus, quo nobis, & gratiã infundit, & auxiliatur, ut moueamur in ipsum, eundẽ acceptantes, & recipientes. Quamobrem motus liberi arbitrij non præcedit gratiã simpliciter ordine naturæ, sed cum limitatione: id est, in genere causæ materialis. In genere enim causæ efficientis, gratia præcedit. Appositissimum arbitror exẽplum de uento, qui dum impetu ingruit in fenestrã clausam, intrando aperit, & aperiendo intrat. Nihilominus in genere causæ efficientis, non quia aperit intrat, sed motu quo intrat, aperit. In genere autem causæ materialis, prius natura est apertio: quoniam nisi aperiretur fenestra, aula non reciperet uentum. Ita ergo in proposito non est intelligendum, quod prius natura simpliciter, in genere causæ efficientis moueamur a Deo, quàm gratia infundatur, sed infundendo mouet nos, ut recipiamus. Et hic est sensus uerborum S. Thomæ eodem arti. 8. ad 2. argumentum, ubi ait, quod dispositio respectu subiecti præcedit receptionem formæ: & hoc modo dispositiones præcedunt gratiam: si tamen consyderemus ex parte agentis, prius natura est infusio gratiæ, per

2. Propositio.

Simul gratia et præparatio.

Simile a uento.

quam mouet subiectũ, ut recipiat. Atq; idem est, quod aiunt philosophi, formã substantialem secum adferre suas dispositiones: ut forma ignis substãtialis secum adfert calorem, qui manet in igne genito. Nam quæ præcesserunt in aqua, ipsa corrupta, corrumpuntur: si accidentia sint in toto composita.

An fides sit causa formalis

¶ Per hæc soluitur insigne dubium, de quo nõ parua fuit disputatio inter theologos Concilij, an fides, spes, & charitas, quæ infunduntur in iustificatione, sint censendæ causæ formales iustificationis. Atq; adeo, ubi ait Paul. Arbitramur iustificari per fidem, utrum fidei nomen designet causam formalem, an uero solam dispositionem. Ad hoc inquàm dubiũ egomet mihi ita respondeo. Inprimis gratia ipsa, ut monstratum est, proprissime est causa formalis iustificationis, qua scilicet, remittunẽ peccata, et ex iniustis efficimur iusti, atq; adeo denominamur, & sumus accepti Deo ad uitam æternã: tanquàm filij, ad hæreditatẽ. Habitus autem uirtutum: puta, fidei, spei, et charitatis, nullatenus isto modo sunt causa formalis, non solum quod posterius ordine naturæ infundantur, quã gratia, sed quia per se ipsi, nec remittunt culpam, nec faciunt hominem gratum, sed solum facilem, quinimo potentem ad credendum, sperandum, & amandum digne, & meritorie.

Arist. de iustitia.

Qua rõne proprissime dicũtur inhærens iustitia. Est.n. iustitia authore. 5. ethi. Arist. uirtus, qua quis aptus est, & propensus ad ea facienda omnia, quæ iusta sunt. At uero de actibus

Actus uir. cau. sæ for.

earundem uirtutũ dubitatio est, an causæ censeri possint formales remissionis peccatorũ. Potest enim cuipiam forte probatior apparere pars negatiua: eo, quod eiusmodi actus præcedant gratiam in genere causæ materialis. At uero cuiuscunq; scholæ sequamur uiam, citra controuersiam consentiẽdum est, actus uirtutum esse modo quodam causas formales remissionis. Non principales, & per se, sed tanquàm ministri seu instrumenta gratiæ. Nemo enim theologorũ negare potest, quin contritio: puta dolor, quatenus gratia informatus,

Scotus.

sit causa remissionis peccatorum. Neq; id Scotus negasset, quoniam pœnitentia est uirtus remittendi peccata. Attamẽ

S. Tho.

in uia S. Thomæ res est dilucidior. Nam actus ipse cõtritionis: puta dolor propter Deum, in genere causæ efficientis se-

quitur gratiam. Vnde eadem.q.113.arti.3.ubi ait,iustificationem impij fieri,Deo mouente hominem ad iustitiam, clare docet,motionem liberi arbitrij esse causam formalem remissionis.Et arti.6.dicit praeire infusionem gratiae:deinde sequi naturae ordine motus liberi arbitrij in Deum per fidem: tertio in peccatum:& tandem quarto est consummatio seu peruentio ad terminum motus,qui est remissio peccatorum. Et in.3.argumento expresse ait,quod remissio peccatorum consequitur motum liberi arbitrij in Deum,& in peccatum,tanquàm effectus ad causam.Idemq; repetit ar.8.Est ergo actus fidei,& eadem ratione,spei,& charitatis:scilicet,poenitentiae, cã formalis:p quas uirtutes gratia operat̃ ad remittendũ peccata.Atqui si quis haesitauerit,utrum sit prius gratiae infusio & uirtutum,an remissio peccati. Videtur enim ex una parte infusio praecedere,quia est causa remissionis:ex altera remissionẽ fieri prius,quia peccatum contrariatur gratiae S.Tho. ibidem optime respondet, quod quemadmodum in naturalibus, dum sol illuminat aerem, ex parte quidem subiecti aeris,prius natura est purgari a tenebris,quàm lumen recipere:sed ex parte agentis econuerso,prius natura est illuminare.Nam per lumen expellũtur tenebrae. Quinimo quo ad substãtiam unus sunt motus. ¶Per haec compertissimum, & constitutissimum sit principale propositum huius nostri instituti, quod cap.12.coepimus explicare:scilicet, quomodo id quod nos iustificat, est FIDES, QVAE PER CHARITATEM OPERATVR. Nam cum iustificatio sit motio ad iustitiã,motio illa incipit simplr̃ a Deo per infusionem gratiae, sed primus in nobis uirtutis motus,quo a Deo eidem gratiae recipiendae admouemur,est fidei,ingenerantis,mox spẽ, deinde charitatem detestantẽ peccata,quae ultima est dispositio & uirtus eiusdẽ gratiae ad remouendũ peccata. Secundo constat,ut actus ipsi p quos mouente Deo iustificamur,sunt meritorij de condigno,non quidem gratiae,ordine naturę praecedentis,sed tamen gloriae,ad quam per eandem gratiam acceptamur:ut author est S.Tho.1.2.q.12.arti.2.ad.1. arg. &.q.113.ad tertium.Itaq; gratia non est merces operũ, ut ait Paul. sed tamen gloria est merces.Licet dicatur etiam gratia, quia

Vtrum prius gratia, an remi.

Fides, quae per charitatẽ opat̃.

Dispositiões meritoriae.

S.Tho.

Deus dat nobis, uelle, & operari. Gratia enim eodem instanti, quo infunditur, operatur, ut ait ibidem S. Tho. Tertio patescit, quomodo attritio proprie nunquàm fit cõtritio, ut ipse ait in. 4. d. 14. q. 2. arti. 1. quia ille dolor propter Deum, si fit per auxilium speciale, nunquàm fuit attritio: si autem non fuit propter Deum, nunquàm fit contritio ex obiecto: quia idem actus numero non mutat obiectum, nisi dicatur extrinsece contritio, adueniente gratia. ¶ Elucet ex his tandem intellectus confessionis S. Synodi Triden. cap. 7. ubi fidem, spem, & charitatẽ posuit in causis formalibus. Si enim referatur ad habitus, uerissimum est, quia per illos efficimur formaliter potentes meritorie faciendi iusta, & si ad actus, per illos etiam modo exposito formaliter iustificamur: sed de Synodo adhuc paulo post explicatius.

Attritio nõ fit cõtritio.

Synod. Triden.

De causis formalibus iustificationis aduersus Lutheranos. cap. 19.

Causis itaque iustificationis ex catholicorum theologia, ut antiqua, ita probatissima, constitutis, de quarum ratione haud grãde inter ipsos dissidiũ est, agẽda iam res est cum aduersarijs. Animaduertẽda enim tria dogmata sunt, & expendẽda, quæ de causis formalibus prædicant. Primum dicere pertendunt, quod nõ ita remittuntur in iustificatione peccata, ut tollantur: sed solum quod a Deo non imputentur. Secundum quod nulla in nobis inest iustitia formaliter, per quam simus iusti: id est, accepti Deo, et digni uita æterna. Et tertium, quod omnes quotquot fuerunt, eruntque iusti post peccatum Adæ, tales sunt formaliter per iustitiam Christi, quæ omnibus imputatur, ut singulorum propria. Primum quidem punctum, quatenus ad peccatum originale spectat, patentissimum est apud ipsos, ut libro priori cap. xi. et. xij. uisum est. Puta, non ita remitti in baptismo, ut prorsus tollatur. Sed de actualibus uarie, & lubrice loquuntur. In colloquio Vuormatiensi dissimilem statuebant rationem, inter originale, & actuale. Nẽpe, quod actualis culpæ cum actu transeat, non manet nisi reatus: quo soluto, nihil restat peccati. Imo neque reatus ullus pœnę. Nã aiunt, per fidem simpliciter peccata condonari. Sed de peccato ori-

Tria Lutheranorum dogmata.

Colloquium Vuor.

ginali, diluto per baptismum reatu, manet actu insultus ille concupiscentiæ, quem dicunt esse Deo odibile peccatũ. Attamen in alijs locis, idẽ uident de actuali, quod de originali, iugiter enim glossant remissionem peccatorum, & iustificationem, per hoc, quod fide iusti reputamur propter Christum. Verba sunt in apologia augustana, arti. 6. de iustificatione. Placet obedientia (uidelicet iustificatorum) erga legem, & reputatur quædam iustitia. Et Melanthon in apologia identidem replicat, quod ꝙꝙ in iustificato sit renouatio inchoata, tamen hærẽt adhuc in natura reliquiæ peccati. Et rursum. Hęc inchoata legis impletio placet Deo, quia propter fidem in Christum non imputatur nobis hoc quod deest impletioni legis. Et in libello imperatorio, ubi limatius uidentur loqui, adhuc inculcãt uerbum reputari. Aiunt enim. Et sic fide in Christum iustificamur, seu reputamur iusti. Idem in Concordantijs Bucer. & super Paul. Rom. cap. 2. Et Luther. arti. 2. generaliter dicit, quod non est idem, peccata remitti, & peccata tolli. Atqui cum dicant in omni opere bono iustum peccare (de quo lib. 3. differẽdum nobis restat) manifeste ex ipsis colligitur, nullum simpliciter esse iustum apud Deum: sed id tantum uenire nomine iusti, quod Deus propter suam misericordiam non imputat nobis peccata nostra. Si enim officia, quæ in gratia facimus, peccata (ut aiunt) de se omnia sunt, consequens fit, ut neq; peccata uere remittantur, sed tantum, non imputantur. Et hac de causa tanti isti faciunt acceptionem illam tertiam iustificationis, quam nos supra explicuimus. Nempe, quod dicatur quis iustificari, dum iustus pronunciatur. Quo nimirum uerbo creberrime utuntur, ut sub quo uenenum abscondãt. Videlicet, quod uti iudices humani iustos sæpe legitime eos pronunciãt, qui uere nõ sunt tales, ita sit apud Deum. Atq; adeo in hoc sensu legũt illud, Beatus uir cui nõ imputauit dñs peccatum. Et, Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiã: et his similia. Atq; ideo nobis imponunt, ac improperãt, qđ censeamus nõ indigere misericordia, & gratia Dei, nisi in primo puncto iustificatiõis. Quia docemus opera iustificati nulla opus habere remissiõe, Hoc aũt punctũ non est, cur nos hic diu remore-

Melanthon.

Iustificari, id est, non imputari.

tur: sane, quod satis discussum, excussumque à nobis est loco citato. Vbi testimonijs satis multis, & plane firmis scripturæ, sanctorumque attestationibus, & rationibus manifestis demonstrauimus, quàm fiat per baptismum plenissima remissio, nō solum originalis, sed & actualis peccati. Nec minus pleniter fit per pœnitentiam. Nisi quòd non semper pœnæ omnes, & supplicia, quæ debentur temporaria, condonantur. Enimuero, dicere Deum peccata remittere, non tamen prorsus tollere, hominis est, uocem remissionis, ignorantis. Non enim remittere, in Deo est imminuere, sed penitus condonare, atque ita ignoscere, ut non magis deinceps agnoscat, quàm si nunquam fuissent commissa: iuxta illud, Omnium iniquitatū eius non recordabor. Cum enim offensa in Deum solum committatur, si ipse parcit, nihil restat unde aliqua possit extare ratio culpæ. Et quod loco citato dicebamus, identidemque aduersus istos inculcandum est, dum ab hac uerborum repugnantia non desistunt, contradictoria dicit, qui ait, manere peccatum, & non imputari a Deo. Nulla etenim excogitari pōt ratio culpæ, quā summa illa bonitas non odio habeat: eo qd' culpa id sonat, qd erratū cōtra eius uolūtatem. Si aūt odio habet, quō esse pōt, ut nō ab ipso reputet malū. Imo idipsum est, odio habere, qd imputare. Inuertamus ergo argumentū. Deus ita remittit peccatū, ut odium penitus deponat, quod habebat in iniquum, & suam iniquitatē: ergo ita remittit, ut rationem ēt culpæ prorsus abstergat, & tollat. Et confirmatur. Deum nō imputare peccatum (ut. 1. 2. q. 113. arti. 2. ait S. Tho.) ex diuina dilectione procedit, quod autem Deus eum diligat, in quo ulla superest ratio mortalis culpæ, contradictio est: tali ergo implicatur, qui dicit peccata manere, sed non imputari. Nō legerunt isti forsan in lib. de perfectione iustitiæ Augustinū. Cuius uerba sunt. Certe iustus est Deus: negari non potest. imputat autem Deus homini omne peccatum: quia neque peccatum est, quicquid non imputabitur in peccatum. Collige ergo, qualiter qd Deus non imputat, id facit, ut peccatū non sit. Vnde praue in præsentia utuntur illo tertio significatu iustificationis, pro eo quod est, tantum pronūciari iustum. Mortaliū quippe iudices, quibus abdita cordium iudicare non incum-

Idem remittere, qd peccata tollere.

Cōtradictio.

S. Tho.

Aug. de perfec. iustitiæ.

Praua usurpatio huius qd est iustificari.

bit, sed secundum humana testimonia, causarum merita cognoscere, dicuntur iustificare reum, quando ipsum absoluũt: etiam si maneat corã Deo in culpa. Et ita usurpatum est uerbũ in illo Prouerbiorum. Qui iustificat impium, & qui condẽnat iustum, abominabilis est uterque. Sed tamen apud Deũ, qui penitissime intuetur pectora nostra, nulla est iustificatio, ubi non sit omnino deletio culpæ: alias fictio esset, & non ueritas, quam tamẽ asseruit Christus: ubi ait. Pater sanctifica eos in ueritate, sermo tuus ueritas est. Et, Si filius uos liberauerit, uere liberi eritis. Ex quibus ueritatis uerbis infert Apostol. quod nihil nunc damnationis est ijs, qui sunt in Christo Iesu, qui non secundum carnem ambulant. Neque uerum tũc esset, quod ait Ioan. Scitis, quia ille apparuit, ut peccata tolleret. Et, Ecce agnus Dei qui tollit peccata mundi. Atque adeo illud, Videte qualem charitatẽ dedit nobis pater, ut filij Dei non nominemur modo, uerumetiam uere simus. ¶ Iam uero de peccatis actualibus ualidiora quædam argumẽta sunt, quam de originali. Primum, quod cum transeãt actu, & maneãt solo reatu, illo remisso. nihil fit reliquũ peccati. Mox, quod remittitur speciali ope Dei conuertentis nos. Admirãdi enim sunt homines isti defẽsores gratiæ Dei, ut nõ uideãt, quam ei ipsi iniuriã imprudẽtes irrogant. Cum enim Deus speciali fauore, & adnixu nos cõuertat (quia, Nemo inquit, potest uenire ad me, nisi pater meus traxerit eum) quomodo non erit tam potẽs reuellere animum nostrum ab illo bono cõmutabili, & ad se conuertere (quod est culpam tollere) quàm fuit liberum nostrum arbitrium ad auertendum se ab eo? Quod si actualem culpã (quod negare non possunt) concedãt omnino tolli, dum remittit̃, idem conuincuntur, & de originali fateri. Nã & remissio illa a Deo quoque est per Iesum Christũ. Igitur uerba illa, Beati, quorum tecta sunt peccata, & quibus non imputauit dominus peccatum. adeo non insinuant ullũ superesse in homine peccatũ, quod Deus celet, aut quod imputari posset, ut intelligentibus naturam infinitæ suæ bonitatis & ueritatis, euidentissime demonstrent, idem pollere tecta esse, & non imputata, quod funditus esse abolita. Nam si uel minima inesset ratio culpæ, nunquàm illam aut supre-

Testimonia scripturæ.

Alia argumẽta.

ma bonitas contegeret, aut summa ueritas non imputaret. Etenim misericordia (inquit Propheta) & ueritas obuiauerunt sibi: id est, Misericordia, & iustitia inseparabiliter sunt complexae. Et ideo licet misericordia eius praeueniat nos: ita tamen ut uoluntatem nostram excitet ad faciẽdum iustitiam, & iudicium. Videlicet, ut per poenitentiã, quod opus est, & suum operantis, & nostrum cooperantium, culpa expungatur, ac deniq; poenitentiae fructibus debitorum reliquiae persoluantur. Optime ergo confessum modo est a S. Syno. ses. 6. cap. 7. quod cum iustificamur, non modo reputamur, sed uere iusti nominamur, & sumus. ¶ De secundo etiam articulo, nimirum de iustitia inhaerente, uarie etiã sunt Lutherani locuti. Neq; unus sensus est negantium inhaerentem iustitiam: sed certe duplex. Id quod attentione consyderandum est. Nã uoce iustitiae inhaerentis, non tantum infusos a Deo habitus, uerum & actus ipsos, quibus nutu & motione spiritussancti probe operamur, possumus cõcipere. De habitibus apud istos nullus habetur sermo. Quin fidem, qua iustificamur nõ agnoscunt esse habitum quiescentem: sed actũ, & apprehensionem misericordiae Dei, quàmuis actum ipsum ait ar. 1. Luthe. a solo Deo infũdi. Neq; nomine gratiae aliud intelligũt, quàm per aduerbium gratis. Licet iam incipiãt dicere, quod eadẽ fides sit gratia. Neq; de charitate aliud explicant, quàm quod ait Paul. diffundi in cordibus nostris. Quin frequẽtius utuntur modo loquendi Magistri: scilicet, quod spiritussanctus datur. Et licet in libello imperatorio fateantur, infundi charitatem, nihil tamẽ neq; libellus, neq; Bucer. in apologia meminerunt de habitu. Et Melanthon in apologia iustificationis, hoc nostrum irridet habituum figmentum. Porro autem hac ratione negare iustitiam inhaerentem, ut supra dicebamus, non esset quidem apertissima inficiatio scripturae sacrae, Quare S. modo Syno. uerbum habitus, subticuit. Esset nihilominus temeritatis insignis, non solum S. Patrum, atq; omnium theologorũ sententiae (ut habetur in concilio Viennensi) absq; ulla ratione et causa obuiare, uerum Synodo ipsi idem censenti, tanquàm magis & scripturae consonum, & probatum Patribus. Attamen non solum huiusmodi habitualem

Synod. Triden.

De iustitia inhaerente.

Synod. Triden.

bitualem iustitiam, uerum neq; illam, quæ est in actionibus ipsis adamussim confitentur. Aiunt quidem (uti supra retulimus) actum pœnitentiæ esse ex motione spiritussancti, & charitatem infundi nostræ sanādæ uoluntati, ut possit inchoare iustitiam operum. Sed per hæc tm̄ uerba hoc penitus largiuntur, quod insit iustificatis quædam iustitia imperfecta, & inchoata: uidelicet, opera, quibus non prorsus satisfacimus iustitiæ, & præceptionibus Dei. Quia in hac uita, dicunt, non possumus ad iustum, implere præceptum illud dilectionis Dei super omnia. Et idcirco quocunq; opere peccamus, tanquàm omissione aliqua illius præcepti. Et hac de causa dicitur iustitia imperfecta. At quia paulatim crescit, quoadusq; perficiatur in patria, appellatur iustitia inchoata. Sed huic controuersiæ de imperfectione, inchoationeq; iustitiæ libro. 3. dicatus est locus. Hic autem de inhærente iustitia hanc saltem conclusionem statuimus, quin ex monumētis Patrum, & Ecclesiæ sanctionibus secundum testimonia sacræ scripturæ fixum semper, confessumq; orthodoxis monstrare adornamus. Nempe iustitiam Dei, id est, quæ effectus eius est, nobis inhærere. In hoc sensu, quod præter generalem eius influentiam, qua uniuersum gubernat, speciali nos fauore, & numine adiuuat, ad sua ipsius iussa digne faciendum. Itaq;, siue hoc fuerit per habitus infusos, siue per actualem succursum, hic tamen fidei articulus ē, quod operum iustitia, quę nos facimus sua ipsius est, peculiari nos subsidio permouentis. Est. n. cumprimis cōdēnatio Mileuitani Cōcilij sub anathemate can. 3. gratiam, qua iustificamur per Iesum Christum dominum nostrum ad solam remissionem peccatorum ualere, quæ iam cōmissa sunt, non etiam in adiutorium, ne cōmittantur. Et can. 4. et. 5. explicatius quoq; subscribitur, gratiam Dei non solum esse necessariam ad intelligentiam mandatorum, sed etiam ut quod faciendum cognouerimus, etiam facere diligamus, atq; ualeamus: neq; solum ut facilius possimus, sed simpliciter, ut legem possimus implere, gratiam cælitus debeamus postulare. Est ergo confessio catholica, gratiam Dei (utcunq; id fuerit) nobis inesse, seu in habitu, seu in actu. Et ita semper intellexit ecclesia. Si-

Cōclusio.

Cōciliū Mileui.

Testimonia scripturæ.

ne me nihil poteſtis facere. Et non ſumus ſufficientes cogitarē aliquid a nobis, quaſi ex nobis: ſcilicet, de ſpeciali auxilio. Et, Deus eſt qui operatur in uobis uelle & perficere pro bona uoluntate. Et, Gratia dei ſum id quod ſum: gratia autē eius in me uacua non fuit, ſed abundātius illis omnibus laboraui, non ego ſolus, ſed gratia dei mecum. At gratiam iuſtificantem, per quam ſumus, id quod ſumus, manere in nobis ad opera, quæ non ſunt ipſius tantum, ſed ipſius cum libero arbitrio, conſtitutiſſimū, & S. Patribus ſanctiſſimū eſt. De quo lib. de gra. & lib. arbi. cap. 4. Auguſt. Homo ergo gratia iuuatur ne ſine cauſa uolūtati eius iubeatur. Vnde Pſalmiſta, A diutor meus eſto, ne derelinquas me. Quod optime obſeruans illic. cap. 6. ſubdit, neceſſarium eſſe homini, ut gratia dei non ſolum iuſtificetur impius: id eſt, ex impio fiat iuſtus, ſed etiam ne derelinquatur: ut iuſtificatus ambulet cum illa gratia, & incumbat ſuper ipſam ne cadat: iuxta illud Canticorum 8. Quæ eſt iſta quæ aſcendit dealbata, incumbens ſuper fratruelem? Hanc inhærentem iuſtitiam bipartito explanauimus: conſultiſſimam determinationem ſanctæ præſentis Synodi Tridētinæ exponentes cap. 7. Vbi anathema eū cenſet, qui inhęrentē iuſtitiā non cōfiteat. Nempe auxilia quæ uirtute baptiſmi & iuſtificantis gratiæ deus impendit iuſtificatis ad operandum. Et ideo quicquid ſit de habitibus, hæreticus exhinc habendus eſt, qui iuſtitiam inhærētem negauerit. Atq; quis nomen habitus ſubticuerit (quia nō duxit illos ſub anathemate ſancire) tamen utendo nomine infuſionis fidei, ſpei & charitatis, & appellando inhærentem iuſtitiam, ſtolā primā reſtitutam pro illa quam Adam perdiderat, probatiſſimum habet, auxilia huiuſmodi nobis ferri per infuſos habitus, quibus Chriſtum induimus: adeo ut ingentiſſima iam ſit temeritas habitus negare.

Aug.

Synod. Triden.

De iuſtitia Chriſti imputata nobis cap. 20.

Hac deniq; bipartita ratione inhærentis iuſtitię informati, paratiores in litem deſcendimus, quā nobis inferūt Lutherani de imputatiōe iuſtitię Chriſti, deq; imperfectiōe et inchoatione noſtrę. ¶ Tertium enim punctum, quo a nobis de formali iuſtitia diſſidēt,

est, quod iustitia per quam sumus formaliter iusti,nõ sit iustitia,quæ nobis inest:sed illa, quæ formaliter inest Christo: quę quidem nobis imputat̃,acsi eandẽ nos ipsam fecissemus. Quod uerbum popularissimum est,& quod in cortice auditum,non potest non esse plausibile. Nihil enim aliud primo sonitu præ se fert,q̃ quod opera nostra non sunt causa & merita nostræ ipsorum iustificationis,quod nihil magis dici potest orthodoxum & sanctum. Sed tamen perq̃ necessarium est ꝑspicere quam isti religionẽ abdunt sub nomine imputatæ iustitię Christi. Quod uerbũ,mihi semper suspectum, in suspitionem detuli coram sancta Synodo: prodens, quanta qualiaq; isti conficiant ex hac sua imputata iustitia. Quæ postea alij,me peritiores, diligentiore disputatiõe perpenderũt. Vt autem q̃ plurima istorum uerba quibus locum hunc ubiq; muniunt,transmittamus,in libello imperatorio Ratisbonę exhibito,articulo. 5.ita suam inhęrẽtem iustitiam,quasi ultimam uoluntatem, proferunt. Etsi autem (inquiũt) is qui iustificatur,iustitiam accipit & habet per Christum, etiã inhærentem,tamen anima fidelis huic non innititur, sed soli iustitiæ Christi nobis donatę, sine quo omnino nulla est,nec esse potest iustitia. Et sic fide in Christum iustificamur,seu reputamur iusti:id est,accepti per ipsius merita:nõ propter nostram dignitatem aut opera. At propter inhærentem iustitiã eo iusti dicimur,quia quę iusta sunt operamur. Quin ex nostris etiam Pighius,ubi de causa formali loquitur,ait,nos nec fide nec charitate nostra iustificari coram deo,si formaliter et proprie loquamur:sed una dei in Christo iustitia:una Christi in nobis communicata iustitia. Hanc Pighij confessiõem quanto Bucerus excipit applausu, q̃q; exultabundus probat & osculatur. Inquiens,quod utinam cætera ad eundem modum dixisset. Et subdit,quod iustificari in oculis & iudicio dei,nihil aliud est quàm iustitia Christi iustos ab ipso iudicari,qua Christi iustitia, nostra peccata et imꝑfectio quoq; nostræ innouationis contegitur:eo quod nec fides nec charitas,hoc est,tota nostri renouatio,& inhærens iustitia, in hac quidem uita,eo progrediatur & perficiatur, ut hac freti,ferre iudicium dei ualeamus. Hæc Bucerus. Accurate hic ergo

Libel. impera.

Pighius.

Bucerus

meditandum est oculato lectori, ut diuerse a nobis de inhærente iustitia (quam initium renouationis uocant) sentiant. Non enim in hoc illam fatentur, ut per ipsam simus deo formaliter accepti (hoc enim uni iustitiæ Christi adscribunt) sed ut per ipsam inchoemus deũ colere & diligere, ea quæ iusta sunt operando. Non quod in hac uita satisfaciamus legi: sed in futura: ut li.3. patebit. Atque adeo in suo uulgato didagmate non docent iustificationem aliam seu formalem iustitiam quàm eam quæ est non imputatio peccatorum per iustitiã, quæ inest Christo. Sed et reuerendi ac orthodoxi Canonici Colonienses, quos, ceu clypeum & murum fidei, honoris gratia nomino, in suo antididagmate, quo sapiẽter & catholice præfato didagmati obuiam prodiere, uel qui eorũ nomine librũ illum euulgauit, bono quidẽ sensu (nam quæ alia de catholicis uiris subesse potest cogitatio) at magis forte securi ab aduersarijs, quàm tuti, illo imputationis uerbo usi sint. Vbi primum caput iustificationis aiunt esse remissionem & ablutionem peccatorum per imputationem iustitiæ Christi. Et paulo inferius. Iustificamur, aiunt, a Deo iustitia duplici, tãquàm per causas formales & essentiales. Quarum una & prior est consummata Christi iustitia: non quidẽ quomodo extra nos in ipso est, sed sicut & quando eadem nobis (dum tamen fide apprehenditur) ad iustitiam imputatur. Aliter uero iustificamur formaliter per iustitiam inhærentem, quæ remissione peccatorum simul cum renouatione spiritussancti & diffusione charitatis in corda nostra secundũ mensuram fidei uniuscuiusque nobis donatur, infunditur & fit propria. Et subditur, Cui tamen inhærenti iustitiæ (quod sit imperfecta) non innitimur principaliter, sed ea tãquàm interiori quodã experimento certificamur, nobis (qui talem renouationem spiritus nostri in nobis sentimus & experimur) remissionem peccatorum factam, & Christi consummatã iustitiam nobis imputari, atque ita Christum per fidem in nobis habitare. Profecto non potest in his uerbis non desiderari aliquid, quo aduersariorum falso sensui explicatius contradiceretur. ¶ Et primo ut a minori incipiã: puta a rõne & proprietate causæ formalis, hæc quidẽ ratio, illi iustitiæ, quę est in Deo aut in Chri

Antididagma.

Primũ argumẽtũ cõtra iustitiã imputatam,

sto, quatenus est homo, minime cõgruit respectu nostri. Formalis enim causa, ut inter philosophos & theologos probatissimum est & receptissimum, est res illa, uel qualitas, quæ inest subiecto: sicuti anima est forma hominis: lumen, forma aeris: calor, calidi, & albedo albi. Dicitur enim forma relatione ad materiam, cui inhærendo dat esse: iustitia uero qua Christus formaliter est iustus, sicuti iustitia dei (quæ sui ipsius est essẽtia) nobis non inest: quomodo ergo formalis esse potest causa nostrę iustificationis? Quis ita philosophetur, ut dicat formalem causam illuminati aeris esse lucem, quæ inest soli, aut formam calefactæ aquæ, esse calorem inexistentem igni? Pari ergo modo, uti aer non est clarus per lucem formaliter, quæ ẽ in sole, sed per lumen a sole in se receptum, constantissimum est, neq; nos esse formaliter iustos, acceptos, & gratos per iustitiam, quæ est in Christo: sed per illam, quam in nos ipse induxit. Sunt enim distinctæ præpositionis notæ, quibus inter causam efficientem & formalem discernimus. Sumus quidem iusti a iustitia Christi, tanquàm a causa efficiente: non tamen per ipsam, tanquàm per formalem. Plato fuit, qui causas formales ponebat separatas ab indiuiduis, qua phrasi sæpe usus Aug. ut paulo ante dicebamus, ait, nos esse bonos bonitate, quæ est in Deo, & sapiẽtes, &c. Sed hoc tñ intelligendum est ex eo, quod bonitas, & sapientia nostra, participatio est quędã illius, quæ est in ipso. Et ita dicit̃ charitas nostra, et iustitia nostra, quia gratia, & uirtutes nostræ sũt participationes benignitatis suæ. Exẽplũ est in uita animali. Manifestũ.n. est, nos uiuere uita Dei, in ipso.n. uiuimus, mouemur, & sumus. Si aũt sic intelligas Dei: quasi uita, quæ formaliter est in Deo, sit illa per quam nos formaliter uiuimus, quid absurdius? Intelligit̃ ergo uita Dei effectiue: id est, uita animæ, quam ipse in nobis produxit. Quæ q̃uis ex parte sui, quæ indiuisibilis est, nullã recipiat differentiam, tamen ex diuersa dispositione materiæ, alij alijs indole præstant, uel ingenio: & alij utiq; sunt melius, quàm alij nati. Atq; ita est de gratia sentiendum. Pōt & iustitia Christi (inquantum est homo) significanter dici causa exemplaris, ut cap. 9. dicebamus: quia prædestinauit nos Deus, conformes fieri ima-

Plato.

gini filij eius. Præterquàm, quod est causa meritoria, & suo gradu efficiens: ut ibidem explicatum est: formalis autem nō item. ¶ At uero non adeo de modo loquendi litigarem, si in re nihil abditum esset periculi. Prædicantes enim sola nos iustificari iustitia Christi, quæ dū fide apprehēdit, nostra reputatur, omnem respectū, et rationem iustitię, quæ in nobis est, excludunt. Vnde, quæ putas conficiunt dogmata. Conficiūt (inquàm) primum ita omnino per iustitiā illam remitti nostra delicta, ut nulla sit amplius necessaria nostra per suā gratiā satisfactio. Quoniam, & noxiæ & pariter omnis noxa cōdonatur cuicunque fide apprehendenti iustitiam illam. Itaque quàm fuit in ipso sufficiens, tam uolunt in nobis sine respectu nostræ dispositionis esse efficacem. Quo effosso cuniculo ad arcem confessionis subruendam prorepsere. Atque adeo secundo inferunt, primā iustificationē in omnibus esse æqualē gratiam. Nam omnes (ut aiunt) fiunt iusti una eademque iustitia. Audi hominis blasphemiam, Lutheri inquàm, in sermone de natiuitate Mariæ. Si tamen christiani aures tātam ferre possunt. Omnes inquit, christiani æque magni sumus sicut mater Dei, & æque sancti, sicut ipsa. Et tua oratio mihi tam chara, quàm illius, si credis Christū habitare in te, æque sicut in illa. Quia per sanguinē Christi pariter mundati omnes sumus a peccatis. Et præterea inde inferunt suam certitudinem gratiæ. Quoniam si per iustitiam Christi, neque dependenter ab illa, quæ nobis inest, sumus iusti, tota certitudo pēdet ex promissione Christi. Et ideo quicquid cogitemus de operibus nostris, impius est, aiūt, qui se dubitat recipere gratiam: nam dubitat de fide Christi promittētis nobis salutem, non per iustitiam nostram. Pensitet cōsyderatissimus quisque quā isti machinā extruāt ex sua imputata iustitia, perpēdatque, queādmodum, quicquid ore dicāt, re tū pernegent, nos iustificari fide, quæ per charitatem operatur, ut in præcedentibus identidem adnotauimus. Quod ex hoc suo modo imputatæ iustitiæ maxime deprehenditur. Nam dicunt non iustificari nos formaliter, per hoc, quòd a Deo moueamur motu liberi arbitrij in se, sed per illam formaliter iustitiā, quæ est in Chri

Marginalia: 2. argumentū. — Consequentia ex imputata iusti tia. — Blasphemia Lutheri.

sto sola fide apprehensa:id est, credita. ¶Hæc igitur ne nos admittamus absurda, cõtrariam stabilimus. hãc concl'onem Nimirũ, quod q̃uis nõ iustificemur p charitatẽ (ut supra fati sumus) qua nos Deũ prædiligimus, sed qua nos prior ipse di ligit, non tamen per charitatem, quæ ipse est, aut quæ est in Christo, quatenus est homo, formaliter sumus iusti, sed per gratiam quam sua in nos dilectione communicat, imparti turq; nobis secundum mensuram fidei, sed eius fidei quæ per charitatem operatur, per quæ scilicet nos opera disponit, tra hit, & conuertit. Hac enim de causa a nobis exigit fidẽ, spem, charitatem, & pœnitentiam in nostra iustificatione, ut secun dum modulum, & quantitatẽ huiusmodi præparationis lar giatur, & gradum gratiæ per quam sumus formaliter iusti, atq; ad tantum gradum gloriæ accepti, quantus est ille gra tię. Et quàmuis hoc optime intelligitur ab ijs, qui agnoscunt, gratiam habitum esse infusum, tamen ut quisq; pertinacissi me abnegauerit habitus, nihilosecius, nisi uelit errare, fateri debet pro modulo suæ cuiusq; cooperationis, & dispositiõis, disparem gratiã formaliter iustificationis peccatores a Deo recipere id est, amore inæquali diligi, reconciliariq; a Deo. In domo: enim patris mansiones multæ sunt: sicuti in patria, ita & in uia. Et est allusio pulcherrima Pauli, de stellis, quarũ altera differt ab altera in claritate. Quemadmodum enim astra omnia ab uno sole splendorem excipiunt, quodlibet ta mẽ secundum suam qualitatem: prout magis minusue unũ quodlibet diaphanum est, & solidum, ita & ab una effectiue iustitia Christi, quæ sol in se est absq; mensura patentissimus modulos diuersos gratiæ eo tunc, dum iustificamur, recipi mus. Quam gratiam cum cæteris donis emetitur nobis Chri stus, quantum sinus cordis nostri ipso nos pręueniente, expã dimus. Nam aperi, inquit, os tuum, & implebo illud. Quocir ca nõ solum recipiet unusquisq; in patria, prout gessit in cor pore, secundum opera sua, quibus post infusam gratiam ope ram dat augmento ipsius, sed etiam secundum illa quibus se diuina ope disposuit ad eius primã infusionem. Tametsi ra tione sacramenti in re exhibiti certus cõferatur gradus. Hæc demum ex illo uerbo Euangelij confirmantur, Qui diligit me

Catholica conclusio.

Simile ab astris.

diligetur a patre meo: Ioh. colligitur quòd quantum quis diligit, diligetur: id est, quantum insinuanti se nobis per suũ amorem deo, libere nos moueri pmittamur, tantus erit amicitiæ gradus: secundum sententiam Aug. de gra. et lib. arbi. cap. 9. super illud, De plenitudine eius nos omnes accepimus. Cuius uerba subtexam. Ex eius itaq; plenitudine accepimus pro modulo nostro tanquàm particulas nostras: sicut Deus partitus est mensuram fidei. ¶ Superest ergo ut uerba, quibus nos perstringere arbitrantur, examinemus: Aiunt iustitiam nostram imperfectam esse, & ideo inniti iustitiæ Christi, per quam, nobis imputatam, sumus Deo accepti. At uero, si id intelligant de præparatorijs operibus nostris, qua ratione gratiã antecedunt, neq; nos talem pfectionem illis tribuimus, ut gratiæ sint merita, quod iam in superioribus sæpissime confessi sumus. Nihilominus quãdo sunt opera dei mouentis nos, illam perfectionem habent, ut per ipsa nos ad se conuertat & præparet recipiendæ suæ gratiæ, iuxta nostræ cooperationis feruorem. Si tamen id intelligatur de operibus hominis, gratia iam perfusi, indubitato negamus esse imperfectã eo sensu quo ipsi cogitant. Quinimo quicunq; minimus gradus gratiæ dei iustam habet perfectionem, ad constituendum nos in sua amicitia, ita ut omnem prorsus deleat inimicitiæ rationem. Fatemur itaq;, gratiã nostram imperfectam esse comparatione ad illam quæ est in Christo, primo in intensione: sicut lumen aeris imperfectum est respectu lucis solis. Quinimo hoc modo & gratia unius iusti differt a gratia alterius. Et præterea interest, quod gratia Christi est gratia capitis. qua fuit gratus tanquàm redemptor mundi & causa nostræ salutis, nostra uero est gratia membrorum, ex illa nobis impartita, quæ unicuiq; est peculiaris. Est nihilominus homo per quemcunq; minimum gradum gratiæ ita amicus dei, ut nullum sit aliud necessarium supplementum. Quia ipsa eadem gratia est Christi effectus, qua proprie denominamur, & uere sumus dilecti filij Dei, atq; adeo hæredes regni. Quocirca haud imus inficias, iustitiam Christi imputari nobis. Sed hoc tamen nihil aliud est prorsus, quàm infundi nobis gratiam, & dona, quibus

Aug.

Solutio cõtrariorum.

Gratia quõ est pfecta.

Diuersi gradus gratiæ.

quibus efficimuur illius participes. Et q̃uis gratia non esset distincta in nobis qualitas, non ideo essemus formaliter grati, & iusti per eam quæ est in Christo, sed effectiue & merito rie per illam, formaliter autem per hoc, quod essemus dilecti secundum diuersos gradus amicitiæ. ¶Quod siquis obijciat. Deus acceptauit passionem Christi pro redemptiõe, & liberatione totius mundi ab uniuersis peccatis: ergo illa est, qua formaliter iustificamur. Negatur consequentia hæc, sed est potius animaduertendũ, quod Deus acceptauit illam iustitiam Christi, eo tunc temporis, quo ipse obtulit, ueluti sufficientissimam pro redemptione totius mundi. Attamen tũc est in unoquolibet efficax, cum sit Christi membrũ: atq; efficacia ipsius est, gratiã effundere in mẽbra. At sicut in corpore humano eandem uitã omnia membra participant, diuerso tamẽ ordine, & modo (nam aliter cor, aliter oculi, uel aures: aliterq; manus, aut pedes) eodem modo sumus (secundum Paulum) multi unum corpus in Christo, sed certe aliud mẽbrum est sacratissima eius mater, alia apostoli, alijq; proceres regni cælorum, atq; aliud unus quilibet nostrum. Quo etiam alludit similitudo Christi palmitũ in uite. Non enim palmites omnes eũdem fructũ recipiunt ab eadem uite. Hinc fit calumniam esse manifestariam, ubi aiunt Lutherani, iustitiam nos nostram statuere, illam, quæ Christi est ignorantes. Imo ita appellamus nostram, id est, nobis inhærentem, ut tamen Deo authori, & redẽptori Christo referamus acceptã. Nam ipse est, qui & per dispositoria opera nostri liberi arbitrij nos ad se trahit, & gratiam suam nobis communicat. Neq; enim nos cogitare aliquid possumus, sed ipse est qui dat nobis uelle, operari, & p̃ficere. Vnde ex eo uita ęterna, authore Augustino in de gra. & lib. arbi. cap. 7. est gratia Dei, qua & ipsa bona opera nobis ex Deo sunt, a quo nobis & fides est, & dilectio: quibus gloriam promeremur. Haud ergo negamus, quin iustitia nostra innitatur iustitiæ Dei per illã quæ est in Christo. Nempe, quam in cruce operatus est. Sed tamen nostra nititur illi, non quasi ambæ sint formales, & illa sit supplementum nostræ: ut aduersarij comminiscuntur. Ita enim isti speculãtur de iustitia nostra, & iustitia Christi, acsi

Simile a corpore humano

Lutheranorũ calũnia

Aug.

essent duo apud principem, unus in feriori loco, quàm alter, & ideo inferior, quàmuis aliquid ualeret apud ipsum, non tamen tãtum, quin indigeret superioris aduocatione, & merito supplentis, quod ipse non põt. At uero res longe aliter habet inter nos, & Christum mediatorem. Tota enim iustitia nostra adnititur suæ, non quod suppleat ipse defectum illius, quæ nobis ab ipso inest, sed quod in genere causæ efficientis tota nostra dependet a sua in fieri, & cõseruari. Quẽadmodum lumen aeris a luce solis: qua sublata, lumen aeris nullum esset. Ita enim prorsus, nisi nos Deus per gratiã Christi iustificasset, in tenebris iaceremus peccatorũ, & si nos desereret, statim relaberemur. Et ideo orabat Dauid. Adiutor meus esto domine, ne derelinquas me. Nihilominus collata nobis gratia, quã conseruat, nullo alio opus habet supplemẽto: sicut sol non supplet lumen aeris, nisi sua ipsum præsentia conseruando. Deum autem supplere defectus nostros, sic intelligendum est. Porro, si defectus appellatione peccata intelligamus, id ipsum ẽ, quod remittere, et ignoscere. Si uero pusillitatem, tenuitatemq́, imo impossibilitatẽ nostram ad conciliandam eius amicitiam, idem est supplere, quod opitulari nobis, & opem ferre ad comparandum, retinendumq́ eius gratiam. At uero si defectum dicas exiguitatem gratiæ, quã ex uecordia, & ignauia nostra (citra culpam tamen) non ita colimus, ut cumulatior sit, & consummatior, hũc reuera defectũ nunq̃ Deus supplebit: sed ubi ceciderit lignum, illic erit: ut iuxta mensuram gratiæ, sit præmium gloriæ, & qui non adeo fructibus pœnitentiæ debita pro peccatis in hac uita persoluerit, saluetur quidem: sed per ignem. Qua uero ratiõe isti fingũt, ridiculum est dicere, quod iustitia quæ est in Christo, suppleat defectum illius, quam ipse in nobis effecit: esset enim supplere defectum suæ ipsius gratiæ. Supplebit autem si eius nos fauore, & subsidio seduli utamur, ut gratia, quæ in nobis est, uacua nõ sit, sed per culturam assidue nostram, meritorũ fructibus augescat. ¶ Est ergo conclusio, quod non solum iustitia illa nobis inhærente, quam Deus nobis impartit, formaliter sumus iusti: sed quod nulla præterea opus est imputatione iustitiæ Christi ad supplendum eius imperfe-

[Margin notes: Simile. — Psal. — Deũ supplere defectus. — Concl°.]

ctionē. Ratio aūt (ut summatim dicamus) quare iustitia formalis sit in nobis ē hæc. Iustitia Christi a qua efficimur iusti, una est, necq; uariatur: quod autem oēs æqualiter semper efficiamur iusti, dictu ē absurdissimum: inæquales ergo in nobis sunt formales iustitiæ, per quas ad uarios gradus gloriæ acceptamur in uirtute illius efficiētis iustitiæ Christi. Et ideo ubi taxat, suggillatq; eos Paul. qui iustitiam suam statuunt, illam quæ Christi est, ignorantes, & ubicunq; nos scriptura commonefacit, non iustitia nostra, sed Christi, nos iustificari, id duntaxat commonemur, quod opera nostra, suam præcedentia gratiam, non sunt iustitia apud Deum, sed quæ ex sua ipsius gratia facimus. Talia enim opa sunt iustitia Christi, tanquàm efficientis causæ, nostra uero, tāquàm recipientium, & cooperantium. Vt expresse in epistola ad Paulinū: ait Aug. his uerbis. Ignorans Dei iustitiam: id est, eam quæ datur ex Deo, & suam uolens constituere, quæ est ex lege.

Argumēta in contrariū.

¶ Sed ecce argumenta, quæ non solum ab aduersarijs, sed a nostris etiamnum inter disputandum ex Pighio & alijs catholicis obijciebantur. Quis audeat ante tribunal Christi iustitiam suam propriam repræsentare, et non potius solam illam Christi? Sumus enim omnes filij Adæ in iniquitatibus concepti, natiq; filij iræ: quorum proinde omnia opera (ut ait Propheta) sunt sicut pannus menstruatæ. Ipse autem est, ut ait Ioan. propitiatio pro peccatis nostris: delens (ut inquit Paul.) quod aduersus nos erat chirographum decreti, & affigens illud cruci. Ergo nisi sua iustitia, nobis imputetur, non est nostra sufficiens. Ait enim Apostolus, passiones huius temporis non esse condignas ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis. Quod intelligit de ipsis etiā officijs, quę in gratia fiunt. Nā cum eis loquitur, quibus spūs testimoniū reddit, esse filios Dei. Et Dauid, Non intres in iudiciū cū seruo tuo, quia nōn iustificabiť in cōspectu tuo omnis uiuens. Vnde Aug. Væ, inquit, hominū uitæ quantumcunq; laudabili, si remota misericordia iudiceť. Et Iob. Vere scio, quod ita sit, quod non iustificetur homo cōpositus Deo. Et infra. Si habuero quidpiā iustū, non respondebo: sed meū iudicē deprecabor: ergo nostra quātacunq; sit iustitia, nō est

Esa. 64.

Rom. 8

Psal. 42

Aug.

sufficiens, nisi ab illa Christi nobis imputata, supplementum accipiat. Sicut ait Apostolus. Eum qui non nouerat peccatũ, pro nobis deus peccatũ fecit, ut nos efficeremur iustitia dei in

Pighius ipso. Ex his conficit Pighius, quod iustitia nobis inhærens, si stricte exigatur ad regulam diuinam, non est perfecta, sed illa potius Christi, nobis imputata, iustificamur. Et subdit exẽ

Simile a Iacob plum, quod quemadmodum Iacob sub dissimulato habitu fratris ueri primogeniti occultatus accepit benedictionẽ patris, ita nos accepturi sumus gloriam sub aliena persona Christi. Hæc tamen omnia ex una æquiuocatione detorquentur

Responsio in sinistrum sensum. Quisnam ullo pacto hæsitet, quin filij Adę, qui ex nostra natura & facultate nihil dignitatis adferre possumus in conspectũ dei, solam possimus iustitiam Christi culpis nostris prætendere: cuius iure sumus & filij & hæredes regni. At cum dicimus, Christi, genitiuus hic non designat subiectum: ut sit sensus, Iustitia quę est in Christo (ut isti allucinãtur) sed est nota efficientis causæ: ut sit sensus, iustitia quã illa Christi, Deo accepta, in nos influit. Q̃d ẽ dicere. Oẽs sumus grati & accepti tanq̃ mẽbra Christi: iuxta uerbũ citatum Pauli. Vt efficiamur iustitia Dei in ipso. Cui intellectui commodum est exemplum Iacob sub effigie Esau. Verũtamen illã iustitiam inęqualiter & non totam secundum quantitatem quam habet in Christo, participamus, sed unusquisq; (ut ait Paulus) secundum opera sua & prout gessit in corpore. Alias neq; essent mansiones multæ in domo patris, neq; stella differret a stella in claritate. Auctoritates autem in contrarium inductę libro.3. inter disputandum de satisfactione & meritis operũ sunt affatim expositæ. Quas ubi inspexeris expositiones, liquido cernes, q̃ his quæ diximus, nihil refragentur. Quod si opponant nobis imputatores isti, quod diuus Aug. & alij forsan, nõnũq̃ utãtur hac uoce imputationis iustitiæ Christi, respõsum sibi putent ab eodem Augustino de prædest. sanct. cap. 14. quod usurpabãt, pro eo quod est communicari, hoc est, participari & impartiri nobis: quia nulli erant tũc qui sensum huius uerbi deprauarent. Hoc autem ætatis, ubi malum inde sensum isti hauriunt, uel exponẽdum est sane imputationis uerbum, uel prorsus de medio

tollendum. Quod autem Aug. ubicq acceperit in sensu S. Thomæ, & aliorum scholasticorũ, pro eo quod est participari, id est, communicari secundum inæquales portiones, patet de spi. & lit. cap. 9. ubi exponens illud Pauli. Iustitia dei manifestata est, ait. Non dixit, iustitia hominis, sed dei: non qua deus iustus est, sed qua induit hominem cum iustificat impium Et cap. xi. exponens illud. Iustus autem ex fide uiuit, subdit. Hæc est iustitia dei quæ in testamento ueteri uelata, in nouo reuelatur: quæ ideo iustitia dei dicit̃, quod impartiendo eam iustos facit. sicuti domini est salus, qua saluos facit. Et cap. 32. id repetit explicatius. Et in enarratione Psalmi. 30. super illud. In tua iustitia erue me. Iustitia enim dei, inquit, est, quæ nostra fit, cum donatur nobis. Et super eodem uerbo psal. 70. In tua, inquit, iustitia, non in mea: nam cum ero iustus tua iustitia erit: quia iustitia mihi abs te data iustus ero: & sic erit mea ut tua sit: idest, abs te mihi data. Bene ergo & catholice, præsens Synodus Tridentina Sessione. 6. cap. 7. determinauit, unicam esse causam formalem nostræ iustificationis: scilicet, iustitiam dei: non quidem illam qua ipse iustus est (illa enim meritoria est & efficiens nostræ) sed qua nos iustos facit: quia uidelicet ab eo donati renouamur spiritu mentis nostræ: & non modo reputamur, sed uere iusti nominamur & sumus. Iustitiam in nobis recipientes unusquisq suam, secundum mensuram, quam spiritus sanctus impartitur singulis prout uult, & secundum propriam cuiusq dispositionem & cooperationem. Et. can. 10. eos condemnat, qui aiunt, per iustitiã Christi formaliter nos iustificari: et can. xi. eos explicatius, qui aiũt hominem iustificari sola imputatione iustitiæ Christi, exclusa gratia & charitate, quæ in cordibus nostris per spiritum sanctum diffundunt̃, nobisq inhærent. ¶ Neq uero possum hic non meminisse, q̃ suis isti furijs exagitentur aduersus ecclesiam, ut omnia contemnerent, quę sibi aduersantur. Initio statim, cũ materia iustificationis in disputationem & consultationem missa est, nonnulli umbras quasdam decretorum in commentarijs proferebant, ut ex singulis. quod ad rem faceret, carperetur. Vnam tribus ante mensibus q̃ Sessio haberetur surri- Synod. Triden.

Impudẽtia & calumnia scholiorũ super decreta in certo authore.

puerunt: & perinde acsi fuisset diffinitio Concilij, ita ex illa nacti sunt occasionem debacchãdi in Synodum. Mitto ꝙ impudenter, at ꝙ calũniose & ignoranter ex hoc uno loco conij cito. Aiunt, quod negamus, sanguinẽ Christi sufficere ad integram æternamq; hominis iustificatiõem: & ideo quod in merito Christi diminutum est, affirmamus esse operibus humanis, tanꝙ re pretiosiore præstandum. Quis unquàm uel Pelagianoꝝ hæc dixisset? sane, quæ neq; dæmoniorum auderet ullum cogitare. Sed nihili faciũt, qualiter nobis imponãt, dum opprobrio nos & improperio exponant credulæ plebis. Cum ab hac nos tam longe distemus blasphemia, ut dicamus, opera præcedentia gratiam nullius esse ualoris, quo minus gratis iustificemur: opera uero sequẽtia, suum totum habere pretium ex gratia Christi. Sed quod præsentem locũ spectat, demirantur, quõ pugnãtia loquamur. s. quod nemo consequi ualeat salutem, nisi in merito passiõis Christi: & tñ aliam in nobis requiramus inhærentẽ iustitiã. Cum tñ nos simus qui demiramur, ut non uideant, quemadmodum aer non nisi a sole illuminatur: sed tamen non nisi p lumen quod ab ipso recipit. Non. n. iustitia nostra defectum eius supplet, quæ est Christi, at effectus ipsius est. Neq; negamus efficaciã iustitiæ eius: sed quod sit cã formalis. At quid ad nephandas inuectiuas & tragœdias respondere pergimus? Locus nobis potius quo ecclesia iacet deplorandus est, atq; orãdus Deus: ut uel propter gloriã suam aliquãdo nos respiciat.

De interpretatione diuinæ paginæ, quibus locis sola fides enunciari uidetur iustificationis causa. cap. 21.

HAud quidem difficile iam modo est, ex his, quæ hactenus cõtrouersa sunt, & pro modulo captuq; nostro constituta, aduersarijs de sua sola fide respondere. Argumenta omnia ex authoritatibus quàm plurimis diuinæ paginæ conficiunt. De quarum proinde intellectu tota inter nos lis est. Sunt autẽ loci plures, ꝙ quos sigillatim persequi, sit adeo necessarium. Eo præsertim, quod idem ferme est omnium interpretamentum, atq; adeo iudicium. Sunt autem pleriq; apud Paulum, in duabusq; potissimum epistolis, quæ sunt ad Rom. & ad Gala. Assumpse

Argm̃ eplarũ ad Ro. et ad Gala.

rat enim in utraq; negotium defendendi causam fidei Iesu Christi, aduersus eos qui ex iudaismo conuersi, proprijs meritis seruatæ a se legis arrogabant iustificationis beneficium. Iactantes, quod Christus fuerat illis ꝓmissus, tanquàm merces custodiendę legis: cuius proinde obedientia & operibus, cum olim iustificabantur, cum etiam promeruerant, mysteriū redēptionis: ut in capite cōmētarioꝝ super ipsū Paulū latius a nobis explicatū est. Cōtra quē errorē opponit Apost. obfirmatq; diuinā ueritatē. Scilicet neq; aduētū Christi, neq; ꝓinde ullius unq̄ iustificationē operibus cuiuspiā legis, meritisue alicuius hominis adscribi posse. Sed astruit, quod uti Deus cum gratis promisit redēptorē, tū ceu fidelis promissor gratis misit, ita nemo unquàm ex operibus ullis, sed ex una fide Christi, uel explicita, uel implicita iustus habitus ē, habe riue potest apud Deum. Vnde ubi primum sermonem inijt de euangelio Rom. 1. Virtus, inquit, dei est in salutem omni credenti, Iudæo primum & Græco: id est, uniuersis mortalibus, siue in lege scripta, siue in lege naturæ degentibus. Et citat illud Abacuch. Iustus ex fide uiuit. At ne confusa citatio & absq; ordine indigestus authoritatum aceruus satietatem faciat, in tres digessimus formas locos arguēdi istorum. Primum autem confessionem utriq; partium communem præfigamus. Nempe quod fides sit ad salutem necessaria, ut supra iam stabilitum est: dicēte Paulo, quod sine fide impossibile est placere deo. Quoniam accedentem ad ipsum necessum est credere, quod sit, & quod remunerator sit. Sed an illa sola sufficiat, de hoc discrepamus. Et a parte affirmatiua, primum argumentum Lutheranorum sumitur ex notamine uniuersalitatis. Porro quod in sacra pagina in uniuersum omni credenti promittitur salus. Enimuero ubi Paul. uirtutē Euangelij, infirmitati legis, siue scriptæ siue naturalis contraponit, nullius nostri officij meminit, præter unam fidem: nam uirtus, inquit, Dei est in salutē omni credenti: ergo sola fides sufficit. Etenim si aliud quicquàm requisitum esset, non dixisset uniuersaliter, omni credenti, sed modo adhibito: puta credenti, & simul amanti, uel operanti: uel quid simile. Eiusdem formæ sunt, & ponderis authoritates, in

Diuina ueritas.

Triformis locus argumentoꝝ.

Fides necessaria.

Rom. 1.

Rom. 3. quibus similis nota est uniuersalis: ut statim cap. 3. Iustitia
Ioan. 3 Dei per fidem Iesu Christi in omnes, & super omnes, qui cre
dunt in eum. Et Ioan. 3. Sicut Moses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis: ut omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat uitam æternam. Et, Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret: ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat uitam æternam.
Ioan. 6. Et cap. 6. Hæc est uoluntas patris mei, qui misit me: ut omnis qui uidet filium, & credit in eum, habeat uitam æternam.
Actu. 13. Et Actuum. 13. Per hunc (scilicet Iesum Christum) uobis remissio peccatorum annunciatur ab omnibus, quibus non potuistis in lege Mosi iustificari. In hoc enim omnis qui credit, iustificatur. Eodem pertinet illud Gala. 3. Conclusit scri-
Gala. 3. ptura omnia sub peccato, ut promissio Christi daretur cre-
Ioan. xi. dentibus: nam tantundem est, ac si dixisset, V niuersis credẽtibus. Sicuti & Ioan. xi. Ego sum resurrectio & uita: qui cre-
A cõuertibilibus dit in me, non morietur in æternum. Ac si dixisset, quicunque credit in me. Est ergo locus, & sedes argumenti a cõuertibilibus. Si. n. ad naturã hominis requisitum est, ut sit rationalis, & quicquid est rationale est homo, reuera rationalitas sufficit ad constituendam speciem hominis: & secum adfert omnes eius qualitates. Pari demonstratione. Si ad salutem requiritur fides, & cuicunque credenti oblata est salus, fides sola sufficit. Id quod facto ipso, & prædicatione Christi confirmatur. Nam quoscũque a uarijs languoribus seruabat, ab ijs unam exigebat fidem. Vnde sæpenumero repetit. Fides tua te saluam fecit. Et, Sicut credidistis fiat uobis. Quasi
Ioan. 1. tota uis, & potestas salutis in una inesset fide. Cui maxime concinens, & illud Ioannis est. Dedit eis potestatẽ filios Dei
Secũdus locus. fieri his qui credunt in nomine eius. ¶ Secundus locus est a signo exclusiuo, quod Aplõ est frequentissimum. Ait enim
Rom. 3. Roma. 3 Arbitramur hominem iustificari per fidem, & non ex operibus legis. Similiter ad Gala. 2. Nõ iustificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem Iesu Christi. Et Ephe. 2. Gratia estis saluati per fidem, & hoc non ex uobis, Dei enim do-
Exclusiua. num est, non ex operibus, ut quis glorietur. Ex his extruitur argumentum. Exclusiua enunciatio (qualis est. Sola nos fide

iustificari

iustificari) per duas expositorias propositiones, affirmatiuã, & negatiuam (ut dialectici loquuntur) comprobatur, ambæ liquidæ sunt apud Paulum: ergo sola fide iustificamur. Subsumpta propositio inde patet, quod cum fidem opponat operibus, operum appellatione, quãcunque actionem nostrã excludit a causis iustificationis. Ac si dixisset, fide iustificamur, & nulla præterea re. Hãc querelam deplorat Melanthon in suis locis communibus, atque in nos exprobrando iacit. Si displicet, inquit, exclusiua, sola, tollant etiam ex Paulo illas exclusiuas, gratis, non ex operibus &c. Nam hæ quoque sunt exclusiuæ. Ad robur & cõfirmationem huius accedunt & alia præterea multa eiusdem energiæ: ueluti est illud quod statim in testimonium eiusdem ueritatis, cap. 4. adtexit ex historia Genesis. 15. Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam. Quo intendit demõstrare, ante datam legem iam Abraham fuisse iustum per fidem: atque adeo nemini obueni re iustitiam, quasi debitam mercedem operanti: sed credenti in eum qui iustificat impium, fidem reputari ad iustitiam. Vbi uidetur eandem facere exclusionem, ut nos instruat, sola fide gratiam Dei obtineri. Vnde Ioã. 6. ubi Christus admonuerat turbas, ut operarentur cibum permanẽtem in uitam æternam, interrogantibus illis, quid facerent, ut operarentur opera Dei: id est, quæ placita essent Deo, et accepta ad uitam æternam, nihil aliud respondit, nisi ut credatis in eum quem misit ille: acsi solum illud sufficiens esset. ¶ Tertius argumentandi locus existit ex natura ipsa euangelicæ promissionis: quæ sola fide: id est, mentis assensione apprehendit. Et hic est unde profertur punctũ totius dissensiõis inter nos & ipsos: ut cap. 5. dilucidũ fecimus. Quam argumentationẽ malis auibus auspicatus est Luther. in de liber. chri. et. 1. ar. ad Leonem. Syllogismus est talis. Vnum solum uerbum Christi, pollicentis nobis remissionem peccatorum, necessarium est ad salutem: ueritas autem uerbi sola fide, hoc est, mentis assensione suscipitur, & apprehenditur: ergo eadem fide apprehenditur diuina misericordia, per quam gratis iustificamur. Ita illic intelligit illud Luther. quod non in solo pane uiuit homo, sed in omni uerbo quod procedit de ore Dei. Et,

Melanthon.

Rom. 4. Gen. 15.

Ioan. 6.

Tertius locus.

Luther.

Misit uerbū suum, & sanauit eos: scilicet, qđ uerbo fide apprehenso iustificamur. Et, Corde creditur ad iustitiam. Et, Iustificati ergo ex fide, pacem habeamus. Et eodem uideri illi poterat alludere Paul. ubi euāgelium uocat uirtutem ad salutem reuelatam omni credenti. Porro inde colligit ar. 1. ad Leonē, quod sacramenta non cōferunt gratiam: sed fides illarꝫ promissionum. Qui crediderit, & baptizatus fuerit. Et, Quorū remiseritis peccata, &c. Hanc eandem uiam quibuspiā alijs haud dissimilibus locis scripturę cōmunire pergūt, uti est ad

Gala. 3. Gala. 3, Conclusit scriptura omnia sub peccato, ut promissio Iesu Christi daretur credentibus. Ecce quomodo promissio aiunt, salutis credendo recipitur. At quo nos Achille conui-

Actu. xi. ctos arbitrantur, illud est uerbum Petri Actu. xi. Huic (scilicet Christo) testimonium perhibent, remissionē peccatorum accipere per nomen eius, qui credunt in eum. Nā nomen, inquit Philippus, (quod causam iustificationis significat) so-

Rñsio. la fide apprehenditur. ¶ Ad hanc tamē tam instructam argumentorꝫ phalangem, qui syncere, & absqꝫ praeiudicio, ea quae explanata sunt, praelegerint, non ita multū expauebunt: nam facile iudicabunt, quàm non sit solidus sensus, quem ex huiusmodi elogijs sibi uidenť exprimere. Attamen ut ex ordine ad singula respondeatur, nōnulla sunt iacienda funda-

Primū fundamentū. menta. Primum. Quicquid sit de sensu, uox ipsa, Sola fide iustificari, male audit apud apostolos Petrum, & Iacobū, teste Augustino, de fide & operi. cap. 14. tanquàm ex uerbis deprauatis Pauli uiolenter extorta. Nam propter hanc exortā haeresim ait, reliquos apostolos suas edidisse epistolas: cuius autho-

Petrus et Iaco. res Petr. deprauatores appellat epistolarꝫ Pauli. Et Iaco. (inquit Aug.) uehementer infestus est eis, qui sapiunt fidem sine operibus ualere ad salutem, ut illos etiam daemonibus comparet: dicens, quod etiam daemones credūt, & contremiscūt.

Secūdū fundamentū. 2. Pet. 3. Secūdo supponitur, epistolā Pauli ad Romanos obscuram esse admodum, intellectuqꝫ difficillimā. Id quod non solum Orig. Aug. & quotquot eā exponunt, agnoscunt: sed Petrus ipse apostol. huius nos rei curauit admonitos, dicens, esse in Paulo quaedā difficilia intellectu. Quo fit, ut quodcunqꝫ de hac re extiterit dubium in Paulo, interpretandum sit p alios

apostolos,qui hac de causa, Augustino assertore, ueluti eius interpretes,scripsere.Imo uero tertio supponēdum est,quod quàmuis neq; Petr. neq; ullus unquàm Patrū huius nos admonuisset,per se est euidētissimū, omnia loca scripturæ,quibus sola fides profertur causa iustificatiōis,necesse habere,ut adhibito temperamento interpretētur,alias nequiret scriptura sacra,a contradictione uindicari.Hoc fundamentū obiecerim clamoribus istorum,qui nobis exprobrant,quod cū sint testimōia expressa scripturæ,sola nos fide iustificari, alia nos opera requirimus.Non enim sumus nos qui cōfingimus,sed eadem diuina pagina,quæ tam aperte exigit alia,tum sacramēta,tum opera nostra, præter fidem,non solū ad augendā, sed ad comparandā iustitiam. Vt,Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritusancto. Et,Qui crediderit, & baptizatus fuerit.Et,Pœnitentiā agite.Et,Nisi pœnitentiā egeritis.Et, Spe salui facti sumus.Et,Qui diligit me,diliget a patre meo. Et, Qui non diligit,manet in morte.Quæ quidem sententiæ,& quas huius generis plures antea commemorauimus, manifeste contra dicerent illis,quod fide sine operibus iustificamur: nisi per catholicam intelligentiā conciliarentur.Igitur cū exclusiua hæc,Sola fide iustificamur, duabus propositionibus (ut præfati sumus)exponat:scilicet fide,iustificamur,et nulla alia actione nostra,prius examinăda est affirmatiua.Nimirū cur si fides alijs utitur sodalibus,ipsa,si non semper,saltē, frequentius enuncietur in scriptura causa iustificatiōis,ut ex prima argumentatione apparet. Mox quantū ad negatiuam respondendū,quæ sunt illa opera,quæ excludunt. Vt de priori dicamus,uniuersales illæ authoritates primi ordinis, quibus omni credenti promittitur salus,duas uidētur de fide asserere qualitates:scilicet,necessitatem & sufficientiam ad salutem: constat ueruntamen, non eundem sensum exhibere de utraq;:sed enunciant,fidem esse simpliciter necessariā:quia sine fide impossibile est placere Deo:sufficientem tamen,si per charitatem operetur.Nempe si credens pœnitentia & alijs simul operibus,præueniēte diuino auxilio,disponat, quæ opera fides ipsa nos commonet ad salutem esse necessaria. De necessitate fidei patētissimus est sensus Pauli. Sane cuius mens

Tertiū fundamentū.

Testimonia scripturę cōtra.So la fide.

Duę exponētes exclusiuæ.

Sensus uerus.

est, fidem ita conferre cum ueteri lege, ut lex non fuerit necessaria, nisi pusillo illi peculiariter, & exiguo populo: fides autem uniuersis mortalibus. Et hoc est, quod ait de euangelio. Virtus enim Dei est in salutem omni credenti, Iudæo primum & Græco: id est, non solum Iudæis, quibus primũ promissum est, sed uniuerso mundo. Sed ad demonstrandũ amplitudinem fidei, quod non solum cœpit in euãgelio esse necessaria omnibus, uerum quod eadem erat, per quam seruabantur antiqui, subiungit, iustitiam Dei in eo reuelari ex fide in fidem: id est, ex fide antiquorum Patrum in fidem nostram. Quæ licet eadem sit ex parte obiecti, illi autẽ ex testimonijs propheta℞, in quibus olim loquebatur Deus, credebant uenturũ, quem nos ex ore Christi, & eius apostolorum credimus aduenisse. Attamen quo pacto fides sufficiat, relinquit tanq̃ per se notissimum. Primũ. Ex alijs locis scripturæ, exigentibus pariter & sacramenta, & alia opera. Vt, Qui crediderit, & baptizatus fuerit: ubi inuito Luthero, sacramentum copulatur fidei in causa iustificationis. Secundo id præsupponebat Paul. ex iure naturæ. Etenim (quod iugiter repetendum est) fides naturam non damnat, sed tãtum culpam. Neq; eius abrogat iura: sed pficit potius: ibidem auxilia sufficiẽs, ubi natura deficit. Quare naturæ opifex Deus in reuelatione fidei lumen præsupponebat naturale, quo intelligeremus, ita nos fide iustificandos, si obicẽ non opponeremus eius gratiæ. Est enim naturale ius (quod ca. 1. præfati sumus) ut qui inimicus est alteri, non aliter quàm per facti pœnitentiam mutata mente possit in gratiam illius restitui. Quin uero ubi rationes istæ cessassent, q̃uis scriptura proclamaret, sola nos fide reconciliandos, ex notione, & ingenio ipsius fidei erudiremur eatenus intelligendum esse, quod fides sola ostẽderet nobis salutis ostium, & semitam. Enimuero fides, ut secundum suam substantiã ab alijs secernitur uirtutibus, nihil aliud est, quàm sydus, & lumen, ostendens nobis uiam, non solum per quã debent iusti progredi, sed per quã gratia ipsa iustificatiõis ineunda nobis est: ad salutem uero non satis est uiam nosse, nisi gressibus uoluntatis intres: non ergo sufficit sola fides. Porro hoc significat diffinitio Pauli: scilicet, Sub-

Reuelatio fidei lumen præsupponit naturæ.

Fidei ingeniũ.

ſtantia ſperandarum rerum argumentum non apparentium. Nempe, quod munus eius ſit, futura nobis illa bona præmonſtrare, ut ſpes inde noſtra erigatur, & excitet amor Dei, atque adeo pœnitudo commiſſorum noſtrorum: quibus paſſibus ad ipſum ueniamus, ac deinceps promouendo perueniamus. Id quod elogium illud ab Apoſtolo citatū ex Abacuch, euidentiſſime in fauorem noſtrum proclamat: tantum abeſt, ut aduerſarijs faueat. Vbi enim dicit Propheta. Iuſtus ex fide uiuit: ſeu (quod alia litera habet) ex fide ſua, ſiue Dei intelligas, ſiue ipſius iuſti, non ſentit, fidem eſſe uitam iuſti, & formā totā, qua eſt iuſtus: ſed plane, quod fides alliciat iuſtū ad obeunda iuſſa opera legis, ſuſtineatque ipſum in laborum patientia propter ſpem. Quaſi dicat, iuſtus nō prius recipit præmium quam operetur: ſed in futurum ſperans operatur. Qui ſenſus perſpicue patet in uerbis Prophetæ: ut ſcienter ante nos alij adnotarunt. Animat enim illic dominus, ore ipſius, homines ſegnes, & uecordes, qui non niſi præſentibus mouentur. Quibus ait. Viſus procul & apparebit in finem, & non mentietur: ſi moram fecerit, expecta illum, quia ueniens ueniet, & non tardabit. Ecce qui incredulus eſt, nō erit recta anima eius in ſemetipſo: iuſtus aūt in fide ſua uiuet: id eſt, ſpe per fidem reuelata durabit in opere. Et Apl's ipſe ad Heb. 10. eundē prorſus depromit ſenſum: ubi ait. Nolite itaque amittere cōfidentiam ueſtrā, quæ magnā habet remunerationē: patientia. n. uobis neceſſaria eſt, ut uoluntatē Dei facientes, reportetis promiſſionē. Adhuc. n. modicum, aliquantulūque qui uēturus eſt, ueniet, & nō tardabit: iuſtus aūt meus ex fide uiuit: quod ſi ſubtraxerit ſe, nō placebit animæ meæ. Perpendat hic oculatiſſimus quiſque, quē nobis ſenſum & Propheta, et Apl's exhibeāt illorum uerborū Iuſtus ex fide uiuit. Vtrū exprimi inde poſſit, in ſola fide conſiſtere uitā: an potius, quod tantum ſpem noſtram fides erigat, ut per opera charitatis, præeunte fauore Dei, tum ad ſuam conciliandam gratiam adparemur, tum deinceps operam impendamus augendæ. Ergo ubicunque omni credenti elogia diuina ſalutem pollicentur, & ubiuis per fidem atteſtantur hominem iuſtificari, id tantum ſignificatur, quod fides ſit primus motus in nobis, unde nos inci-

Iuſtus ex fide uiuit.

Heb. 10.

Fidei primus motus.

pit Deus ad se conuertere: sane per quam oportet credere, quod ipse solus sine ullis nostris præcedētibus meritis iustificat impium: sine quo motu, neque sperare possumus, neque diligere. Atque adeo in iustificatione fides est dux, & reliqua opera assecla. Vnde Aug. sup psal. 31. Vbi fides non est, bonum opus non est: uidelicet, simpliciter bonum. Bonū enim opus intentio facit: intētionem autem fides dirigit. Estque eadem ratione fides initium, exordium, & fundamentum christianæ pietatis: ut ait in de prædest. sanct. Quin uero. 1. ad Cor. Paul Fundamentum, inquit, aliud, nemo potest ponere, quàm quod positum est: quod est Christus Iesus. Idem utique pollet Christus & sui fides. Atque ille est germanus sensus illius, Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius. Quoniam extra fidem nominis Christi nulla extat potestas ad salutē. Et quoniam principiū & causa prima (ut est apud philosophos) uirtute continet effectus, iure suo & merito fides prædicatur causa iustificatiōis. Nam nisi nostra obstaret libertas, fides suo ingenio ferax est omniū bonorum: spei quippe genitrix, & charitatis parēs. Sed tamē quia distinctæ sunt uirtutes, & nos liberi ad singulas sumus (ut cap. 7. differebamus) reuera non sola sufficit ad iustitiam. Quamobrem licet Christus in Euangelio fidei semper tribuebat miracula, quæ in sanandis languoribus utriusque hominis faciebat, tanquàm fundamento religionis, tamen de eadem Magdalena, cui dixit, Fides tua te saluam fecit, prædixerat, Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Edocens, quod illa ratione fides saluam fecerat, qua charitatem accenderat, ut cor saluificis pœnitentiæ lachrymis emolliret, disponeretque diuinæ suffundendæ gratiæ.

Dedit eis potestatem.

¶ Vt autem ad enarrationem authoritatum secundi ordinis, quæ exclusiuæ sunt, procedamus, non defuerunt, qui ubicunque Apostol. fide ait, hominē iustificari, & non ex operibus legis, illas præcise exclusas cerimonias interpretarenē, sacramentaque & umbratilia sacrificia, quæ nihilo plus proderant, quàm ut delineata figura essent euangelicæ ueritatis, atque adeo ueluti infirma, & egena elemēta (quod ait alibi) populum illum quasi sub pœdagogo agentem, de uenturo Deo erudirent, eiusque expecta-

Ad authoritates. 2. ordinis.

tione sustentaret. Etenim cum Hebræi conuersi tam se de illis cerimonijs iactarent, intentio fuit Pauli, aiunt isti, persuadere, non cerimonijs illis, sed fide sub eis uelata comparasse iustitiam, quotquot in illa lege fuerũt iusti. At uero penitius speculanti uerba Pauli, perspectissimum est, quod nõ solum cerimonias sed totam legem, imo non tantum scriptam legẽ, sed & legem naturæ, & quæcũq; opera uiribus naturalibus facta, excludit. Et hæc est sententia Augustini de spi. & lit. cap. 13. & sequentibus. Et Hiero. ad Cthesi, & ferme Patrum præcipuæ notæ. Quin Paul. omnibus id luculentius edisserit; Comparãdo. n. fidem ad legẽ, quæ non iustificat, sed tantum ostendit rationem peccati, ait ca. 7. Concupiscentiã nesciebã, nisi lex diceret, Non concupisces. Quod pręceptũ, cum sit in decalogo, palam monstratur (ut scite adnotat Aug.) propositum Pauli fuisse, quod neq; opera decalogi iustificarent. Sed non necesse habemus mendicare uerba Pauli. Nam ab ipso statim initio epistolæ exerit mentem suam, conferẽs Iudæos cum Græcis, concludensq; omnes sub peccato, neq; sua quæuis opera uirtutem habuisse iustificandi: sed omnes egere gloria Dei. Vnde cõtinuo subdit. Arbitramur iustificari hominẽ per fidem sine operibus legis. In operibus ergo legis scripturæ depingebat omnia opera cuiuscunq; legis, ut quæ nõ essent solida ad salutem sine fide. Veruntamen quia gentes nõ sibi usurpabãt merita iustitiæ, uti Iudæi, ideo peculiariter excludit opera Iudaicæ legis. Quocirca cõparatio fidei ad opera legis non est prorsus eadẽ, quæ euangelij ad legem ueterẽ: sed ẽ cõparatio fidei Iesu Christi sub quacũq; lege utcunq; cogniti, ad opera eiusdẽ legis. Et hoc est, quod ait, exclusam esse gloriationem humanã per legem, nõ factorũ, sed fidei. Nempe, quod nemo qui ab initio mundi adeptus est iustitiã, gloriari potest ex operibus suæ legis: sed ex fide Iesu Christi. Officium quippe legis tantum est iubere, & iubendo docere rationem peccati. Sed fides sola est, quæ docet, unde debeamus petere auxilium ad implendam legem. Vnde Aug. loco citato. Sic interest, inquit, inter legẽ & fidem, ut quod operũ lex minãdo imperat, hoc fidei lex credendo impetrat. Nõ quod fide sola impetretur salus, sed quod per fidem petamus auxi-

Aug.
Hiero.

Cõparatio fidei ad legẽ.

lium: subdit nāq;. Lege operum dicit Deus, fac quod iubeo: in lege fidei dicitur Deo, da quod iubes. Legem ergo fidei non solum uocat euangelium sed agnitionem fidei: nam & antiqui etiā in lege naturæ, per eandem fidem implorabant subsidia. Tametsi per antonomasiam, euangelium dicatur lex fidei, quia in ipso per aduentum Christi patefacta sunt mysteria, quæ sub lege ueteri latitabant: iuxta illud Pauli. Prius autem quàm ueniret fides sub lege custodiebamur, conclusi, in eam fidem, quæ reuelanda erat. Præfati hæc sumus de cōparatione fidei ad opera legis, ut per eam planus fiat, & conspicuus intellectus Pauli. Porro, quod in iustificatiōe solum abdicat, repellitq; opera præcedentia fidem, ut ubicunq; ait, Arbitramur hominem iustificari per fidem, & non ex operibus, nihil aliud sibi uelit, quàm quod nulla opera præcedētia fidem, sint ullo modo causa, aut merita iustificationis: sed fides sit initium, unde præueniente Deo incipit motus conuersionis nostræ, & bonorū operum, quæ deinde subsequuntur. Sic Aug. in prologo enarrationis psal. 31. exponit illud Ei qui nō operatur, credenti autem in eum, qui iustificat impium, fides reputatur ad iustitiam. Non quod absq; nostra cooperatione, sola fides iustificet, sed non operanti, inquit, id est, impio iacenti in peccato, atq; ideo non bene operāti: hoc est, nihil meriti adferenti ad suam iustificationem: credenti tamen per auxilium Dei, fides reputatur illi ad iustitiam. Sed quæ fides, illa scilicet, quæ per charitatem operatur. Vnde statim subdit Aposto. testimonium Psalmistæ. Sicut Dauid dicit, beatitudinem hominis cui Deo acceptam fert iustitiā sine operibus: quod est, sine præuijs meritis. Nā quod non excludantur opera, quæ diuina ope concurrunt una cum fide, Psalmus ipse explicat: subiungens. Dixi confitebor aduersum me iniustitiam meam domino, & tu remisisti impietatem peccati mei. Hanc ob rem Lutherus in de liber. & sui sequaces, more sibi obseruatissimo, dimidiatā illā, & detruncatam allegant ueritatem. Corde creditur ad iustitiam. Nanq; si alterum membrū adhærerent, quod est, Cōfessio autem fit ad salutem, perspicerēt, quod fidei ubiq; debet esse confessio comes. Porro ad ineundā gratiam Dei, illa cōfessio, quæ est

Gala. 3.

detestatio

deteſtatio criminum propter ipſum:ad colendam uero, illa quæ fit,corde,ore,& opere in eius gloriã.Fides ergo ſine operibus,nõ excludit motus,ſpei,& charitatis,quorum initium eſt fides.Sed idem ſignificat,Sine operibus, quod gratis nullis præcedentibus meritis.Quare idem Aug.de fide & oper. cap.14.Cum dicit,inquit,Apoſto.arbitrari ſe hominem iuſtificari per fidem ſine operibus legis,non hoc agit,ut præcepta,ac profeſſa fidei opera iuſtitiæ contemnantur,ſed ut ſciat ſe quiſq; per fidem poſſe iuſtificari, etiam ſi legis opera non præceſſerint:ſequuntur enim iuſtificatum,non præcedũt iuſtificandum.Dicit ſequuntur.Non quod in puncto iuſtificationis non ſit neceſſarius aſſenſus, & cooperatio noſtra, ſed quod prius natura infunditur gratia iuſtificans,q̃ opera ſint meritoria: præcedunt tamen cum actu fidei in genere cauſæ materialis,ut ſupra explicatum eſt. Et ideo ſubdit, quod ubi ait Paul.fide nos iuſtificari, nunquàm qualemlibet fidẽ, qua in Deum creditur,ſed eam ſalubrem planeq; euangelicam definiuit,quæ per dilectionẽ operatur. Ecce quomodo fides dum iuſtificat,operatur per dilectionem:ut non ſolum actu fidei(licet ſit primus) ſed etiam ſpei & charitatis diſponamur ad gratiam,per quam ijdem actus efficiantur merita gloriæ.Et non ſicut aiunt aduerſarij,quod ſola fide ſine alio præuio actu,recipimus gratiam:quam gratiam ſubſequitur charitas.Nam quàmuis de infuſa charitate id uerum ſit, tamen præit actus etiã ſpei,charitatis,& pœnitentiæ:ſicuti ipſi fatentur,præire actum fidei.Et de gra.& lib.arb. cap.8. Audi,inquit, & intellige, Non ex operibus dictum, tanquàm tuis ex teipſo tibi exiſtentibus,ſed tanquàm his,in quibus te Deus finxit:id eſt,formauit,& creauit. Sicut ait Paul. Ipſius ſumus figmentum creati in Chriſto Ieſu in operibus bonis. Hic attende lector, quod ſolum excludit Paul. opera noſtra propria:non tamen illa, quibus Deus ſpeciali ope nos cooperantes conuertit. Hæc enim noſtra cooperatio nihil obſtat, quo minus gratis conuertamur: ſicuti neq; obſtat ſecundum aduerſarios, actus ipſe fidei, quo licet ſit noſter, apprehendimus (ut aiunt) iuſtitiam. Et de prædeſt. ſanct. cap.7. (ubi comparat fidem,& opera,quæ inde

Aug.

Lutherani.

nascuntur, Israeli, & Iudæ, qui ex Israele genitus est) ex fidē, inquit, ideo dicit Paul. iustificari hominem, nō ex operibus, quia ipsa prima datur, ex qua impetrentur cætera quæ propriè opera nuncupātur, in quibus iuste uiuitur. Ait per fidē impetrari cætera: quia docet a quo debeamus petere auxiliū ad faciendum uera opera, hoc est, pertinentia ad salutē. Ad hunc modū, licet non adeo fuse, & explicate loquunt̄ oēs san

Ambro. Melanthon.

cti. Atq; eundē prorsus sensum faciūt uerba Ambrosij, quæ Melanthon in sua apologia aperte ait sibi contra nos patrocinari. Sūt enim uerba Ambrosij, Nemo glorietur in operibus, quia nemo factis suis iustificat̄. Sed qui iustus est, donatum habet, quia post lauacrū iustificatus est. Fides ergo est, quæ liberat per sanguinem Christi, quia beatus ille cui peccatum remittitur, & uenia donat̄. In his autem uerbis, quid rogo cōtra nos profert Ambro:? Ait neminem factis suis iustificari: id est, factis proprijs: sed fide per sanguinem Christi. Quod nos fatemur: sed tamen fide per charitatem operante, ut explicatum est. At nil opus est in sententijs Patrum recensendis longius progredi, determinatio est ecclesiæ catholicæ ante annos plures, quàm mille, quid nos Paul. docuerit, ubi ait, Non ex operibus. Nanq; illud omnino edocet, quod sancitum est aduersus Pelagium: scilicet, ex operibus nostris: id est, uiribus nostri liberi arbitrij neminem iustificari. Et ideo Paul. ad Ephe. 2. pro eodem accipit, Non ex operibus, et, Nō ex uobis. Quod uerbū, si isti consyderate æstimarent, cognoscerent, non excludi opera omnia nostra: puta, quæ a nobis cooperantibus fiunt, preueniente Deo: sed illa quæ omnino sunt a nobis. ¶ Sed & de fide Abrahæ unum uerbū subiungam.

Fides Abrahę.

Confirmant præcipue Lutherani, sola nos fide iustificari, testimonio, quod Paul. ex Genesi. 15. in hanc sententiam accersit, Credidit Abrahā Deo, & reputatum est illi ad iustitiam. Ad cuius primum omnium dextram intelligētiam id præmittendū est, quod demiror, neq; ab ipsis, neq; a nostris fuisse adnotatum. Illum inquàm locum non allegat Paul. tali sensu ut astruat, tunc primum fuisse Abraham iustificatū: id est, ex iniusto effectum iustum. Illud nanq; affirmatur de illa fide quā adhibuit Deo promittenti sibi semen, iuxta ste

larum nũmerum: & id quidem ex sterili, & demortua Sara. Quod uero Abraham iam pridem fuisset iustus, extra dubitationem est: siquidem iam iussu Dei peregrinatus fuerat in terram Chanaã, peragraueratq; Aegyptum, et australem plagam, quatuorq; debellauerat reges in uirtute Dei. Quin uero, neq; in dubiũ dandum est, quin antequàm ei Deus primum loqueretur in Haran, fuisset eius amicus. Sicuti Noe, & multi ex suis progenitoribus, & Sara, & Loth. Per illam scilicet fidem, quæ erat sufficiens in lege naturæ. Quin optimum crediderim fuisse tũc Abraham omnium mortalium, cũ quo Deus de altissimis mysterijs Christi, accepta, dataq; fide, pacisceretur. Parauerat enim animum, cui sua arcana cõmissurus erat. Igitur Paul. illo testimonio duo intendit stabilire. Primum, quod ante circuncisionem, atq; adeo ante legem scriptam fuissent iam homines iusti. Contra tumorẽ Iudæorum, qui soli illi sacramento tribuebant causam iustificationis ab originali culpa. Secundum, quod nullum unquàm fuit opus iustum, nisi quod procederet ex fide: atq; adeo fidẽ esse fundamẽtum, & exordium salutis. Vnde uerbum illud, Reputatum est illi ad iustitiam, nihil aliud significat, quàm qđ assensus ille fidei fuit actus iustitiæ meritoriusq;, & Deo acceptus: sicut opus iusti. Quale profecto & illud est euangelij de Publicano. Descendit hic iustificatus in domum suam ab illo. Non enim est sensus, quod tunc primum ex iniusto factus est iustus, ut cap. 4. dicebamus: sed quod illa confessio peccatorum, & oratio non cõfidentis in suis operibus ut Pharisæus, fuit opus iustitiæ. Atq; eodem intellectu audienda est series illa iustorum, in quibus ostendit Aposto. ad Hebręos. xi. necessitatem fidei. Non enim duntaxat loquitur de prima iustificatione, sed in genere, quod nullum unquàm opus fuit iustum, nisi ex fide procederet. Et ideo ait. Fide plurimam hostiam Abel, q̃ Chaim obtulit. Fide Noe aptauit archam. Fide Abrahã uocatus obediuit. Scilicet, quod fide ostẽdente unũ Deum remuneratorẽ, atq; adeo spe præmij opera illa ex dilectione eiusdẽ Dei faciebant iusta. Ex istis ergo locis non solum nõ elicitur, solã fidem sufficere, uerũ id palam colligit̃, qđ ut nullum opus fieri põt iuste coram Deo, nisi ex

Fides Publicani.

Heb. xi.

fide proficiscatur, ita neq; fides est per se sufficiens, nō solum ad colendam, & multiplicandā amicitiam Dei, uerum neq; ad ineundam sine alijs operibus auxilio Dei factis, quæ ipsa fides ostendit esse necessaria. Et eodem refertur mens Iacobi

Iacobi. 2 interpretantis Paulū, & fidem Habrahæ. Qui profecto non id tantū intendit, quod fides cooperat operibus ad augmentum iustitiæ, ut aliqui interpretātur, sed etiam quod neq; prima iustitia acquiratur sola fide sine operibus dimanantibus ex ipsa fide per auxiliū Dei. Nam in genere loquitur, ita propones. Quid proderit fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem nō habeat, nunquid poterit fides saluare eū? Et subdit, Fides si non habet opera, mortua est in semetipsa. Quod certe non solum intelligitur de christiano relapso, sed quod si infidelis certissimā fidem haberet Euangelio, non tamen faceret, quæ illa docet, ad assequendam iustitiam, fides otiosa esset. Et ideo subdit, quod Abrahā pater noster ex operibus iustificatus est, offerens filium suum Isaac: id est, nunq; illa fides quam præstitit Deo, fuisset opus iustitiæ, nisi proponeret facere iuxta præceptum Dei. Et ita fides cooperata est operibus, ipsisq; est deinceps adulta, & consummata. Idemq; monstrat in fide Raab meretricis: quippe quæ non est ex fide tantum iustificata: sed quia credens exploratoribus pollicentibus se eam seruatum ire, qui Dei iussu ueniebant, spe, & amore Dei abscondit eos. Intentio ergo Iacobi est, quod ab ipsa statim assecutione iustitiæ inchoat fides per opera cha-

Aug. ritatis operari. Vnde Aug. lib. 83 quæstionū. q. 76. ubi hanc materiam ex professo dilucidat, concilians Paulum, dicentē, fide hominem sine operibus iustificari, cum Iacobo, dicente fidem cooperari operibus, ait, primū loqui de operibus præcedentibus fidem: alterum uero de subsequentibus. Verumtamen non solum intelligendum est de subsequentibus gratiam iustificantem, sed suo etiam modo de subsequētibus na-

Ad tertiū ordinē authoritatum. tura fidem, ac disponentibus ad infusionem gratiæ. ¶ Subsequitur tandem, ut ad tertium respondeamus argumentum, quo puncto axis uertitur huius controuersiæ. Ait de libert. christ. Luther. omnia esse reijcienda opera, non modo extera, uerum etiam speculationes, meditationes, & quicquid

per animi studia geri potest: quoniam nihil horum quicquàm prodest. Sed una re, eaq; sola opus est ad uitam, iustitiam, & libertatem christianam. Ea est sacrosanctum uerbũ Dei, euangeliũ Christi, sicut ait ueritas ipsa. Ego sum resurrectio & uita, qui credit in me non morietur in æternũ. Verbum autem sola fide, ut assensus est mentis, apprehenditur, sola ergo sufficit. Inprimis, quod solum uerbum sit tota nostra salus, recens, inauditumq; idioma est. Christus enim in parabola seminantis, non docet uerbum esse totam frugem: sed semen, inquit, est uerbum Dei. Et secundum cooperationem terrę in qua seminatur, ait, ferre fructum. Quod si cadat secus uiam, neq; herbescere permittitur a uolucribus cæli. Et alibi. Qui audit uerba mea hæc, & facit ea, similabitur uiro sapienti, domum suam ædificanti supra petram. Si uero audierit, & non fecerit, similis erit uiro stulto ædificanti super harenam. Verbum ergo euangelicum est quidem causa salutis nostræ: est enim uirtus in salutem omni credenti: sed tamen uirtus tanquàm semen & fundamentum. Igitur non satis est ad salutem, ut sola fide apprehendatur uerbum: id est, assensu mentis credatur promissioni, nisi una credentes cooperemur Deo per charitatem ad conuersionem, & iustitiam nostram. Agnoscimus ergo, credentes accipere remissionẽ peccatorum per nomen Christi, ut docet Petr. non ita tamen ut sola fide assentientes apprehendamus, sed fide per charitatẽ operante. Non enim auscultamus Philippũ recentẽ euangelicum in locis cõmunibus commentãtem, quod solo assensu fidei, quo apprehenditur uerbum, apprehenditur iustitia, sed Philippum olim euangelij ministrum, in Actibus apostolorum rogantem eunuchum, antequàm baptizaret, an crederet ex toto corde. Ex toto quippe corde credere, idẽ est, quod ait Christus, diligere ex toto corde. Vbi commonemur neminem recipi in gratiam Dei, nisi actu charitatis, & pœnitentiæ ferat in peccata, quæ impedimento sunt diligendi eũ ex toto corde. ¶ Sed hic iã audio nostros homines clamoribus nos obruẽtes, & querimonijs, cur ita illis inique imponimus: quia nos, inquiũt, non negamus pœnitentiã necessariã, neq; uero opera: quin etiam ita fidei tribuimus per charita-

Lucę.8.

Philip. Melan.

Actu.8.

tem operari, ut ubiq; inclamemus comites esse indiuiduos. Nemo sane est inter nos, qui uobis imponat. Nam satis supra demonstrauimus, oretenus uos prædicare, quod iustificamur fide per charitatem operante: re tamen negatis. Nam etsi admittatis necessitatem pœnitentiæ, nullam tamen dispositionem esse uultis ad gratiam. Et quàmuis dicatis charitatem infundi post natura, quàm gratiam, nullum eius tamẽ motum agnoscitis, quo in Deum ipso præueniente moueamur ad obtinendam gratiam: sed fide sola uultis, ut recipiatur. Quin duo se cõmpugnantia dicitis. Nempe, quod fides iustificans includit charitatem, & tamen iustificat prius natura quàm adueniat actus charitatis. At fide sola iustificari, ait in locis communibus Philip. nihil aliud pollet, quàm gratis iustificari. Hoc tamẽ ipse nunquàm extorquebit a nobis. Non enim idẽ est gratis, & per fidẽ: ambo quippe tanquàm duo enunciat Paul. puta gratis per fidem: gratis, quia nullis præcedentibus meritis. Per fidem autem, non quod ipsa sit sola, quæ iustificat, sed præueniente spiritu sancto FIDES

Synod. Triden. QVAE PER CHARITATEM OPERATVR. Ita S. Synodus eodẽ sancto spiritu edocta exponit Paulum, Ses. 6. ca. 8. scilicet, quod ubicunq; Aposto. dicit iustificari hominem per fidem, & gratis, ea uerba in eo sensu intelligẽda sunt, quẽ perpetuus ecclesiæ catholicæ consensus tenuit, & expressit: ut scilicet per fidem ideo iustificari dicamur, quia fides est humanæ salutis initium, fundamentum & radix omnis iustificationis, sine qua impossibile est placere Deo, & ad filiorum eius consortium peruenire. Gratis autem iustificari, ideo dicamur, quia nihil eorum, quæ iustificationẽ præcedunt, siue fides, siue opera ipsam iustificationis gratiã promereatur.

Finis. 2. libri.

FRATRIS DOMINICI SOTO SEGOBIENSIS ORDINIS PRAEDICAtorum. De natura & gratia.

Liber Tertius.

De obligatione iusti ad obseruantiam legis. cap. I.

QVæ pars in distributione operis huic demũ tertio libro relinquebatur, ea erat de potestate iustificati hominis. In singulis enim quatuor statuum, quos efformãdos instituimus, eum secuti ordinem sumus, ut primum in tali statu & habitu constitueremus hominem, ac deinde quæ esset ipsius facultas ad uirtutis opera expenderemus. Ad hunc quippe modum de homine disertum nobis est: primũ in puris naturalibus, mox in flore naturæ integræ: ac deniq; in casu naturæ corruptæ. At quia de homine in gratiã restituto, amplior habendus fuit sermo, proximum librum explicando reconciliationis rationem & modum, totum insumpsimus: huius uero priorem partẽ de facultate iusti: posteriorem uero de gratiæ certitudine occupabit disputatio. Porro autem trina facultas semper agnita fuit & confessa a S. Patribus, & theologis, hominis per gratiam Dei iusti, eiusq; fauore, & auxilio nixi. Sane ad cõplendum opera legis, & ad satisfaciẽdum pœnitentiæ fructibus, pro remissis peccatis: ac demum ad merendum uitam æternã. Quam prorsus triplicem potestatẽ Lutherani abnegare abiurareq; ptendunt. At quo ad primum membrũ descẽdamus, præuidere est opus, an forte de homine iusto contradictoria proferant circa diuina præcepta. Luther. in eo libello, cui titulum fecit de liber. chri. ita hominem huiusmodi libertate per solam fidem donatum, extulit, ut penitus a tota lege liberauerit. Et simul nihilominus eadem pagella docet, præcepta legis impossibilia esse omnia, quæ a nobis impleãtur. Quin uero ex eo quod sunt nobis impossibilia, fit, inquit, ut unico actu fidei impleamus omnia, Intuere quo euaserit, ue-

Diuisio libri.

Trina facultas.

Lutheranorũ contradictio

Lutheri uesania. sania illa, quam idcirco tam multis reprobauimus lib.1. scilicet, quod concupiscentia post remissionem in baptismo semper maneat peccatum, eademque prohibeatur illo mandato, Non concupisces. Exinde enim colligit, quod sit omnino cõcupiscentia carnis, ineuitabilis transgressio. Quin uero cum inclinet hominem contra omnia præcepta, omnium sit uirtute (etiam citra consensum uoluntatis) transgressiões, quas euitare non possumus. Sed tamẽ qui fide, ait, certo credit, omnia condonari per Christum, illa sola fide nõ solum obtinet, ut non sibi imputentur peccata illa, sed totam legem implet.

Nulla uirtus præter fidem. Atque adeo qui credit, inquit, lege iã liberatus est. Ex quo cõtinuo conficit, nullam esse uirtutem, nisi fidem, neque aliquod esse peccatum præter incredulitatem: iuxta illud ad Roma. xi. Conclusit Deus omnia in incredulitate, ut omnium misereatur. Hæc uerborum tamen portenta sui seipsa enarratiõe produnt, quàm sint absurda. Nam primum, si sola fide credẽtes implent omnia præcepta, quomodo sunt completu impossibilia?

Contra Luthe. Respondet Marti. quia ipse Deus, qui præcipit, implet. Hoc certe falsissimum est. Nanque (ut maiorem explicationem in sequentia capitula reseruemus) non ipse est qui credit sibi: sed nos sumus qui illi credimus. Fides enim licet fiat ab ipso, in nobis tamen est, non in ipso.

Aug. Vnde Aug. lib. 1. retrac. Licet Deus operatur, inquit, omnia in omnibus, nõ tamen credit omnia in omnibus. Si ergo per fidem implentur præcepta, nos sumus qui auxilio Dei implemus, atque adeo non sunt nobis seruatu impossibilia. Sed de hoc paulo post. Nunc enim hoc tantum euincere damus operam, quod iustus nõ protinus eximatur ab obligatione legis.

Lutheri antithesis. Ita enim ait Luther. quod iustus non operatur ex obligatiõe, sed ex amore solum: iuxta illud Pauli. Nemini quicquàm debeatis, nisi ut inuicem diligatis. Vnde illam statuit antithesin. Christianus homo omnium dominus est liberrimus, nulli subiectus sed tamen omnium officiosissimus: & ideo omnibus subiectus.

Conclo catho. Nos autem contrariam confitemur cõclusionem. Christianus quantacunque polleat sanctitate, nullus a legis obligatione liberatur.

Primũ argm̃. Et primum omniũ Luthe. sordidissime permiscet, ac confundit libertates diuersas. Aliud enim longeque

diuersum

diuersum est, uirum omni officio, & sanctitate progressum li- berum esse a renitentia, & molestia sensualitatis, aliud uero li- berum esse a legis uinculo. Demus enim hominem, non solū utcunq; in gratia Dei, sed adeo prouectum, ut audeat cum Paulo dicere, Quis me separabit a charitate Christi. Is profe cto ex charitate, & filiali timore, omni procul posito metu, operabitur: sed tamen non propterea est liberatus a nexu le- gis. Obligatio quippe legis in hoc consistit. quod qui cōtrafe cerit, reus eius sit, atq; adeo indignationem & iram Dei in- currat: quicunq; autem, quantumcunq; iustissimus contra le gē faceret, haberetur reus apud Deum: ergo ut summa quisq; libertate faciat iussa legis, non tamen exemptus est a lege: sed id tantū est assecutus, ut sint sibi leuissima, ac suauissima eius præcepta. Quin uero etiam apostoli in gratia confirmati te- nebantur lege. Alias, quid Paul. corpus tam acerbe castiga- bat, & in seruitutem redigebat, ne cum aliis prædicabat, ipse reprobus efficeret, & seruari petebat a colaphizante se ange lo Sathanæ? Sed & sanctissima uirgo, quæ non solum fuit cō firmata, ut nec uenialiter peccaret, sed neq; ullum experta est tumultum carnis, aut tentationem ad malum, obligabatur lege, quam si transgrederetur, rea fuisset, & in culpa coram Deo. Et tamen Luther. qui non solum agnoscit luctam car- nis cum ratione, sed illam ait esse ineuitabile peccatum, non modo perfectissimos homines, sed quemcunq; iustum, in quo, præter naturalem concupiscentiam, extant corrupti habitus, & uis prauæ consuetudinis, uult liberum esse a le- ge: & quod ex amore omnia facit. Nunquid non istud pesti- lētissimum dogma, amoris fuco delinitum, in perniciem est omnium uirtutum. Quot inuenias inter iustos etiam homi- nes, qui, si lege essent soluti, opera ex amore uniuersæ legis præstarent? Vnus fuit Christus, qui nulla legis obligatio- ne opus habebat, eo, quod cum homo Deus esset, repugna- bat, ut opus aliquod etiam humanum, nisi iuxta diuinam regulam, ageret. ¶ Accipe contradictionem alteram absoni huius dogmatis. Sacramentum fidei nihil aliud est, q̃ profes- sio seruandæ legis: iuxta illud. Euntes docete omnes gentes,

Duæ li- bertates.

Obliga- tio legis.

Altera cōtradi- ctio.

baptizātes eos, & docentes eos seruare omnia quæcunq; mandaui uobis. quid ergo est, quod contra obstrepit Luther. per fidem liberari hominem a lege? An uero alijs quàm professoribus legis dicebat Christus, Si uis ad uitam ingredi, serua mandata? Non homicidium facies: non adulterabis, &c. Est enim decalogus adeo iure naturæ mētibus hominum inscriptus, ut neminem unquàm mortalium non obligauerit: quomodo ergo Christus naturæ perfector, nō illum edixisset professoribus fidei? Vnde Paul. Roma. 3 legem ergo, inquit, destruimus per fidem? Absit, sed legem statuimus. Et ad Thes. 4 Hęc est uolūtas Dei, sanctificatio uestra, ut abstineatis uos a fornicatione, &c. Et subdit. Non sicut gentes quæ ignorant Deum. Acsi dixisset, quo magis nos fides altius in notitiā Dei promouet, eo maiori nexu obstringit ad sanctitatis custodiam. Nā, ut ait ueritatis ipse magister, Ille seruus, qui cognouit uoluntatem domini sui, & non se præparauit, & non fecit secundum uoluntatē eius, uapulabit multis: qui autem non cognouit & fecit digna, plagis uapulabit paucis. Vide quātū abest, fidem liberare a lege, ut potius ex cognitiōe fidei accessio fiat culpæ, transgressori. Et præterea confirmatur conclusio. Lex decalogi nihil aliud est, quàm, diliges dominum Deum tuū ex toto corde tuo, & proximū sicut teipsum. In primo enim continētur præcepta primæ tabulæ, & in altero, præcepta secundæ: fides autē hoc nos suapte natura docet, & huc animos nostros appellit, ut Deū & proximū diligamus: ergo ad hoc etiā nos lex euangelica astringit: atq; adeo nullus christianus per fidem relegatur a lege, sed potius ad sanctissimā eius custodiam obligatur. ¶ Postremum itaq; atq; euidentissimū argumentum ad prodendum hunc errorem, est, quod si iustus liber esset a lege, non posset amplius iustitiam amittere: sane, quæ nisi per legis transgressionem, amitti nequaquàm pōt. Ad hoc argumentum duobus modis cogitare possumus ut respondeant. Primo, quod qui semel est in gratia accepto regenerationis lauacro, non possit amplius peccare. Hæc autē fuit hęresis Iouiniani, ut refert Aug. lib. de hęres. ca. 82. quā et nunc S. Synodus Triden. can. 23. condemnat. Neq; opus est

Matth. 19. | Rom. 3 | Thes. 4. | Confir. | Postremū argumentū. | Hęresis Iouiniani. | Synod. Triden.

in errore adeo manifesto deuincendo tempus insumere. Nõ enim solũ principes duos amicos Dei, Dauid inquàm ex ueteri testamento, & ex nouo Petrum lapsos nouimus, uerũ & Adam in tãto gradu & felicitatis culmine conditum, atq; ipsum etiam primũ angelum, tanquàm Luciferum exortum: utpote, & diuina cognitione splendidum, & diuino amore flagrantem, legimus cecidisse. Quocirca intelligere non possum, quid sibi Bucer. obtendiculo illo uelit, quo in concordãtia huius controuersiæ protegere nititur magistrum suũ. Dicens, quod fides iustificans ex eo liberet iustum a lege, quod qui fide uiua credit, nihil aliud potest, quàm gloriã Dei quærere, & hac metiṫ necessario omnia. Etenim falsissimum inprimis est, peccata uenialia referri posse in gloriã Dei, a quibus tamen nemo iustoꝝ incolumis est. Et præterea licet dũ iustus pseuerat in iustitia, committere nequeat peccata, quæ simul sint cum gratia, est nihilosecius semper in periculo peccandi. Nanq; fides iustificans non liberat hominem a possibilitate peccandi: & ideo non est, cur liberet a lege prohibente peccata, Quapropter, quod uehemẽtius istos in suspitionem criminis Iouiniani ptrahit, est, quod citãt in testimoniũ suæ sententiæ illud. 1. Ioan. 3. Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniã semen ipsius in eo manet: & non põt peccare, quoniã ex Deo natum est. Inde. n. illi arguebant, iustum peccare nõ posse, Quod tamen Aug. & secundũ eum S. Tho. 2. 2. q. 24. ar. 11. respondet, quod triplex est charitatis cõsyderatio. Prima, quatenus est motus spũs sancti. Et ex hac parte charitas nullum põt admittere peccatũ. Atq; ad hoc ptinet perseuerantia: quæ est donum ipsius spũs sancti, manutenentis nos. Secũda consyderatio charitatis est secundũ ipsius propriã rationem. Ex qua etiam parte repugnat illi peccatũ, sicut calori, infrigidare. Et utroq; modo intelligitur uerbum Ioãnis, quod, qui natus est ex Deo peccare non põt, si solum consyderetur ratio seminis, quod est in illo. Sed tertia consyderatio charitatis est ex parte subiecti: puta hominis in hac uita. Et hac de causa amitti põt charitas: quia cũ fides, obscura sit cognitio, non ostendens nobis essentiã ipsam diuinam,

Buce.

1. Ioan. 3.

Triplex cõsyderatio cha.

non ita configit uoluntatem nostrā Deo, ut semp sit in ipsum intenta: atq; adeo nec tāti uigoris est, ut superare omni ex parte ualeat pugnas huius nostræ militiæ: & ideo iusti semp lege no opus hñt legis. Facialis aūt illa uisio est, quæ beatos, molestia iā carnis exutos, ita in diuinū transformat amorē, ut nulla opus hēant cogente lege. Nostri uero Protestantes, qđ ꝓpriū

Secūda rñsio. est illius beātis uisiōis, fidei uolunt iustificāti tribuere. ¶ Altera uero rñsio Lutheranoꝝ est ad argumentum propositum, quā a suo sunt magistro docti: uidelicet, qđ q̄uis iustus gratiā possit iustitiāq; pdere, id tñ nō pōt, nisi uno peccato incredu-

Luthe. litatis: sicuti iustitia non acquirit nisi una uirtute fidei. Ita. n. lib. 1. ca. 5. referebamus ex Luthero aduersus Carolstadium. Nullū est peccatū nisi incredulitas, nulla iustitia nisi fides. Et de capti. Babyl. Nulla peccata possunt hominem dānare, etsi uelit, nisi sola incredulitas. Neq; hñti fidē dubitādū est de sua salute, quia ꝓmissio ibi facta nullis peccatis est mutabilis, nisi sola incredulitate. Et in deuotis monasticis. Nulla opa credēti in Christū tā mala sunt, quæ possint eum dānare, & accusa-

Punctū contradictionis. re. Cernenda ergo hic est intētio istoꝝ, ꝑpendendūq; punctū contradictionis inter nos, & ipsos. Intendunt, quod cū Deus simplr, & sine dependētia ab operibus nostris promiserit nobis salutem, solum tenemur adhibere fidē illi promissioni nude, & absolute, sine respectu impletionis aliorum preceptoꝝ. Et ideo dixit Luthe. super epistolam ad Gal. ꝙ sola fides necessaria est, cætera omnia opa liberrima, neq; præcepta, neq; prohibita. Confessio autē catholica est, quod promissio euangelica non est nuda & absoluta, sed tali peccatoribus conditione promittitur salus, si præteritæ uitæ pœnitentes proponant seruare mādata. Quamobrem ut sola fides non sufficit ad iustificationē, ita neq; absoluit iustum ab præceptoꝝ uin-

Synod. Triden. culo. Et ideo Synodus modo mentem istorum, plene intellectam condemnauit. Nam can. 19. anathema eos pronunciat, qui nullum præceptum esse aiunt in euangelio, prçter fidem, cætera uero indifferentia esse. Et can. 20. eos qui aiunt hominem iustificatum, & quantumlibet perfectum non teneri ad obseruantiam mandatoꝝ Dei & ecclesiæ, sed tantum ad cre

dendum, quasi euãgelium sit nuda & absoluta promissio uitæ æternæ, sine conditione obseruationis mandatorũ. In his postremis uerbis punctim attingitur radix Lutherani huius erroris. Non.n. præceptũ fidei est tota lex euangelica. Haud quidem theologos præterit dubitatio illa, an infidelitas esset causa omnium peccatorum. Neq; diffitentur, multa peccata ex debilitate & languore fidei promanare. Nam cum ex fide & spes nostra ortum habeat, & officiosa charitas uegetetur, quo firmior est fides, robustior spes est, & ardentior charitas. Vnde Paul. postq; uiderat arcana Dei, nihil in rebus metuebat, p quod posset ab eius charitate diuelli. ¶ At uero ijs nihil obstantibus tripertita statuitur hic cõclusio. Sane, q; neq; omnia peccata infidelitas sunt uel incredulitas, ut isti autumant, neq; infidelitas est omnium causa, neq; per quodcunq; peccatum expungitur fides. Primum membrũ manifestum est. Nã licet omni peccato hæc sit communis ratio: puta, quod sit dictum uel factum, uel concupitũ contra legem Dei, atq; adeo auersio ab eius bonitate, differunt tamen specie uitia, ratione conuersionis ad obiecta diuersa, quæ ab illo sunt intenta, qui peccat. Nemo enim respiciẽs ad malum operatur, sed ductus specie boni. Quemadmodũ uirtutes ipsæ inter se distant rõne obiectoꝵ, quæ singulis sunt proposita. Quocirca, ut uirtutes, sic ẽt & uitia obiectis primum omnium discernũtur. Atq; omnium prima differentia est, quod uitia illa, quæ sunt proxime contra Deum specie ab illis differunt, quæ sunt contra proximũ. Sicuti uirtutes tres theologicæ, a moralibus. Quinimo propter diuersas rõnes quibus in Deo differunt tria illa obiecta, scilicet, ueritas, quæ obiectũ est fidei: & beatitudo nostra, quo tẽdit spes, & sua in se bonitas, quæ obiectũ est charitatis, diuersæ uirtutes sunt, fides, spes, & charitas, diuersaq; ẽt impietatis crimina, infidelitas, desperatio & odiũ Dei. Porro aũt neq; uniuersa peccata circa tẽporaria bona eiusdẽ sunt generis. Nã oẽ qđ est in mundo, aut cõcupiscẽtia carnis est, aut cõcupiscentia oculoꝵ, aut sũbia uitæ. Quibus uerbis Apls, iuxta bonũ, philosophis tripartitum, species uitioꝵ discreuit. Est.n. alia cõcupiscentia naturalis, quæ ad tactum ptinet, uel ciboꝵ & aliaꝵ rerum, quibus indiuiduũ cõseruat̃, uel uene-

Theologi.

Conclo.

Rõ peccati.

Differẽtia peccatorum.

1. Ioan. 2.

reorũ,quibus propagatur species. Alia uero animalis:quippe eorum,quæ sola apprehensione & possessione,uel potius usu delectãt:ut pecuniæ, & id genus utilium bonorũ. Quarum primam uocauit Apost.concupiscentiã carnis,& secundam,concupiscentiam oculorum. Sed tertius appetitus est sublimium bonorum,magisq; spiritualium:quales sunt honores:atq; hunc nuncupauit superbiam uitæ. Sed & sub his

Grego. tribus generibus agnouit Grego.31.moralium,septem capitalium uitiorum species,theologis, imo christianis uniuersis receptissimas,quas ad Rom.1.& ad Gala.5.commemorauit

Mẽbrũ secundũ cõclõnis Paul. Quorsum hæc? Certe ut ostendamus, non omnia crimina,esse peccata infidelitatis, sed obiecta habere diuersissima. Ex quo facillime colligitur secundum membrum assertę conclusionis:scilicet,non omnia enasci peccata ex infidelitate,sed ut suis sunt obiectis diuersa, ita ex diuersis affectionibus,& animi ægritudinibus perpetrantẽ. Reuera,qui uel ira percitus occidit,uel turpi amore captus labitur, uel auaritiã sordet,non peccat contra fidem: nam certus est male agere.

Mẽb.3. Vnde consequens tertium membrum fit conclusionis: scilicet,quod non per quodcũq; peccatum extinguitur fides. Sicut enim in alijs uirtutibus non quicunq; peccat ex ira,amittit temperantiã circa delectabilia tactus, nec qui peccat contra temperantiã,amittit liberalitatem: ita neq; quocunq; peccato mortali amittitur habitus fidei,quo uere credimus,omnia nobis diuinitus reuelata,atq; adeo promissionem ipsam remissionis peccatorum,si uoluerimus corda a nostris iniquitatibus per gratiam Dei reuellere. Quod si diuersæ sint ma-

Diuersa præcepta. teriæ uirtutum,et uitiorum,circa quas diuersi nostri affectus uersantur,diuersissima etiam sunt alia præcepta a præcepto fidei,atq; diuersæ obligationes,quales in ipso distinctissimõ decalogo separatim exprimuntur. Atq; adeo, quod intentũ est huius capitis,fides haud quaquàm iustum eximit a lege, sed legi potius subdit. ¶ Vnus aut alter locus est scripturæ,

Argumenta Luthe. quem possunt aduersarij huic catholicæ ueritati obmoliri, quippe uerbum illud Pauli.1.ad Thimo.1. Lex iusto non est posita,sed iniustis,& nõ subditis, impijs,et peccatoribus,et c. Et illud Gal.5. Si spiritu Dei ducimini non estis sub lege:om-

nes autem iuſti ſpiritu Dei ducuntur: iuxta illud ad Roma. 8. Qui ſpiritu Dei aguntur, hi ſunt filij Dei. Quibus accedit & illud. 2. Corin. 3. Vbi ſpiritus domini, ibi libertas. Ad hæc autem facillima eſt, ueriſſima, & planiſſima theologorū omnium reſponſio, niſi uniuerſos iſti reſpuiſſent. Sunt enim in lege uirtutes duæ. Prima, quod eſt regula noſtrarum actionum, cuius tranſgreſſio, peccatum eſt, & a qua legis uirtute nemo excipitur. Nam omnis anima (inquit Paul.) poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit, neq; poteſt quiſquàm Deo aut ſuis poteſtatibus eſſe ſubditus, niſi ſit ſubiectus legibus. Sed alia uirtus eſt legis coerciua, quæ cogit incontinentem contra ſuas agere appetitiones, & hoc modo iuſtus, ille ſcilicet, qui ſedatas iam habet, & pacatas turbulentas paſſiones, non ſubditur legi, quoniam nutui ſpiritusſancti omni procul metu legis obſequitur. Rñſio.

De explicatione legis. cap. 2.

Hoc itaq; primum conſtituto, quod iuſtus non illico liberatur a legis uinculo, ad iudicandum, an poſſit plene ſatisfacere legi, quæ principalis eſt intentio in prima parte huius libri, breuis præmittendus eſt ſermo de explicatione legis: ſane, de qua, neq; omnino aduerſarij nobiſcum conſentiunt. Atq; in capite primum hæc ſancta confeſſio chriſtianis ſupponenda eſt, quòd Chriſtus non ſolum a Deo datus hominibus eſt, ceu redemptor, cui ſit fidendum, uerum ut legislator cui eſt obediendū, ut Synodus Triden. can. 21. ſanxit contra impios quoſdam, negantes fuiſſe legislatorem. Et quidem, quatenus res ad decem præcepta ſpectat, quàmuis uniuerſa ſint de iure naturæ, & in lege ueteri fuerint explicata, tamen in lege euangelica obligationem habēt iuris diuini, eo, quod a Chriſto ſunt præcepta. Lex enim uetus ſimpliciter quantum ad illius legis obligationem attinet, prorſus abolita eſt, & extincta in ipſo paſſionis momento, quo Chriſtus protulit, conſummatum eſt. Nam translato ſacerdotio, inquit Paul. neceſſe eſt ut legis translatio fiat. Vbi abſq; ulla exceptione totam legem expiraſſe docet, quo ad uim obligādi. Illud autem theologorum axioma, quod ex pręceptis antiquis, cerimonialia anti-

Chriſtus legislator.

Heb. 7.

Tria genera præceptorum. quata sunt & abolita: legalia uero, non omnia: sed moralia, omnia permāserunt, sic intelligendum est, quod prima, quia erāt figura ūeturi Christi, non licet amplius præcipere in noua lege: ne sint falsa signa. Secunda uero licite integrari pñt, sed tertia, quia erant iuris naturæ, necessarium fuit, ut iterato instaurarentur. Itaq; decalogus, præter obligationem naturalem, nullam prorsus habuisset in euangelio obligationem diuinam, propter uinculum antiquæ legis (quæ perinde tota cessauit, acsi nunquàm fuisset) nisi denuo præceptus fuisset a Christo tanquàm a uero legislatore, & explicatore iuris naturalis. Vnde tanquàm uerus legislator multa exponendo mandauit, & commendauit ad idem ius pertinentia, quæ mundus tunc ignorabat. Vt, Beati pauperes spiritu, quoniā ipsorum est regnum cælorum, Beati mites, & beati qui lugent, Siue consilia sint, siue aliquando præcepta, nihil modo disputamus. Neq; uero solum ut scribæ, & pharisæi legis enarratores, sed tanquàm potestatem habens, leges ponebat, Audistis, quia dictum est antiquis, Non occides, ego autem dico uobis, Quicunq; dixerit fratri suo racha, &c. Audistis, quia dictum est antiquis, Non mechaberis, ego autem dico uobis, Quicunq; uiderit mulierem ad cōcupiscendum eam, iam mechatus est in corde suo. Atqui præter hæc naturalia adiecit, & præcepta sacramentorū: Vt, Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritusancto, non intrabit in regnum cælorum: &, Nisi māducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis uitam in uobis: &, Nisi pœnitentiam habueritis, oēs simul peribitis. Neq; id tantum uerum, utcunq; aduersarij resultent, facultatem fecit ecclesiæ leges cōdendi, quæ essent uelut suarum antemurale, quibus uineam suam sepierat, Non quod ipsi deesset prudentia perfectissime instituendi totum ecclesiæ ius: sed quia sciebat temporum, locorumq; uarietatem, diuersosq; hominum casus nouis nonnunq; legibus indigere, At non est hic locus hæc pressius tractandi: sed hæc meminimus ad enarrandum canonem Concilij, qui hoc tempore fuit propter quosdā necessarius. ¶ Hac autem consyderatione præmissa, duo sunt puncta, de quibus Lutherani a nobis dissentiūt, intellectu necessaria ante disputationem

[Margin: Sacramētorū præcepta]

[Margin: Facultas ecclesiæ ad cōdendas leges.]

[Margin: Duo pūcta discordiæ.]

tationẽ de satisfactione legis. Primum de explicatione præceptorum: et alterũ, an præcepta sint aliqua cõsilia. De primo ergo puncto aiunt (ut est uidere apud Melanthonẽ in loco cõmuni de bonis operibus, & apud Bucerũ in lib. de concor. cõtrouer.) quod nos doctrinam operum præclare tradimus de externa hypocrisi, aut de humanis cerimonijs: opera uero primæ tabulæ & fontem bonorum operum ignorãmus, & obruimus. Et uocant externam hypocrisim, septem præcepta secundæ tabulæ. Siquidem hypocrisim discernunt a præceptis primæ tabulæ, quam uocant internam iustitiam. Interna autem iustitia, est, inquiunt, credere uerbo Dei, timere Deum, confidere Deo, firmare semp fiduciam, ne uincat dubitatio, quod sumus in gratia Dei. Quæ quidem dubitatio, aut contemnit Deum, aut fugit iratum, aut non uere inuocat. Ecce mysteria in quibus isti collocant totam uitam christianam, suadẽtes hæc omnia exteriora, aut nihil, aut perparum referre: sed totum negotiũ Christiani intus consistere in corde. Neq; enim satis eluere eum possunt colore, quo sunt a magistro suo tincti, in de liber. christ. ubi ait, nihil prodesse externa opera: scilicet, uersari in locis, & officijs sacris, ieiunare, neq; uoce orare, imo neq; interiores speculationes, aut meditationes, præter unam fidem & fiduciam. Inprimis, quàm infra dignitatem loquantur de præceptis secundæ tabulæ, quin uero quàm indigne de illis sentiant, quis est, qui non uideat? Putãt enim in hoc tantum esse nobis iussa, quod Deus nos uoluit illis exercere, quibus tanquàm testimonijs fidei ipsum glorificaremus. At uero ratione longe diuersa discernit ecclesia catholica inter primam ac secundã tabulam præceptorum. Non enim distinguũtur uti externa opera ab internis: nã tam in prima, q̃ in secunda præcipiuntur, & intima, & extera opera. Discrimen autem est, quod cum Deus, & in se optimus sit, ac propter se colendus, & naturæ quoq; author, rerumq; genitor, cui nostri cura est, & prouidentia, in duobus summam posuit omnium mandatorum: scilicet, Diliges dominũ Deum tuum ex toto corde tuo, &c. & proximum tuum sicut teipsum. Ex quibus mandatis ait, uniuersam legem pendere & Prophetas. Primũ aũt quod ad suum

Melan.

Bucer.

Hæresis.

Luthe.

Indigne Luthera ni de. 2. tabula loquunt

Distinctio primæ & secũdæ tabularum.

ipsius pertinet cultũ, in prima tabula iussit tribus præceptionibus explicari: secundum autem, in altera, septem alijs. Neq; uero præceptiones primæ tabulæ, mentis sunt duntaxat meditationes, sed in opera se etiam exerunt. Primum enim præceptum nõ est formaliter dilectionis, sed ipsius explicatio: scilicet, unicum, trinumq; credere Deum, idola, uti deos falsos execrari, in quibus nihil est numinis, illum esse unum, cui soli cordis, oris, & operis laus, & cultus debetur. Secundum etiã præceptum de sanctificatione sabbati non intus tantum in mente, sed in cultu etiam exteriori positum est, atq; adeo tertium de suo sancto nomine non uanis iuramentis usurpando. Quocirca nouum inuentum est, hoc penitus prima tabula præcipi, credere uerbo Dei, confidere, & firmare semper fiduciam, ne uincat dubitatio, an assecuti fuerimus promissiones Dei. De quo latius lib.3.in de certitudine gratiæ. Atqui ut in prima tabula opera etiam iubentur exteriora, ita & in secunda, opera quoq; interiora. Non enim solũ iubemur charos uenerari parẽtes, externis pietatis officijs, sed intimo etiã affectu. Neq; tantum iubemur abstinere a re uel thoro alieno, sed non cõcupiscere uxorem, aut rem proximi. Igitur (quod in principio ꝓponebamus) & falso, & indigne opera secundæ tabulæ uocant hypocrisim. Est enim hypocrisis, quando aliud extra in opere effertur, quàm intus fertur in corde: opera autem & officia charitatis in proximos ex fide & amore Dei procedunt. Quinimo secũdum scripturam, indicia sunt ueri amoris Dei. Vnde Paul. Reddite, inquit, omnibus debita, Cui tributum, tributum, &c. Nam qui diligit proximum legem impleuit, Non adulterabis, Non occides, et si quod est aliud mandatum, in hoc uerbo instauratur, Diliges proximum tuum sicut teipsum. Et Ioan. quem dominus de suo pectore, charitatis præceptionibus lactauerat, ita, quæ inde exugerat, denarrat. Charissimi si sic Deus dilexit nos, & nos debemus alterutrũ diligere. Deum nemo uidit unquàm. Si diligamus inuicem Deus in nobis manet, & charitas in nobis perfecta est. Et, Qui non diligit fratrem suum quem uidet, Deum quem non uidet quomodo põt diligere. Et, Hoc mandatum habemus a Deo, ut qui diligit Deum, diligat & fratrẽ

Primũ præceptum.

Hypocrisis.

Rom.13

1.Ioan.4

ſuum. Hæc eſt expoſitio Ioannis ſuper illud nouum mandatum Chriſti, quo nihil diſcipulis cõmendatius eſſe uoluit, & ſanctius, q̃ ut ſe inuicẽ diligerent, ſicut dilecti fuerunt ab eo. Vnde colligit, nullum eſſe exploratius inditium diuinæ dilectionis, q̃ dilectionem proximi. Quare Paul. nõ ſatis habuit explicare unitatem humani generis ex naturali uinculo carnis, quo compacti ſumus in unũ corpus. Sed uno, inquit, ſpiritu oẽs nos in unum corpus baptizati ſumus. Et alibi. Membra ſumus corporis eius (puta Chriſti) de carne eius, & de oſſibus eius. In ſumma, tãti fecit Deus opera hæc externa, quibus charitatem colimus inter fratres, ut cum omnium bonorum in ſe ipſe diues, noſtrorum non indigeret, ita proprie cuiuſq; perſonam induit, ut nõ ſatis habuerit dicere, Quod uni ex iſtis feciſtis, pro me feciſtis, ſed mihi feciſtis. Et in poſtrema die totam præmonuerit iudicationem futuram, ſi cum fuiſſet nudus, ueſtitus a nobis fuerit, ſi paſtus deniq; in fratribus fuerit, & ex charitate tractatus. Qua ergo fronte opera ſecundæ tabulæ hypocriſim Proteſtantes appellant? Dicentes totu m negotium chriſtianum in corde cum ſolo Deo gerẽdũ. Agnoſcimus.n. uerbum Chriſti liberatoris noſtri. Regnum Dei intra uos eſt, quoniam ut ait Paul. Lex noſtra lex ſpiritus eſt, ſed tamen eo modo eſt ſpiritualis, quo alibi explicat non eſſe regnum Dei eſcam, & potum: ſed iuſtitiã, & pacem, & gaudium in ſpiritu ſancto: iuſtitia autem, pax, et gaudium ſpirituale, non conſeruatur, niſi per exteriores actus. ¶ Secũdum iſtorum a nobis diſſidium de lege Chriſti eſt, quod nullum in euangelio agnoſcunt conſilium, quod non ſit præceptum: ſi non particulare, ſaltem incluſum in præcepto de dilectione Dei ſup omnia. Ex quo ut cap. ſequenti uidebimus, eliciunt unum argumentum ad confirmandum, quod non poſſumus huic præcepto ſatisfacere in hac uita. Nã quicquid homo facit, adhuc plus debet. Ob idq; irrident nos, ut capitulo de ſatisfactione uidebimus, quod cogitemus, non ſolum poſſe ſatisfacere legi, uerũ aliquid ultra ſupererogare. Quocirca cum in libello imperatorio, inſtante Echio, ſcriptum eſſet, opera quidem a nobis fieri bona, quæ a Deo ſunt mandata, & cõmendata, poſtea Bucer. circa finẽ libri ſui de concor-

Lucę. 18.
Ro. 14.
Secũda controuerſia de conſilijs.
Libel. imper.
Bucer.

dan. controuer. reclamauit, satis fuisse positũ mandatã. Quia nihil est, inquit, in euangelio, quod non procedat de mandato dilectionis: reliqua uero opera, quæ ex humanis institutis fiunt, prorsum condẽnant, ut patet in suo didagmate, de quo articulo optime obuiatum illis est a Colonienſibus in antididagmate. De hoc autem articulo cõsiliorum dicam, quod ad præsens propositum de satisfactione legis attinet, eo præsertim, quod nonnullos inter catholicos audiuimus de hoc dubitantes: quinimo contendentes, nullum esse opus supererogationis uel consilij, sed omnia esse præcepta. Etiã illud Matthæi. 19. Si uis perfectus esse, uade & uende omnia quæ habes, &c. Cuius contraria idcirco conclusio constituenda nobis est. Ratio qua maxime testimonia sacra huius ueritatis elucidantur, est hæc. Deus in opibus erga proximos illa tantum edixit nobis sub præcepto, quæ pertinebant ad custodiã charitatis: nam finis pręcepti charitas: cætera uero officia, nõ erat, cur nobis iniungeret ex necessitate: in his autem quæ ad cultum suum pertinent non est obligationem nostram metitus ex magnitudine beneficiorum, quæ in nobis contulerat, creationis, & redemptiõis, sed omnia iuxta naturam nostrã suauiter disposuit: illa tantum præcipiens, quæ suam amicitiam seruarent, & quæ possibilia essent, neq; adeo difficilia, non modo his aut illis hominum conditionibus, siue hoc aut illo loco uel tempore, sed quæ omnibus quocunq; tempore, & loco essent possibilia: reliqua uero in optione cuiusq; posuit. Quare consilia non sunt per se perfectiora, quàm opera præceptorum, sed cum finis omnium mandatorum sit perfectio charitatis, consilia ordinantur ad maiorem eorum custodiam. Quare licet non sint necessaria, hac tamen ratiõe pertinent ad perfectionem. Vnde statim Christus in solenni illa legis promulgatiõe ante necessaria præcepta proposuit perfectorum cõsilia. Beati pauperes spiritu. Nam paupertas nõ est necessaria, sed legitimus bonorum usus, Beati qui lugent & his similia. Et ideo subdit, Vos estis lux mundi: quasi quibus competit nõ solum iustitiam uulgariter colere, sed egregie usum etiam rerum licitum abijcere, Atq; exhinc forte legitimus eruitur intellectus illorum uerborum. Qui soluerit

Concl'o catho.

Matth. 5

unũ de mandatis istis minimis, minimus uocabitur in regno cælorum: qui autem fecerit, & docuerit, magnus uocabitur. Facit enim dubium, quomodo præcepta uocauerit minima, eum autem qui seruauerit, appellauerit magnum. Loquebatur ergo forte de operibus illis consilij, quæ ex eo dicuntur minima, quia non sunt necessaria, sed tamen qui legitime seruauerint, scilicet, ad maiorem, & cõsummatiorem præceptorum, futuri sunt in regno cælorum, non qualescũq; ciues, sed magnates. Accedit & uerbum Christi Matthæi.19. Sunt eunuchi, qui seipsos castrauerũt propter regnum cælorum, qui potest capere capiat. Cuius expositorẽ agit Paul. ubi ait, Bonum est homini mulierem non tangere, &, Volo omnes homines esse sicut ego sum. Et dico, non nuptis, & uiduis, bonũ est illis si sic permanserint, sicut & ego: subdit autem. De uirginibus præceptum domini non habeo, cõsilium autem do, &c. Hæc autem communia sunt. Sed rem paulo exactius urgebo ex illo Matthæi.19. Marci.10. & Lucæ.18 ubi dominus adolescentulo illi interroganti, quid faciẽdo uitam æternam possideret, legitur respondisse, Serua mandata: mox dicenti, seruasse a iuuentute sua adiecisse, Vade, & uende omnia quę habes, etc. Ille.n. locus est, ubi perspicacissime discernit inter cõmunem ordinem præceptorũ, & singularem consiliorũ accessionẽ. Bifariam aũt interpretari uel deprauare moliuntur hunc locũ aduersarij. Primũ.n. aiunt, adolescentẽ illum fuisse Pharisæũ, qui mentitus est seruare præcepta, & ideo iussum esse relinquere diuitias, quæ sibi erant impedimẽto. Quo uidentur Hiero. & Orig. inclinare: sed profecto nulla põt ratiõe negari, quo minus legẽ seruasset, quoad satis erat ad amicitiã Dei. Nã habet Mar.10. q̃d Christus intuitus eũ dilexit eũ. Item q̃m si fuisset mentitus, non respondisset Christus, Si uis perfectus esse, seu ut habetur in Marco, Vnum tibi deest, hęc enim uerba supponũt, iã fecisse iuuenẽ, quod ei dixerat Christus necessariũ esse ad uitã æternam. Hoc forte uerũ est, quod non seruabat præceptũ dilectionis modo perfectissimo, erogando bona sua in pauperes, ut esset inter perfectos. Et illa forte fuit mens Hieronymi & Orig. ut author est S. Thom. 2.2.q.189, art.1, Repugnat.n. perfectioni maxime christianæ,

Matth. 19.

1.Cor.7.

Matth. 19, Mar.10.

Interpretatio praua.

Hiero. et Orige.

S. Tho.

ut tam diues esset, quàm ille creditur fuisse, ubi erant pauperum greges, quibus potuisset bona sua distribuere. Sed mentitus fuerit nec ne, nihil moror. Nam ut utrauis pars uera sit, manifeste colligitur ex litera, discrimen consiliorum a praeceptis.

Secũda interpretatio.

Aliorum ergo est responsio, quod nõ solum seruare alia mandata: sed relinquere omnia, sit necessarium ad salutem. Quare ubi ait Christus, Si uis perfectus esse, non loquebatur de perfectione supererogationis, quæ nulla est, sed de illa quę est necessaria ad salutem. Propterea, quod ut refertur apud Marcum & Lucam, dixit, Vnum tibi deest, uade, quæcunque habes uende, &c. Hæc autem interpretatio exinde deprehenditur falsa, quod si de tali necessaria perfectione intellexisset, in initio ilico interrogationis illã respondisset esse necessariam, ubi iuuenis interrogauit, quid faciendo uitã æternam possideret. Cum ergo discrete, ait, Si uis ad uitam ingredi serua mandata. Sed si uis esse perfectus, uende &c. manifeste distinxit inter opera necessaria, & opera consilij. Vnde quod addit, Vnum tibi deest, intelligitur, tum ad perfectionem, tum ad securitatem perseuerantiæ. Nam difficile est diuitibus perseueranter agere ad uitam æternã, ut statim subiecit Christus. In summa, dicere, quod opera consilij, & maxime renunciare diuitijs, & illustribus statibus seculi, sit de necessitate salutis, est hæresis cõdemnata aduersus Pelagianos,

Hæresis.

ut refert Aug. in epistola ad Paulinum, ubi inter decem errores illum connumerat quintum: puta, diuites baptizatos nisi omnibus abrenuncient, si quid boni uisi fuerint facere, non reputari illis, neque eos habere posse regnum Dei. Neque profecto opus alia fuisset condemnatione, quàm quod aliàs condemnaret tota religio christiana, quæ diuites permittit. Vnde Paul. quàmuis admonitos nos fecerit, quod qui uolunt

1. Thi. 6.

diuites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, nihil tamen amplius subiungit, quàm, Diuitibus huius seculi pręcipe, nõ sublime sapere, neque sperare in incerto diuitiarum, sed in Deo uiuo, bene agere, facile tribuere, &c.

De impletione legis in genere. cap. 3.

HIs itaque necessarijs fundamentis subiectis, quæstio est prima huius libri, utrum iustus qui per fidem iustificantem non absoluitur a lege, possit per gratiam adiuuãtem, legi satisfacere. Lutherani.n.in utrunque peccant extremum: dum aiunt, & quemcunque iustum nexu legis per fidem absolui, & neque iustissimum legi posse satisfacere. At uero ne nobis imponere perseuerent, quod possibilitatem adimplẽdæ legis nobis adscribamus, hæc ante omnia sanctissima confessio, quæ nobis est cum illis communis, supponenda est, quam lib.1.cap.22.& ferme per totum librum secundum contra Pelagianos sancitã ab ecclesia esse monstrauimus. Nẽpe, quod absque diuino nutu, specialique auxilio nequimus implere diuina præcepta: scilicet, neque omnia quantum ad substantiam actus, neque minimum, quantum ad intẽtionem præcipientis. Ita.n.in Concilio Mileuitano & Africano confessum est, atque etiam in Arausicano. Cuius in canone.25.uerba sunt. Hoc prædicare debemus, & credere, quod per peccatum primi hominis ita inclinatum, & attenuatum fuerit liberum arbitrium, ut nullus postea aut diligere Deũ sicut oportuit, aut credere in Deũ, aut operari propter Deũ, quod bonum est, possit, nisi gratia eum & misericordia diuina præuenerit. Et talia ferme uerba protulit præsens Synodus Tridentina in primis canonibus tribus. Quam etiãnum fundamentalem conclusionem paulo post peramplius explicabimus: an scilicet præter gratiam habitualem, necessarium sit quoque nouum auxilium ad digne operandum & perseuerandum. Nulla ergo de hoc est controuersia: sed utrum cum speciali Dei auxilio homo ualeat satisfacere legi. Hoc enim est, quod Protestantes apertissime, & pertinacissime inficiari pertendunt: ubique inculcantes, quod in hac uita, neque diuinó fauore possumus satisfacere legi, sed tantũ inchoare. Quinimo ipsam inchoationem, opus omnino uolunt esse Dei, & nullatenus nostrum. Est autem error iste, germen pestiferæ illius radicis, quam lib.1.ca.xi.et.xij.reuellere nitebamur, ceu complurium errorum feracem. Videlicet, cõcupiscentiã carnis reluctãtem rationi, esse peccatum, prohibitũ illo præ-

[Margin notes: Luthe. — Cõfessio communis. — Cõciliũ Mileui. & Arau. — Tridentinum. — Lutheranorum dogma. — Radix erroris.]

cepto, Non concupisces: quod omnino tolli nō potest in hac uita. Inde enim confecit Luther. in de liber. christ. & art. 2. assertionum suarum, & rursus art. 31. & latissime in lib. de decem pręceptis, quod nullatenus in hac uita, quoquo pacto diuinitus adiuti possumus plene implere mandatum illud maximum, Diliges dominum deum tuum ex toto corde, & ex tota mente, &c. propter rixam & pugnam carnis, impedientis ne toto corde diligamus: sed hic inchoari, & in patria perfici. At quoniam uerba hæc dextrum possunt recipere sensum, in quo nobis possunt esse cōmunia, perpende quomodo inter nos differat. Non id tantum aduersarij sentiunt, quod in hac uita non diligimus ea perfectione qua Deus diligitur in patria: de hoc enim nulla est disceptatio. Agnoscimus enim dilectionem uiæ non esse firmam, & fixam, uti illic erit. Item plane confitemur, quod nequimus ita Deum diligere ex toto corde, quin multa sint uenialia peccata permixta iustitiæ nostræ. Nam si aliud haberemus de nobis iudicium, nos ipsos (ut ait Ioan.) seduceremus. Sed tamen addunt, in quocunq; opere hominis quantumcunq; iusti, necessario inesse omissionem præcepti illius dilectionis. Nanq; tenemur secundum illos, singula præcepta implere ex dilectione: ita enim intelligunt illud, Omnia in gloriam Dei facite. Et, Finis præcepti charitas. Et putant, nullum esse opus tam perfectum, quin propter iugem reluctantiā carnis commaculetur, ne fiat ex toto corde: ut est in præcepto dilectionis. Atq; inde dicit Luthe. art. 31. in omni opere bono iustum peccare, quia est omissio illius præcepti. Et art. 32. opus bonū optime factum ueniale esse peccatum, secundum misericordiam Dei, sed mortale, secundum iudicium Dei. Ob idq; nullo nostro opere secundum istos, satisfacimus legi, sed sola fide recipimus misericordiam Dei non imputātis peccata nostra. Hanc doctrinā hactenus perseuerant defendere Lutherani. Vnde in confes. Augustana, ar. 6. Cum fide inquiūt reconciliamur, necessario sequi debet iustitia bonorum operū. Sed quia tanta est infirmitas humanæ naturæ, ut nemo legi satisfacere possit, necesse est docere homines, quod hæc obedientia non placet Deo, quia legi satisfacit: sed quia persona

Cōfessio augusta.

est in

est in Christo reconciliata a fide, & credit sibi reliquias peccati condonari. Quare non cēsent esse simpliciter iustitiam, sed reputari quandam iustitiam: subijcientes illud, Non intres in iudicium cum seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens: & alia id genus, ad quæ nos infra rñdebimus. Id ꝙ plurimis uerbis explicatissime ꝓsequit̃ Melanthon in apologia, sub tit. de dilect. & imple. legis, cõmentatus illud euangelij, Si uis ad uitā ingredi, serua mādata, in eo sensu, qđ tātūmodo oporteat a nobis in hac uita legem inchoari: id est imꝑfecte impleri. Et paulo inferius nobis improperat, quod prædicemus nos legē implere, cū in hac uita nō possimus legi satisfacere. Et inferius. Legis impletio quæ sequitur innouationē, est exigua & immūda, & inchoata, tñ hærent adhuc in natura reliquiæ peccati, quæ semꝑ accusant nos, & ideo non est accepta propter seipsam, sed propter fidē: quia iusti seu accepti reputamur propter Christū. Et rursus. Propter fidem in Christū non imputatur nobis hoc quod deest impletioni legis. Vide quanta explicatione utatur, ut doceat imperfectionem operum nostrorum non esse, eo solum quod remissior est, quàm in patria, sed cuilibet operi ueram inesse culpam. Vnde paulo inferius (quæ uerba quoq; sunt Lutheri, ar. 31.) exprobrat nobis, qđ fingamus Christum tantū esse nobis cõmeritum primā gratiā, nos postea tñ nostra legis impletione placere, & mereri uitā æternā. Cū tñ mediator Christus oẽm nobis fuerit gratiā meritus. Idē latius ēt persequit̃ in locis cõmunibus sub ti. de imple. legis. Idē Buce. adhuc multo (quod suū est ingeniū) cumulatiori sermone inter enarrandū articulū. 5. libelli imperatorij. Cuius paulo post expēdemus uerba. Subijciamus ergo ꝓpositiones, quibus est ad hāc quæstionē rñdendū. Prima. Possibile est nobis cū diuino fauore, & adiutorio, sic in hac uita totā legem, atq; adeo dilectiōis præceptū implere, ut nō modo singula, uerū oĩa peccata mortalia possimus uitare. Rō prima huius conclōnis ex subuersione fundamenti, quo aduersarij cõnitunt̃, sumit̃. Abunde. n. demonstratū a nobis ē loco citato lib. 1. ita ꝑ baptisma remitti, condonari, deleri, abstergi, sepeliri, atq; adeo penitus tolli originale pctm̄, et uniuersa, si quæ sint actualia, ut nulla fiat reliqua ra-

Melan. | Bucer. | Prima conclō.

tio culpæ, nisi ubi uoluntate libere homo consentit in peccatũ, neq; illo præcepto, Non concupisces, certamẽ carnis prohiberi, sed uictoriam. Et quàmuis liberum arbitrium uulneratum fuerit, debilitatumq; præuaricatione primi parentis, non tamen adeo extinctum est, quo minus possit diuino auxilio resistere. Quo fit, ut a concupiscẽtia non singula opera commaculentur nostra, atq; ea minus, quæ in gratia Dei per eius facimus auxiliũ. Accedit & huc præterea, quod eodem lib. 1. cap. 22. explanabamus. Nimirum, quod modus charitatis nõ est de essentia aliorum præceptorum. Et ideo quàmuis gratis largiremur, non posse nos in hac uita implere præceptum dilectionis, nõ inde sequeretur, uniuersa aliorum præceptorum opera peccata esse, habereq; annexam priuationẽ eiusdem præcepti. Hæc autem omnia iampridem a nobis cõstitutissima sunt. ¶ Inde hic ergo exordiendum est, utrũ præceptum dilectionis impleri in hac uita possit a nobis per auxilium Dei. Et causa dubitandi præcipue sumitur ex Augustino in lib. de perfect. iustitiæ: ubi ait, quod in illa plenitudine charitatis patriæ præceptum illud implebitur, Diliges dominum deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mẽte tua. Nam cum est adhuc (inquit) aliquid carnis concupiscentiæ, quod continendo frænet͂, non omnimodo ex tota anima diligitur Deus. Et quod rẽ perstringit, est, quia uidetur docere, illam perfectionem dilectionis, quæ nõ hic, sed in patria esse põt, cadere sub præcepto. Ait enim. Cur enim non præciperetur homini ista perfectio, quàmuis eam in hac uita nemo habeat? Nõ enim recte curritur, si quo currendũ est, nesciatur. Quomodo autem sciretur, si nullis præceptis ostenderetur? Hunc autem locum Augustini interpretatur. 1. 2 q. 44. S. Tho. hoc modo. Præceptum aliquod bifariam intelligitur impleri: uno modo perfecte, quando peruenitur ad finem præcipientis, alio modo imperfecte, quando, etsi non perueniatur ad finem, non tamen receditur ab ordine, & regula dirigente in finem. Intẽtio Dei, dilectionem sui præcipientis, fuit, ut plene illi, omninoq; uniremur amando, ita ut non solum nihil esset in nobis contrarium, sed neq; aliquid, quod eius amorem remorari, remittereue posset, aut

Præceptũ dilectionis. Aug.

S. Tho.

tepefacere: cuius felicitatis nequimus nisi in patria potiri, quādo liberi a corpore mortis huius uidebimus eum sicuti est. In hac uero uita impletur imperfecte. Et tāto quisq; perfectius, quanto propius ad illam perfectionem accedit. Non est ergo mens Augustini, quod dilectio patriæ sit hic præcepta tanq; implenda in hac uita sub pœna peccati, sed tanquàm finis & scopus, quo dirigenda est intentio nostra. Nec est cur Bucer. contra glossam hanc reclamet. Sane, quæ ex uerbis ipsis Augustini liquet: nam postquàm dicit, illam nobis perfectionē esse præceptā, subdit causam, ut per præceptum sciretur, quo nobis esset currendum. Vnde sicut miles (ait S. Thom.) licet non potiatur uictoria, non tamen peccat, si non facit contra disciplinā militarem, ita quàmuis hic nemo fruatur dilectione illa patriæ, non tamen peccat, nisi qui deflectit a lege, & præceptionibus charitatis, aut aliquod ueniale admittit contra eius feruorem. Itaq; si lubet explicatius dicere, aliud est pfecte implere præceptum, & aliud, non uiolare. Possumus in hac uita non uiolare, licet non possimus perfecte implere. Cauenda est ergo æquiuocatio implendi. Accipitur enim uno modo, ut opponitur transgressioni, seu omissioni, & isto modo impletur in hac uita. Et alio modo, ut tantum ualet, quantum plene ad mensurā, cacumen, & finem pertingere: & isto modo impletur in patria. Et quod iste sit sensus Augustini, in propatulo est. Intendit enim in illo libro disputare contra Celestiū, qui dicebat, posse hominem in hac uita uiuere absq; ullo peccato actuali: scilicet, tā ueniali, q; mortali, ex eo quod præceptum sit homini, ut absq; peccato sit. Quem Aug. redarguit ex illo Ioannis. Si dixerimus, quia peccatum nō habemus, &c. Et ideo nunquàm uenit in mentem Augustino, quod singula nostra opera sint omissiones illius maximi præcepti, uelut peccata, sed quod uita quàmuis iustissimi hominis, non potest transigi sine permixtione aliquorum, saltem leuium peccatorum. Qui quidem sensus patentissimus apud eundem est in de spir. & lit. ubi idem tractat argumentum. Discernit enim cap. 26. inter uitam hanc militantem, in qua cognoscimus per speculum in ęnigmate, & triumphantem illam, in qua iusti uidentes facie ad faciem, satiantur illa

Bucer.

S. Tho.

Implere & uiolare.

De spū & lite.

iustitia,quam hic ex fide uiuentis esuriebāt,& sitiebant. Nā, Beati qui esuriunt,& sitiunt iustitiam. Vnde ad iu stitiam huius uitæ,inquit,quæ minor est illa,non absurde dicitur pertinere ne homo peccet,neq; enim si esse nondum potest tanta dilectio Dei,quāta illi cognitioni plenæ perfectæq; debetur, iam culpæ deputandum est. Aliud est enim totam nondum assequi charitatem,aliud nullam sequi cupiditatem. Quamobrem debet homo quàmuis longe minus amet Deum, quàm eum potest amare conspectum, nihil tamen appetere illicitum. Hæc August. & talia illic congeminat, ut ostendat perfectionem huius præcepti in hac uita in eo positam esse, ut nulli delectationi illicitæ consentiamus, quin uero caueamus a leuioribus. ¶ Præter authoritatem Augustini est argumentum, ut uulgatissimum, ita ualidissimum ad eandem conclusionem demonstrandam. Præcepit nobis Deus, ut se ex toto corde, proximum uero sicut nosipsos diligeremus,& ne sit opus singula meminisse, si ad uitam uolumus ingredi,seruemus mandata:Deus autē nihil præcipit impossibile,ergo implere illa possumus,saltem eius ope subnixi. Minor huius syllogismi euidētissima est. Nam quicquid Deus præcipit, peccatum est,si non fiat: quoniam ille seruus qui cognouit uoluntatem domini sui, & non fecit uoluntatem eius, uapulabit multis. Et Paul. Concupiscentiam nesciebam esse peccatum,nisi lex diceret, Non concupisces. Vnde contra Faustum August. Peccatum est, inquit,dictum uel factum,uel concupitum contra legem Dei: at non facere,quod est impossibile,peccatum non est: Deus ergo non præcipit impossibile. Latissime enim lib.1.ca.17.et 18.persuasum fecimus,adeo uoluntarium,intrinsecam esse et inseparabilem rationem peccati,ut repugnantia sit, peccatum esse nisi sit uoluntarium:quod autem impossibile est factu,id non facere,non est uoluntarium: est ergo non solum impietas,sed manifestaria contradictio, quod aliquid nobis Deus præcipiat impossibile. Iam uero quomodo uerum esset,quod regnum cælorum uim patitur,si impossibilia essent mādata,quæ seruatu sunt nobis necessaria,si uolumus ad uitam ingredi? Sanctissime ergo Hiero. in exposit. symboli

Argumentū.

Deus nō præcipit impossibile.

Hiero.

ad Damasum. Execramur, inquit, eorum blasphemiam, qui dicunt, impossibile aliquid homini a Deo præceptum esse, & mandata Dei non a singulis, sed ab omnibus in communi posse seruari. Et infra. Liberum sic confitemur arbitrium, ut dicamus nos semper Dei indigere auxilio: & tam illos errare, qui cum Manichæo dicunt, hominem peccatum uitare non posse, quàm illos, qui cum Iouiniano asserunt, hominem non posse peccare. At negant isti, illud opusculum fuisse Hieronymi: hoc enim sibi asylum muniuere, quo se recipiant, quoties non habent quid aliud respondeant. Sed tamen identidem in dialogo contra Pelagianos lib.1. et.3 repetit, mandata Dei possibilia esse, neq; Deum præcepisse impossibilia. Ita enim suus Atticus cõfitetur, nulli dubium esse. Et Aug. ser. 61. de tempore, Deus neq; impossibile aliquid potuit imperare, quia iustus est: nec damnaturus est hominem pro eo quod non potuit uitare, quia pius est. Non solum ait, non imperauit, sed quia non potuit imperare impossibile, quia iustus est: sicut neq; punire, quod uitare non possumus, quia pius est. Acsi dicat, si Deus imperasset impossibile, non esset nobis iniustitiæ deputandum, quod non paruissemus, sed sibi qui impossibile præcepit: & si nos puniret de re quam uitare nequimus, non esset impietas nostra, non uitasse, sed sua, punire. Et de laudibus Pauli Chrysost. Homil. 7. Possibile est, inquit, Dei iussa perficere, si modo uelimus omnem naturæ trepidationem alacriter uirtute superare, nihilq; impossibile est eorum, quæ a Christo hominibus imperantur. Si enim quantum est in nobis uelimus uirium exprimere, maximum etiam nobis Deus adiungit auxilium. Et in concilio Arausicano can. 25. Hoc etiam secundum fidem catholicam credimus, quod accepta per baptismum gratia, omnes baptizati (Christo auxiliãte, & cooperante) quæ ad salutem pertinent, possint, & debeant (si fideliter laborare uo luerint) adimplere. De nostro aũt Tridentino, statim. ¶ At uero audiamus nostros homines, quibus ista cõmentis subterfugere cogitarũt. Ait Bucer. in conciliatione articuli de iustificatiõe, quod aliud est, Deum præcipere id quod in se est impossibile (quod & ipsi blasphemiã esse testant̃) aliud uero

Aug.

Chryso.

Cõciliũ Arausi.

id quod Deus præcipit esse homini impossibile, quod ita pie dicitur, ut cõtrarium blasphemia sit: nam præcepit, quod sibi est possibile. Acsi nos uel transuersum unguem ab hac confessione discedamus, & non certissimo ꝓfiteamur, ut in priori conclusione præmisimus, & in secunda repetimus: quinimo ut Patribus, & ecclesiæ sanctissimum esse mõstrauimus, non nostris naturalibus uiribus, sed diuino fauore & adiutorio esse nobis possibilia mandata. Nihil de hoc controuersamur Bucere, sed hoc uobiscum postulamus, utrũ nobis per gratiã, & auxilium Dei sit possibile implere legem. Est quidem ais possibile Deo, in hoc tamen seculo, ex parte: in futuro, ex toto. Ecquid autem quando dicitis ex parte, intelligatis, ita exponitis, quod impossibile est in hac uita satisfacere pręcepto dilectiõis, atq; adeo legi, et ita impossibile, ut quodlibet opus sit de se peccatum. Hoc ipsum est, quod manifesti erroris redarguit argumentum nostrum. Impossibile est, ut Deus dederit hominibus legem, cui per eius auxilium non possint iuxta suã uoluntatem satisfacere. Alias ad quid præciperet. ¶ Respondetis, quod licet non possimus satisfacere, præcepit nihilominus, ut omnia ipse concluderet sub peccato, & nos proinde ad suam recurreremus misericordiã. Profecto secum ipsa pugnat responsio uestra. Nã ecce omnes conclusi sub peccato ad misericordiam eius confugimus, qui nos adiuuet implere quod iubet, manum nobis porrigit, gratiã infundit, ope sua, & opera nos iuuat. Nunquid neq; gratia, neq; auxilium suum ullum sufficiẽs est, ut legi satisfaciamus? Vt quid nos ergo fides ducit ad misericordiam Dei? nisi ut per eius suppetias impleamus, quod per nos ipsi non ualemus. Quomodo qui teste Dauid, mandauit mandata sua custodiri nimis, nõ auxiliabitur, ut ad iustum custodiãtur? An forte seuerior est in præcipiendo, quàm in subueniendo potẽs, & benignus. Videte ne cum patrocinium gratiæ contra liberum arbitrium suscipitis, gratiæ potius iniuriam irrogetis, peius enim quàm Manichæi sentitis. Nam illi uolũtatem quæ a malo principio condita erat, aiebant, non posse uitare peccatum, uos etiam hoc nostræ uoluntati impingitis, quam a uero Deo creatã agnoscitis. Neq; id solum dicitis, sed quod

neq; per gratiam & auxilium Dei poteſt homo ſatisfacere le gi, ut peccatum uitet: non ergo ſolum liberum arbitrium, uerum, auxilium Dei reputatis infirmum. Longe plane aliter quàm uos ubiq; Patres excipiunt uerbum illud ad Gal. Conclusit ſcriptura omnia ſub peccato, ut promiſſio Ieſu Chriſti daretur credentibus. Nempe, ut quod lex iubet per fidem impleamus. Per fidē ſcilicet, quæ per charitatē operatur. Vnde Aug. de ſpir. & lit. cap. 13. Quod operū lex minādo imperat, hoc fidei lex credendo impetrat. Et infra. Lege operum dixit Deus, Fac qđ iubeo: lege fidei dicit Deo, da qđ iubes. Et cap. 20. Lex data eſt, ut gratia quęreret. Gratia data eſt, ut lex impleret. Et cōtra duas epiſt. Pelag. lib. 3. Lege fit, ut Deus quid fieri uelit audiat: gratia uero fit, ut legi obediatur. Lex ergo auditores iuſtitiæ facit: gratia, factores. Et quō id fiat adhuc explicatius exponit in epiſtola quinq; epiſcoporum ad Innocentium, quæ eſt. 95. Ait enim legem diſtingui a gratia, quia lex iubere nouit, gratia iuuare. Lex enim dicit, Nolite fieri ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus: fides autem reſpōdet, Da mihi intellectum ut diſcam mandata tua. Lex dicit, ut abſtineamus a fornicatione & carnalibus deſiderijs: fides dicit, quod nemo poteſt eſſe continens niſi Deus dederit. In ſumma, lex dicit. Declina a malo & fac bonum: & Paul. per fidem ait Coloſs. quod non ceſſat orare pro illis ut ambulent digni Deo in omni opere, & ſermone bono. Quæ omnia teſtimonia ſunt manifeſta, ut per auxilium fidei uere impleamus legem. Atq; adeo falſiſsimum ſit, quod noſtri aiunt Proteſtātes, ſcilicet per auxilium fidei id tātum nobis obuenire, ut exerceamur in lege, non autem ut ſatisfaciamus legi. Si enim fides impetrat & implet quod lex iubet, profecto ſumma eſt, uel ignorantia uerbi, uel ſenſus corruptio, negare, quod per auxilium gratiæ ſatisfaciamus legi. Nam quid aliud eſt implere quàm ſatisfacere? Imo quid eſt legem facere, quod ait Paul. Factores legis iuſtificabuntur: et legem ſeruare, quod ait Chriſtus, Qui diligit me ſermones meos ſeruabit, quàm legi ſatisfacere? Imo quid eſt quod ait ipſe Legislator noſter. Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam uos: iugum enim meum ſuaue

Marginalia: Gala. 3. — Aug. — Proteſtātes.

est,& onus meum leue? nisi quod multo sit facilius per gratiam Dei legem,quæ ignauis,socordibus,ac prauis hominibus grauis onerosaq; uidetur,seruare,& implere,quàm per uias difficiles,abruptaq;,& lubrica uitiorum oberrare. Vnde Ioan.in sua Canonica cap.5.Hæc est charitas Dei,ut mandata eius custodiamus,& mãdata eius grauia nõ sunt.Quoniam,omne quod natum est ex Deo uincit mũdum. Et hæc est uictoria,quæ uincit mundum,fides nostra. Est ergo mandatorum summa,ut mundum uincamus,a quo per fidem reportamus uictoriam.Ex his utiq; talibusq; testibus,& meritis causæ nostræ sententiam confecit S.Syno.Triden.quam ęquissimã cap.xi.pronũciauit,his uerbis.Nemo temeraria illa,& a Patribus sub anathemate prohibita uoce utatur,Dei præcepta homini iustificato ad obseruãdũ esse impossibilia. Nã dñs impossibilia non præcipit,sed iubẽdo monet,& facere quod possis,& petere quod nõ possis:& adiuuat ut possis. Cuius mãdata grauia non sunt:cuius iugũ suaue est,& onus leue. Qui enim sunt filij Dei,Christũ diligunt:qui autem diligunt eum,ut ipsemet testatur,seruant sermones eius, quod utiq; cum diuino auxilio prçstare possunt,eos autem qui cõtradixerint,anathemata esse iubet,can.18. ¶Sed attingimus tãdem punctum controuersiæ,unde pus huius hulceris prodatur.Hæc omnia aiunt,non probant,quod nos implemus legem,sed quod Deus ipse implet:hoc est enim,quod ait Bucer.ubi eum iam proxime citauimus,quod Deus non præcipit,id quod est simpliciter impossibile,sed illud quod est nobis impossibile:& ipsi possibile.Sed apprehende mentẽ hominis.Non enim uult,id quod nobis est impossibile, fieri nobis per auxilium Dei possibile,ut nos ipsi impleamus legẽ: nam tunc nulla esset inter nos cõtrouersia:hæc enim ipsa est confessio nostra.Sed intelligit,quod legem quæ nobis est impossibilis,Deus ipse per filium suum in credentibus implet, in presenti ex parte,& in futuro ex toto. Ita enim doctus est a magistro suo Luthero in de liber.christ. Cuius uerba sunt. Ipse qui solus præcepit,solus quoq; implet. Vide ergo duos absurdissimos errores.Non nos,sed Deus in nobis facit opera legis,& tamen non perfecte implet,ut satisfaciat legi. Et

de hac

Margin notes: Ioan. — Synod. Triden. — Punctũ controuersiæ. — Bucer. — Luther.

de hac re proferuntur, dispergũturq; tragœdiæ sermone uulgari in ludibrium liberi arbitrij, quod non solum per se nihil possit in operibus gratiæ, sed neq; cũ auxilio Dei quicquàm libertas nostra coöperetur. Et quod usq; ad lachrymas indolendum esset, cũ res sit, quæ nulla omnino probabilitate possit ab homine sanæ mentis percipi, quo illam uulgo persuadeant, fingunt a prælatis ecclesiæ confictum esse regnum liberi arbitrij cũ tamen ipsum nihil coöperetur, neq; ad asseq̃uendam iustitiam, neq; ad augendam. Nescio qua possit alia emphasi explicari, quàm nostri mores denigrauerint, prostrauerintq; ecclesiam, quantaq; sit adhibenda cura ut instauretur, quàm quod aduersarij nostri, quod nulla ratione suadere possunt, dicentes tamen contra ecclesiam esse Romanam persuadeant uulgo. Res est certissima, quod si mores componeremus nostros, nullis nobis opus esset rationibus. Sed quo ad rem redeamus, non solum Lutherani sunt in isto errore, sed nonnulli etiam catholici: scilicet, quod non sumus nos qui implemus legem, sed Deus. Propterea, quod ait Paul. Deus est qui operat omnia in omnibus. Et qui operatur, uelle, & operari pro bona uoluntate. Et non est uolentis, neq; merentis, sed Dei miserentis. Et, Non possumus cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis. Et, Gratia Dei uita æterna. Vnde Aug. in de grã. & lib. arb. cap. 7. Nõ Deus, inquit, coronat merita tua, tãq; merita tua: sed tanq; dona sua. Ex quibus non defuit, qui talem sensum eliceret illius uerbi Pauli. Viuo ego iam non ego, sed uiuit in me Christus, ut ad singula nostra opa referret: hoc est, oro ego iam non ego, sed orat in me Christus: abstineo ego iã non ego, sed abstinet in me Christus. ¶In contrariũ aũt statuitur secũda conclo, qua prima elucidetur. Tametsi Deus nobis facultatem, uigoreq; impendat, ineptissime tamẽ quin falsissime dicitur ipsum implere legem. Nos enim sumus qui implemus, atq; adeo qui de ipso bene meremur. Exordiamur ab illo loco Matthæi. 19. Vnde isti suam extorquẽt opinionem: ubi quærentibus discipulis, Quis poterit saluus esse, respondit Redemptor, apud homines hoc impossibile est: apud Deũ aũt omnia sũt possibilia. Neq; uero disputemus, quõ illic accipit͠ ipossibile.

1. Cor. 12
Philip. 2
Cõclo. 2

Nam certe idē est, quod difficile: erat enim peculiaris sermo de diuitibus, qui ægerrime, & difficillime possunt opes dimittere. Sed largiamur usurpari illic absolute, ut est homini impossibile uiribus proprijs legem implere, Hoc nihilominus concesso, is tantum intellectus inde colligitur, quod homini per uigorem naturæ est impossibile, fit ei per auxilium Dei possibile. Qui quidē intellectus planissime exponitur ex uerbis subiūctis Petri, Ecce nos reliquimus omnia & sequuti sumus te, quid ergo erit nobis. Quasi dixisset, Ecce nos adiuti fauore tuo reliquimus omnia. Non dicit, tu reliquisti, sed nos reliquimus: & ideo ait, quod præmium erit nostri operis, qui tibi uocāti respondimus. Præterea quis ita desipiat, ut dicat, qđ Christus in me ieiunat, uel ab illicitis uoluptatibus abstinet? Nam abstinere a cibis, non est mera negatio: lapis enim non abstinet, sed est priuare se hominem cōcupitis. Deus autem non cupit in nobis cibos, aut alias turpes uoluptates, ut ipse dicatur abstinere: sed nos per auxilium suum. Et (quod

Aug. lib.1.retrac.cap.23. adnotauit Aug.) quàmuis Deus dicatur operari omnia in omnibus, tamen non credit omnia in omnibus. Non enim ipse sibi, sed nos illi credimus, neq; se p charitatem, quæ in nobis est, amat ipse, sed nos ipsum. Neq; sibi ipse loquitur dum oramus, sed nos secū. Ecquis dicat, quod ipse est qui in nobis meref apud se? Vt enim meritū ad mercedem refertur, ita & qui meretur alius ab illo est apud quem meretur. Vnde aliud est, quod merita nostra sint dona Dei, aliud uero quod ipse mereatur. Nos enim sumus, qui per liberum arbitriū legi obsequimur. Neq; Paul. dicit, qđ Deus uult per uoluntatem nostrā, sed quod dat nobis uelle, & operari, & perficere. Vnde Aug. eodem libro de gra. & lib. arb. cap.6. Si merita inquit, ita intelligantur esse nostra, ut etiam dona esse Dei cognoscantur, non est reprobanda ista sententia. Et ca.16. Non iuberet Deus, quod sciret non posse ab homine fieri. Et infra. Certum est nos facere cum facimus, sed ille facit, ut faciamus, præbendo uires efficacissimas uoluntati: qui dixit (scilicet Ezechielis.36.) Faciam ut in iustificationibus medijs ambuletis, & iudicia mea obseruetis et faciatis. Et de spiritu & litera cap.9. exponens illud iustificati gratis per

gratiam ipsius, subdit, non quod sine uoluntate nostra fiat, sed uoluntas nostra ostenditur infirma per legē, ut sanet gratia uolūtatē, & sanata uoluntas impleat legem: & cap. sequēti. Non quia legem impleuimus gratia data est, sed datur gratia, ut legem implere possimus. Et Paul. non ait, quod gratia faciat totum, sed plus, inquit, ego omnibus laboraui, non ego solus, sed gratia Dei mecum. Atq; ut demum concludamus, hic error est, qui nonus cōdemnatus est contra Pelagium, ut refert ad Paulinum Aug. scilicet, quod non est liberum arbitriū, si Dei indiget auxilio. Erat enim sermo de operibus gratiæ, ut lib. 2. iam adnotauimus, quæ opera determinauit ecclesia, ita fieri per auxilium gratiæ, ut concurrat etiam liberū arbitrium. Sed quando nullum esset testimonium, aut ecclesiæ aut scripturæ, quomodo posset mens capere humana, quod liberum arbitrium nō cooperetur Deo? Ad quid nobis opera illa præcipiebat potius, quàm pecoribus, quę non aliter in nostra essent potestate, quàm in potestate illorum? Iam uero quænam esse potest oculatior experientia, quàm ea libertate præstare hominem opera gratiæ, qua opera naturę, Tametsi fides nos doceat auxilio alio & fauore nos indigere in operibus gratiæ. Videor tamen mihi iam molestus, qui solē illustrare contendo.

Hæresis dānata.

De impletione legis in particulari. cap. 4.

AT non satis fuerit in genere constituisse, possibilem nobis esse legem per auxilium Dei, nisi & de maximo illo præcepto dilectionis, & de leuioribus peculiarius dicamus. Aiunt enim, ut cernitur eodem loco apud Bucerum, mādata Dei non a singulis, sed ab omnibus in cōmune posse seruari. Qua de causa expositionem illam symboli, ubi habet, mandata omnia a singulis posse seruari, aiunt, non esse Hieronymi. Quoniam Hiero. inquiunt, lib. 1. decalogi aduersus Pelagianos contra docet, quod quando mortale hoc indutū fuerit immortalitate, tūc Deus erit omnia in omnibus, ut non sit tantum in Salomone sapientia, in Dauid māsuetudo, in Finees zelus, in Abraham fides, in Petro charitas: sed uirtutes omnes in omnibus. At quàmdiu habemus thesaurū istum in uasis fictilibus, &

Mādata non ab omnibus seruari. Hiero.

carne fragili circūdamur, nullus est, inquit, qui omnes habeat uirtutes. Attende prudens lector, quo sensu excipiunt hæc Hieronymi uerba: sic etenim, quod nemo sit, qui possit imple re totā legem: sed unus implet unum præceptū, et alius aliud, & ita ab omnibus complexim tota. Et ideo præmiserat, inquiūt, paulo ante Hiero. q̄d tunc iusti sumus, qñ, nos pctores fatemur. Et in epistola ad Cthesiphontē ait, quod hæc homi-

Cōclo. 1. nibus sit sola pfectio, si imperfectos se nouerint. Ad explicationē ergo conclōnis generalis superioris capitis adteximus hic alias particulares. Prima. Singuli per gratiā & auxilium Dei singula possunt & omnia seruare mādata, ita ut sint uere iusti. Hæc ex supiori capite continuo sequitur. Nā si Deus nihil nobis imperauit impossibile, nulla est in lege sua præceptio, quā non singuli fauore suo possint implere. Alias ut, implere, non esset liberum, ita neq;, non implere, esset peccatum. Et par ratio est de illo maximo, dilectionis Dei sup omnia. Siquidē per uerbū imperandi proponitur, sicuti & cæteræ. Imo perpēde oculate lector uerba, quæ Moses proloquit.

Deut. 6. Deu. 6. Hæc sunt, inquit, præcepta, quæ mandauit dominus Deus uester, ut faciatis ea. Et rursus. Vt custodias omnia mādata & præcepta eius. Et tertio, Audi Israel, & obserua, ut facias, dñs Deus uester unus est, Diliges dominū Deum tuū ex toto corde tuo, &c. Horum uidetur ora illic Deus p Prophetam obtrudere, ne dicere auderent, non esse nobis positū illud magnum præceptū, ut illi satisfaceremus. Sane qui proxime, q̄ illud præciperet, tanta replicatione præmisit, ut facias, ut custodias, ut obserues: q̄d perinde est, ac si dixisset, ut satisfacias. Et confirmatur conclusio. Hoc præceptū diligendi Deum ex toto corde, & tota mente, ita est rationi conforme, atq; adeo homini a natura penitissime insitū (quod lib. 1. demonstratum est) ut nihil possit esse magis: ergo q̄uis a carnis infestatiōe, & incursu, difficile nobis fiat, cur non erit tā potēs auxilium gratiæ diuinæ, ut aliquando possimus sic facere suā uoluntatem, ut neq; in corde sit illi quicquàm contrariū, neq; perinde in dilectione ulla ratio culpæ. Etenim diligere ex to

Dilige-re ex to-to corde. to corde, & ex tota mente, dupliciter fieri potest. Primo modo, ut non solum nihil repugnans charitati, uerum nihil re-

mittens uel impertinens,sit in corde,sed totum sit in Deum semper actu intentum. Et hoc erit in patria. Sed altero modo intelligitur, toto corde, ut satisfaciamus præcepto: scilicet, ut nihil, neq; opere, neq; uerbo, neq; ipsa cogitatiõe quicquàm admittamus contra eius uoluntatẽ. Et isto modo diligimus in uia: quare sæpissime ait Dauid, Confitebor tibi domine in toto corde meo, Et, In toto corde meo exquisiui te, &, In toto corde meo scrutabor legem tuã. ¶ Et, quod hoc sit possibile, patẽtissime prçterea admonemur ipso ore Dei, eodẽ lib. Deuteronomij ca.30. Vbi sic legimus, Mãdatũ hoc qđ ego præcipio tibi hodie (& loquit̃ de illo maximo) non supra te est (id est, nõ est supra tuas uires, adiutorio meo, subnixas) nã quod per amicos possumus per nosipsos modo quodã possumus. Et sequitur. Neq; procul positum, neq; in cælo sitũ, ut possis dicere. Quis nostrum ualet ad cælũ ascẽdere, ut deferat illud ad nos, ut audiamus, atq; opere cõpleamus. Ecquid est ut cõpleamus, q̃ ut satisfaciamus? Et subsequit̃. Neq; trans mare est positũ, ut causeris, & dicas, Quis e nobis poterit trãsfretare mare, et illud ad nos usq; deferre, ut possimus audire & facere quod prçceptum est. Sed iuxta te est sermo ualde, in ore tuo, & in corde tuo, ut facias illud. Acsi dixisset, adeo tibi est in prõptu facere, ut nihil excusationis obtendere tibi possis, si iuxta uolũtatem meam illud non comples. Et Christus dominus noster in euangelio, Hoc est, inquit, maximum, & primum mandatum in lege, Diliges dñm Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua. Et quomodo sit maximum explicat, quia inde adiuncto altero de dilectione proximi, uniuersa lex pendet, & Prophetæ: ex eo scilicet, quod omnis lex, & prophetæ, ut sunt explicationes huius, ita in hoc ueluti in scopum referuntur: quia finis præcepti charitas. Quod si maximum est, reuera maxime est obseruandum: nam tu mandasti, inquit Propheta, mandata tua custodiri nimis. Si autem obseruatur, satisfit uoluntati præcipientis: aliàs frustra dixisset Christus, Qui facit uoluntatem patris mei, qui in cælis est, ipse intrabit in regnum cælorum: & inuanum quotidie peteremus, Fiat uoluntas tua, sicut in cælo & in terra, Non

Deu. 30.

ergo solum in regno cælorum, sed ante ingressum regni cælorum fit in terra uoluntas Dei: quod est singulis præceptis
Hiero. exponit. satisfacere. ¶ Neq; Hiero. loco citato contrarium docuit. Qđ Buce. in proxima linea potuisset inspicere. Nisi quod est illis sanctissimum, detrūcata uerba citare. Nam ubi in dicto dialogo, Atticus respondet, quod nullus in hac uita habet omnes uirtutes, euestigio explicat sese subiuncta causa. Quia necesse est, inquit, ut singuli excellant in quibusdam. Solum ergo sibi uoluit Hiero. quod nemo habet omnes uirtutes consummatas, sicuti erit in cælo. Nihil ergo sibi contradicit, ubi ad Damasum ait, omnia mandata a singulis impleri posse.

Quęstio ¶ Sed emergit ex hac cōclusione dubium. Vtrū iustus præter habitualem gratiā gratum facientem, indigeat quoq; auxilio speciali Dei mouentis ad singula opera præceptorum.
S. Tho. Ita enim uidetur affirmare S. Tho. 1. 2. q. 109. art. 9. De hoc sit
Cōclo. 2 secunda cōclusio. Quamuis iustus non ad singula opera meritoria egeat, præter gratiam gratum faciētem, nouo speciali auxilio, nihilominus simpliciter uerū est, quod indiget nouo auxilio ad operandum & implendum legem, ad non peccandum, & ad perseuerandum. Primum membrum facillimum est illis persuasu, qui probatam habent doctrinam illā, quæ communis est theologorum, & lib. superiori cap. 20. asserta a nobis est. Videlicet, quod potest homo uigore naturali, cum solo generali auxilio pręstare quandoq; bonū opus morale, etiam extra gratiam, atq; adeo implere aliquando præcepta aliqua, quantum ad substantiam operum. Inde. n. informatur argumentum iudicio meo solidissimum. Omne opus genere suo bonum absq; ulla mala circunstantia, quod extra gratiam factum est moraliter bonum, si fiat ab illo qui est in gratia, est meritorium uitæ æternæ. Neq; de ista assumpta propositione hæsitare unquàm potui: quoniam ut opus sit acceptum ad uitam æternam, nihil aliud uideo requiri, q̄ quod sit genere suo & circunstantijs bonum, & fiat ab amico Dei. Respexit enim Deus, inquit scriptura, ad Abel, & ad munera eius: id est, quia p̄sona erat in gratia sua, opus fuit sibi acceptum. Potest autem homo qui est in gratia, implere aliquando præcepta & facere alia bona opera, cum solo con

cursu generali Dei, multo melius quàm poterat extra gratiã: ergo talia opera erunt meritoria uitæ æternæ. Neq; alia relatio requiritur in Deum tanquàm in finem supernaturalem, quàm quod procedat ex gratia. Nam opus ex obiecto bonũ natura sua refertur in Deum: & quãdo quis in ipsum conuertitur, uirtualiter in eum refert omnia opera. Quocirca id qđ nonnulli comminiscũtur: scilicet, quod potest opus procedere ab illo qui est in gratia, non tamẽ ex gratia, approbare nõ possum, nisi de peccatis uenialibus. Nam si opus sit bonum, & fit ab illo qui est in gratia, uirtualiter (quod aiunt) proficiscitur ex gratia. Grego. autem & Capreo. quia allucinantur, S. Thomã fuisse in illa opinione, quod ad singula bona moraliter bona requiritur extra gratiam auxilium speciale, bene inde conijciunt, quod secundum ipsum, existenti etiam in gratia ad singula opera meritoria idem sit etiam requisitum auxilium. Nos tamen qui supra contrarium patefecimus de opere moraliter bono, contrarium etiam dicimus de operibus meritorijs: scilicet, quod præter gratiam non est requisitũ aliud auxilium speciale ad singula. Quæ quidẽ sentẽtia probatissima fuit ante nos Caietano loco citato super S. Thomam. Secundum autem membrum præfixæ conclusionis: scilicet, quod simpliciter ad operandum & implendum legẽ necessarium sit præter gratiam, auxilium speciale, probat illic S. Tho. quia dupliciter indiget homo naturæ lapsæ auxilio Dei. Primo ad sanandam naturam, & hoc abunde fit per gratiam gratificãtem nos Deo: per hoc enim rectificatur natura, quòd restituitur in ordinem diuinæ regulæ, & uoluntatis. Sed præterea requiritur auxilium quo moueatur ad agẽdum. Primo propter generalem rationem, quia nulla creatura in quemcunq; actum prodire potest, nisi uirtute motionis diuinæ: & secundo propter peculiarem conditionem naturæ lapsæ, quæ licet per gratiam, quantum ad mentem, reducatur in ordinem, remanet tamen corrupta, & infecta secundum carnem. Et in hac secũda ratione ostendit, se non loqui de singulis operibus, quia ut dixerat. 2. art. eiusdem. q. non est tanta corruptio sensualitatis, quin posset homo aliquando per auxilium generale Dei operari secundũ rationem. Sed sim-

Opus in gratia & ex gratia

Grego.

Caieta.

pliciter requiritur tale auxiliũ speciale, quia neq; omnia, neq; diu possumus bene agere ad custodiã gratiæ sine illo. Et eadem ratione sequitur, quod ad non peccandum requiritur etiam præter gratiam, auxilium speciale, atq; ideo ad perseuerãdũ. Si tamen perseuerantia dicat continuationem boni usq; ad finem uitæ. Nam si dicat bonum propositum. & singularem habitum mentis, totum illud infunditur homini cum gratia.

Aug. In confirmationem huius conclusionis citat S. Tho. Augustinum de natura & gra. ubi ait. Sicut oculus corporis plenissime sanus nisi candore lucis adiutus, non potest cernere, sic & homo perfectissime etiam iustificatus, nisi æterna luce iustitiæ diuinitus adiuuetur, recte non potest uiuere. Et in libro de perseuerantia ex uerbis Cypriani asserit, quod illo uerbo dominicæ orationis, Sanctificetur nomen tuum, petunt sancti perseuerantiam in sanctitate, quæ pendet ex suo iugiter auxilio. Facit & illud de gra. & lib. arb. cap. 6. ubi ait, necessariam esse gratiam Dei, nõ solum ut iustificetur impius: id est, ex impio fiat iustus, sed etiam ut cum fuerit iustificatus ex fide, ambulet cum illo gratia, & incumbat super illam, ne cadat: iuxta illud Canticorũ. 8. Quæ est ista quæ ascẽdit dealbata, incumbens super patruelem suum. Atq; hanc indigentiam confessus Dauid petebat, Adiutor meus esto, ne derelinquas me.

Analogia. Est denicq; analogia quædam & proportio inter naturalia, ac supernaturalia, quod sicut Deus non solum dat naturales formas agendi, sed generali influxu concurrit cum illis, ita quos sibi facit gratos, iuuat speciali auxilio ad opera supernaturalia: ut utroq; modo uerũ sit, Pater meus usq; modo (id est assidue, & continenter) operatur, et ego operor. Ex quo uerbo colligit Hiero. ad Ctesiphontem in hanc sententiam uerba hæc: Semper largitor, semperq; donator est. Non mihi sufficit, quòd semel donauit, nisi semper donauerit. Igitur quàmuis in concilijs non ita expresse determinetur, præter habituale gratiã requiri nouum auxiliũ, nihilominus ita est intelligendum. Nam in Synodo nunc S. Tridẽtina can.

Cõciliũ Tri. Mile. Arau. 22. habetur, si quis dixerit iustificatũ sine speciali auxilio Dei in accepta iustitia perseuerare posse, anathema sit. Et in concilio Mileuitano can. 3. Gratia non solum determinatur ualere ad

lere ad remissionem peccatorum, quę cōmissa sunt, sed etiam in adiutorium, ut non committantur. Et in Arausicano, can. 25. Fidem & amorem nobis Deus inspirat suiipsius, ut post baptismum (cum ipsius adiutorio) ea quę sibi sint placita, impleree possimus. Nota adiutorium, & auxilium. ¶ Tertia cōclusio huius capitis sit. Quàmuis singula possimus uitare peccata uenialia, non tamen omnia. Conclusio est non solum S. Thomæ eadem. q. 109. 1. 2. art. 8. uerum & theologorum omnium in. 2. sent. d. 28. Quinimo non a theologis scholasticis, sed a sacra pagina, secundum sanctorum Patrum interpretationem radices ducit. Ratio deriuatur ex distantia inter mortale & ueniale. Primum enim consistit in peruersitate rationis, quæ cum per gratiā reformetur (habet enim iustus propositum fixum in Deum) potest eiusmodi homo, & singula, & omnia uitare per auxilium Dei. Veniale autem committitur ex subreptione propter carnis tyrannidem, quę semper extat in iustificato. Nam in persona hominis reparati dicebat Paul. Ipse ego mente seruio legi Dei, carne autem legi peccati. Et ideo licet singula possimus uitare (aliàs non essent peccata) non tamen possumus omnia. Adeo enim pertinax est & continua insultatio illa carnis in uaria uitiorum genera, ut dum unum uitamus, incurramus in aliud. Quoniam ratio non potest in assidua specula, & uigilia durare ad reprimendum eiusmodi incursiones. At ratio hæc ait Durand. solum militat de uenialibus ex subreptione: puta, quæ accidunt propter defectum plenæ deliberationis. Quapropter (neq; omnino improbabiliter) tenet, huius generis uenialia esse, quæ non possumus uitare omnia. Nam cætera inquit, quæ sunt uenialia ex obiecto: ut mendacium ex ioco: uerbum ociosum, & similia cuncta possumus, uti mortalia, uitare. Nihilominus uerisimilius est, quod neq; ab istis omnibus possimus plene cauere: tum quia etiam istorum occurrunt occasiones crebriores, quàm ut possimus uniuersas repellere: tum quia cum sint leuia peccata, quæ non deijciunt nos a gratia Dei, segniores reddimur, & remissiores ad illas superandas. Verum est tamen, quod possunt multo facilius uinci. Immo sunt prouectæ uirtutis ho-

3. Cōclō.

Veniale & mortale.

Rom. 7

Duran.

mines, ita se uigilanter ab illis tuentes, ut seruentur nonnullo tempore incolumes. Hæc autem conclusio, ut proxime dicebam, non est audienda tanquàm scholasticorum opinio, sed tanquàm Patrum collectio ex diuino eloquio. Fuit enim iam olim uox illa Celestij Pelagiani, posse hominē sine peccato uiuere, si uelit, per uirtutem liberi arbitrij. De qua re contra ipsum scripsit ad Ctesiphontem Hiero. & dialogū præterea contra Pelagianos, atq; Aug librum de perfectione iustitiæ, & librum post de spir. & lit. Quā hæresim ait Hiero. exordium traxisse a Pithagoricis, & Stoicis, dicētibus, nō cadere in sapientem passiones. Contra quem errorem non erant illi Patres adeo anxij depugnare rationibus, sed scripturæ testimonijs: ut est illud Ioannis. Si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus. Et Eccles. 7. Non est iustus in terra qui faciat bonum, & non peccabit. Et Salomō 3. Regum. 8. Non est homo qui non peccet. Et Iob, secūdum lxx. cap. 15. Nemo mundus a sorde. Et Dauid, Omnes declinaaerunt simul inutiles facti sunt. Non est qui faciat bonum, non est usq; ad unum. Et, Non intres in iudicium cum seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens. Vnde quotidie orant sancti, Dimitte nobis debita nostra. Propter duellum illud, quod spiritus sustinet aduersus carnem, de quo ait Paul. Sentio aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantē me in lege peccati. At notandum est apud Augustinū in utroq; loco, quod non negat, possibile esse per auxilium Dei, immunē esse prorsus hominem a peccato, sed ait. præter unum Iesum Christū, nullum esse exemptū. Et ideo uocat impossibile illud, quod nunquàm fuit factum. Et idem ait Hiero. lib. 1. dialogi, citās illud Ecclesiastes. Omne quod futurum est, iam factum est in priori seculo: quod autem homo fuerit liber omnino a culpa actuali, nunquàm fuit, ait Hiero. in priori seculo: ergo neq; erit. Tametsi postea Aug. idem tractans argumentum de natu. & grat. ca. 36. sacratissimam Dei matrem meritissimo excipit. Vbi quicquid sit de ueritate conceptionis, mirandi sane sunt, qui illic Augustinum meminisse putant de peccato originali. Tractat enim in illa parte illius libri idē argumen-

[Margin notes: Pelagiani. — Aug. — Hiero. — 3. Reg. 8 — Rom. 7 — Nota quō non est possibile. — Aug. nō meminit de orig.]

tum,quod & in libris citatis de perfectione iustitiæ de spir.et lit.scilicet,quod non possit homo uiuere sine peccato:contra Celestium dicentem,Potest homo non peccare si uult.Originale autem non est in nostra uoluntate . In cuius exemplum proferebat ille hæreticus longum catalogum ueteris testamẽti:puta,Abel,Enoch,Abraham,& reliquos iustos, quos aiebat nullum fecisse peccatum.Inter quos referebat & beatam uirginem. Vbi si intelligeret de originali,non posuisset illos particulariter.Nam secundum Pelagianos, nullus mortaliũ illud contrahit.Ex quibus Aug . recensitis iustis solam beatissimam uirginem excipit.Neq; tamen affirmãs, sed nolens facere de illa mentionem propter honorem domini.Scimus enim,inquit,quod plus ei gratiæ collatum fuerit ad uincendum ex omni parte peccatum,quæ concipere,ac parere meruit Deum,quem constat,nullum habuisse peccatum . In eo quod dicit,uincendum, manifestissime loquitur de actuali: quoniam originale non uincitur.Et ideo notanter & discrete de illa dixit,uincere:de Christo uero, nullum habuisse. Et subdit Hac ergo uirgine excepta,reliqui omnes sancti,et sanctæ interrogati, utrum essent sine peccato, responderent, si dixerimus quia peccatum non habemus,ipsi nos seducimus. Quo etiam uerbo liquet,solum de actuali habuisse sermonẽ. Nam de originali quàmuis christianus affirmet, ipsum non habere,non contradicit Ioanni.Atqui propter hoc uerbum Augustini,Patres deinceps oẽs,& theologi uniuersi unanimes iure optimo prædicãt,gloriosam uirginẽ, peccatum nullũ fecisse actuale:quicquid senserit Chryso.Augustino antiquior. Hinc S.præsens Synodus Tridẽ.determinat can.23. sub anathematis censura, ne quis posthac dicat, aliquem in hac uita peccata omnia uenialia uitare posse,nisi speciali Dei priuilegio.Quemadmodum,inquit,de beata uirgine ecclesia tenet.Cœtum enim Patrum,ac theologorum,ecclesiæ nomine censuit:quoniam inter ecclesiæ decreta, non id hactenus fuerat relatum.Quo ergo ad explicationem huius conclusionis redeamus,hoc primum notandum est, quod illud sancti uocarunt impossibile,non quod Deus non posset facere,sed quod nondum fecit. Et secundo,ut cum nostris Pro-

Chryso. Synod. Triden.

Contra Protestã tes. testantibus colloquamur, animaduertendum, nunquàm sanctos intellexisse, quod nullo tempore possit homo esse absque omni peccato. Nam Hiero.3.lib.eiusdē dialogi, urgenti Cri-
Hiero. tobolo, an egressus homo aquas baptismatis, sine peccato sit, ingenue respondet Atticus. Ego impossibile in homine esse respondeo sine peccato esse si uelit: non quia statim de baptismate homo egressus, peccato nō careat, sed illud tempus quando sine peccato est, nequaquàm possibilitati humanæ, sed Dei gratiæ deputatur. Et inferius explicans illud, Inuenit Dauid filium Iesse uirum secundum cor meum, qui faciet omnes uoluntates meas. Non dubium est, inquit, Dauid fuisse sanctum, & in hoc electum, ut faceret omnes uoluntates Dei: sed tamen illas non fecit in perpetuum. Et ideo subdit. Hoc & nos dicimus, posse hominem non peccare si uelit, pro tempore: pro loco: pro imbecillitate corporea, quàmdiu
Exēplū de cythara. intentus est animus: quàmdiu chorda nullo uitio laxatur in cythara. Quod si paululum remiserit, quomodo qui aduersus flumen lembum trahit, si remiserit manus, statim retrolabitur, & fluentibus aquis quo non uult ducitur, sic humana conditio, si paulum se remiserit, discit fragilitatem suam, & multa se non posse cognoscit. Ecce quo pacto sancti intellexerunt, hominem non posse sine peccato uiuere, nō quidem quod omne opus nostrum peccatum sit, ita ut per nullum opus satisfaciamus legi, ut aduersarij peruerse philosophantur: sed quod uita non potest transigi, quin sępe homo cadat, saltem in leuiora plus, minusue pro cuiusque uel cura, & diligentia, uel negligentia, & incuria. Quinimo potest homo durare in diem, quando non sit memor, neque leuissimæ culpæ,
4.Cōclusio. ut possit in particulari confiteri. ¶ Subiungamus ergo quartam conclusionem. Propter uenialia peccata, homo nec rem perdit, nec nomen iusti, nec proprie dicitur trāsgressor legis. Hoc palam liquet in uerbis Augustini loco modo citato de
Aug. nat. & gra. ubi post commemorationem tot iustorum antiquæ legis Abel, Enoch, Abraham, Dauid, & reliquorum, quos scriptura uocat iustos, subdit, Nō solum iusti, sed si omnes inquit, sancti, & sanctæ cui uiuerent, interrogarentur, responderent, non esse sine peccato. Et paulo ante cap.14. de se

inquit, & de alijs ex Deo natis loquebatur Ioan. ubi ait. Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, nosmetipsos seducimus. Et Iaco. In multis offẽdimus omnes. Et in Enchiridio cap. 64. Neq; peccatum est omne crimen, neq; crimen est omne peccatum. Itaq; sanctorũ omnium uitam quàmdiu in hac morte uiuitur, inueniri posse dicimus sine crimine: peccatum autem si dixerimus, quia non habemus, nosmetipsos seducimus. Vnde in concilio Mileuitano, can. 6. 7. et. 8. & in concilio Africano can. 81. & duobus sequentibus anathematis execratione reprobantur, qui aiunt, uoces illas sanctorum, Si dixerimus, quia peccatum non habemus: &, Dimitte nobis debita nostra, non pro seipsis, sed pro alienis, aut propter humilitatem, & non propter ueritatem efferri. Quare inter ecclesiastica dogmata cap. 86. Aug. Nullus sanctus & iustus caret peccato, nec tamen ex hoc desinit esse iustus uel sanctus: cum affectu teneat sanctitatem. Et ideo ueraciter se omnes sancti pronunciant peccatores. Idem respondet Atticus Hieronymi in. 1. lib. dialogi Critobolo obijcienti ex sacro canone, multos illos qui dicuntur sancti, & iusti: ut Zacharias, & Elisabeth. De quibus habetur apud Lucam, quod erant ambo iusti ante Deum, incedentes in omnibus mandatis, & iustificationibus domini sine querela. Et Iob, de quo legitur, quod erat in terra Hus, simplex, & rectus, ac timens Deum, quibus potes omnes subijcere ab Abel iusto usq; ad Ioannem, quo Christus confitetur non esse maiorem natum inter mulieres. Omnes inquit, fuerunt iusti, sed nihilominus potuerunt concidere. Nam delicta (inquit Dauid) quis intelligit, & ab occultis munda me domine. Vnde tunc inquit, iusti sumus, quando nos peccatores fatemur. Nam iustus, accusator sui est in principio sermonis. Idemq; nunc S. Synodus Tridentina confitetur cap. xi. quod licet in hac mortali uita, quantũuis sancti, & iusti in leuia saltem & quotidiana (quæ etiam uenialia dicuntur peccata) quãdoq; cadant, non propterea tamen desinunt esse iusti. Nam iustorum illa uox est, & humilis, & uerax, Dimitte nobis debita nostra. ¶ Adde quòd non solum uenialia peccata non adimunt iustitiam, & gratiam Dei, uerum neq; obstant quo minus iusti per-

Nõ omne pec. crimẽ ẽ.

Cõciliũ Mileui.

Ecclesiastica dog.

Hiero.

Prouer. 8.

Synod. Triden.

Uenialia peccata cũ pfectione.

fecti etiam dicantur: quare illud quod capite antecedenti dicebamus: scilicet, iustitiam, & charitatem in hac uita non esse perfectam, comparatione duntaxat ad illam patriæ reputandum est. Sane, quod hæc nostra non sit, perinde, atque illa, fixa & firma. Cæterum & in hac uita uere & sunt, & in sacris eloquijs pronunciantur uiri perfecti. Aug. enim loco citato de spir. & lit. ubi negat præceptũ dilectionis in uia impleri perfecte, non tamen negat, quin charitas sit hic pfecta, quinimo palã fatetur ex illo, Maiorem enim charitatem nemo habet, quàm ut animam suam ponat quis pro amicis suis. Accedit & illud. 1. Ioan. 2. Qui seruat uerbum eius uere in hoc charitas Dei perfecta est. Et Deutero. 18. Tu autem perfectus eris corã domino Deo tuo. Et Christus in euangelio. Estote pfecti, sicut pater uester qui in cælis est, perfectus est. Et. 2. ad Corin. 13. De cætero fratres gaudete, perfecti estote. Quod si totum librum de perfectione iustitiæ, nostri Protestantes periculatius animaduertissent, illic exprimit aliquod uerbum Aug. in quo perfectionem iustitiæ huius seculi pspexissent. Hæc enim, inquit, est nostra in ipsa peregrinatiõe iustitia, ut ad illam perfectionem, plenitudinemque iustitiæ, ubi in specie decoris eius iam plena, & perfecta charitas erit, nunc ipsius cursu rectitudine, & perfectione tendamus. Hæc Aug. Ecce ergo perfectionẽ iustitiæ in uia quæ plene satisfacit legi: nempe recta ire in uia domini, nihil inde declinare. Nam perfectio patriæ non est ambulare, sed stare: illa non est meritum, sed præmium: non stadium, sed brauium. Lex idem est quod regula, qua ad brauium tendimus: perfecta ergo legis obseruantia est intrare per angustam portam, & rectam persequi semitam. Nam, Beati immaculati in uia, qui ambulant in lege domini. Et Pau. Bonum inquit, certamen certaui, fidem seruaui, cursum consũmaui: in reliquo reposita est mihi corona iustitiæ. Non est ergo præceptum, coronam accipere, sed ita certamen consummare, ut coronã accipias. In summa, iustitia nostra hic est fide ambulare, & sitire iustitiã (nam, Beati inquit, qui esuriunt, & sitiunt iustitiam) ut satiemur, quando apparente gloria sua, uiderimus eum sicuti est. Sed æstimemus uerba Pauli ad Philip. 3. utrum ad hoc perfectionum

Aug.

Perfectio uiæ.

Perfectio patriæ.

2. Thi. 4

Philip. 3.

discerniculum spectauerit. Ait enim. Non quod iam acceperim aut iam perfectus sim. En perfectionem triumphātium in regno. Sequor autem si quomodo comprehendam. Hæc est militiæ professio, de cuius perfectione subiungit. Quicunq; ergo perfecti sumus, hoc sentiamus, &c. Perfectio ergo uiæ est pfecte currere & sequi. Qđ si minutiora quædā dū remittiť chorda in cythara, admiserimus, nō propterea declinamus a uia, nec terga uertimus Deo: sed remoramur quasi luctantes contra fluctus seculi huius, Audiamus deniq; nostrū Augustinum eodem loco de spir. & lit. cap. 36. Ad illam, inquit, regni perfectionem spectat, Non concupisces (id est, corpus exutos mortis huius luctamine carnis liberari) ad hanc, post concupiscentias tuas non eas, & illius perfectionem pro mercede sperare. Igitur quintam, postremamq; propositionē concludamus contra Lutherum artic. 31. Non in omni opere peccat iustus. Septies in die cadere iustum, est quidem inter prouerbia Sapientis, cui dominus reuelauit sapiētiam: quod tamen in omni opere peccet iustus, non potuit Luthero, nisi suus reuelare genius, ut homines exanimaret, ne bene agerent, & Deo se minus debere crederent, quod ēam sibi dedisset naturam, quam neq; infirmam posset ipse sanare neq; sanam satis iuuare, ut bene ageret: & tamen præcepisset, ut iuste quæ iusta sunt faceremus. Adde, quod Sapiens de leuissimis loquitur culpis, neq; peccata uocat, bona opera: sed noster recens Propheta, mirabili nos uult antithesi dementare. Ait enim, non solum in omni opere, sed in omni opere bono peccare iustum: & quod omne opus bonum optime factum, peccatum mortale est in iudicio Dei: nisi quod per eius misericordiam non imputatur. Huiusmodi coloribus ubiq; floret unum opus, & bonum, & peccatū: optime factum, & peccatum mortale: mortale in iudicio Dei, & tamen per misericordiam non imputatum. Patere adhuc lector audire explicationem hominis, quam apud ipsum authorem legisti sępe. Vbi ait Paul. Mente seruio legi Dei, carne autem legi peccati, clarissimum habet sensum. Nempe, quòd mēs deprecatur ad optima, caro autem ad infima: in quo homo constitutus conflictu, nunc uictor seruit legi Dei, nunc uictus succumbit

Aug.

Cōclō. 5.

Prouer. 24.

Luther.

Ro. 7.

legi peccati. Quod autem Paul. de una persona propter diuersorum operum uicissitudinem enunciat Luther. ad eandem personam pro eodem tempore, quin etiam secundum unum idemq; opus molitus est. Adeo ut protrahere eliciat ex hoc loco, quod non solum eadem persona sit simul iusta & peccatrix, sed quod idem prorsus opus iusti, sit partim bonũ, quatenus procedit a gratia Dei: partimq; malum, qua ratione proficiscitur a libero arbitrio. Vide quousq; procreat assertus ille ab istis error, quod concupiscentia, etiam in baptizatis, sit peccatum. Illam enim ubiq; clamãt esse arborem malam, quæ non potest bonum fructum facere. Quin uide precor quo cum genere mortaliũ a triginta iam annis litigamus. Peiores nos faciunt beluis. Illæ quippe si non sunt in bonum liberæ, certe neq; in malum. Nobis uero isti sic libertatẽ concedũt in malum, ut in bonum funditus sublatam uelint. Quin uero, quod Deus optimus ad peccandum nos cogat, nihil uerentur docere: quod tamen maximus ipse iuuare nos satis possit ad opus quod uere sit bonum, neutiquàm induci possunt, ut credant. Primum omnium, nunquid hæc contradictio est manifestaria, ut idem opus sit simul bonum, & malum in conspectu Dei? In naturalibus nihil prohibet, eundẽ cibum, qui ad unum est morbum salubris, respectu alius, esse pestilentem, sed quod unum opus simul fiat secundum regulam, legem & uoluntatem Dei, atq; idem simul contra eandem legem, regulam, & uoluntatem (hoc est enim esse bonũ, & mortale malum) quomodo ex quibuscunq; causis fiat, est intellectu possibile. Adde, quod si peccatum est secundũ iudicium Dei, quomodo per misericordiam non imputatur? Nũquid tam iustus est Deus, quàm misericors? quo ergo pacto id in quo iudicat perdurare rationem peccati, & in seipsum offensæ, poterit per misericordiam non imputari? Hoc autem duobus me locis: nempe & lib. 1. & item. 2. memini reprobasse. Dimissis ergo contradictionibus istorum, ratio cõclusionis est hæc. Potest quis per gratiam Dei opus iuxta suã legem perficere, ut nullum admisceat malum finem, aut circunstantiam, sed fiat iuxta eius uoluntatem, aliàs ne quicquàm quotidie peteremus, Fiat uoluntas tua in terra, sicut

in cælo

Vesania Lutheri.

Rõ cõclõnis ẽ.

in cælo: ergo tale opus expers erit prorsus culpę. Id quod uno testimonio Cypriani constãtissime confirmatur, quod tamẽ Luther.art.2. pro se adfert ex epistola quadam de mortalitate. Ait enim diuus ille martyr. Obsessa mens hominis & undiq; Zabuli infestatione uallata, uix occurrit singulis, uix resistit. Si auaritia prostrata est, exurgit libido: si libido cõpressa est, succedit ambitio: si ambitio cõtempta est, ira exasperat, superbia inflat, uinolentia inuitat, inuidia concordiam rumpit: amicitiam zelus abscindit: &c. Ex isto loco quemadmodum Luthere exprimere ualeas, omnia opa esse peccata, nemo nisi discipuli tui uidet. Inprimis non dicit, quod uno uitio uicto aliud nos uincat, sed quod alia pugna carnis insurgit. At ut illud interim præstemus tibi, cur intercalas authoritatem, & non legis continuam: ait enim, Si auaritia prostrata est, exurgit libido. Prosternere ergo auaritiam, non est peccatum: sed uirtus. Et si libido compressa est, succedit ambitio. Igitur comprimere possumus libidinem, ita ut nullam habeat rationẽ peccati. Cyprianus itaq; adeo negat, omne opus esse peccatum, ut affirmet easdem affectiones, quæ nos quãdoq; deuincunt, a nobis etiam uicissim superari. Desinite ergo cæci esse. Cessate, peccata dicere, opera, quæ per auxilium Dei a nobis fiunt, & maxima ipsius sunt beneficia. Vtrum quando Paul. non ipse, sed in eo uiuebat Christus, & quãdo nihil sub sole metuebat, quod se a charitate Dei separaret, tũc etiam omne opus eius peccatum dicere audetis? An prædicatio Ioannis præcursoris Christi, & omnes etiam martyrum confessiones, quando pro Christo cædebantur, occidebãtur, & dilaniabantur, peccata etiamnum erant, quia procedebant a libero arbitrio? Cum tamen opera, quæ nõ fiant per liberum arbitrium, digna esse nõ possunt aliquo præmio, eo quod ut peccatũ, ita neq; uirtutis opus est, nisi libere fiat. Profecto qui ita est in sanctos blasphemus, neq; sanctissimæ Dei genitrici parcet. Dicite ergo officia intemeratæ uirginis, dũ Christum lactabat, gestabat, et nutriebat, peccata fuisse. Atq; adeo uerbũ illud, Ecce ancilla dñi, ex quo beata dici meruit ab omnibus generationibus, ut sit uestra consũmata blasphemia. Nos.n. Paulũ auscultamus, qui ad Cor. cuigilare iustos

Cypria.

Aliud argumentum.

Impietatis cõuincuntur.

Sanctissima uirgo.

2.Cor.7

iubet, ne peccent. Et rursus, si nupserit inquit, uirgo, non peccat. Et Petrus, egregias nobis uirtutes proponēs, subdit. Hæc enim facientes non peccabitis aliquando: & Iaco. non ait, In omnibus offendimus omnes: sed in multis. Sane q̃ alia sunt in quibus non peccemus: & Ioā. Omnis qui in eo manet, nō peccat. Quin satis nobis est, Christū audire magistrum, qui ait, Ecce sanus factus es, iam noli peccare. Ex his nanq; & huiusmodi alijs confecit Synodus sancta præsens, cōfessionem illā in calce cap. xi. aduersari: scilicet, orthodoxæ religiōis doctrinæ, qui dicunt, iustū in omni bono opere peccare, & can. 25. ubi talium ausum anathematis ferit censura.

Synod. Triden.

Ad respondendum aduersarijs. cap. 5.

Potuissem ego equidem silenter prætermittere respōsa argumētorū aduersæ partis: adeo ab ijs qui prius nobis scripsere, cuncta sunt optime diluta: sed ne instituti filum & seriem abrumpam, curabo citra tædium illa percurrere. Eo præsertim, quod cap. 19. primi libri, ubi constituimus, non omnia opa peccatoris peccata esse: & 2. cap. libri. 2. ubi agebamus de dispositiōibus ad gratiam, huiusmodi respōsiones in hunc remisimus locum. Rationem isti nullam adferre possunt, quia necessitatē hanc suam peccandi a contagione originalis culpæ diducūt: quæ res est extra lineam naturalem. Inde enim statim confingunt commentum quoddam super illud uerbum Christi, Non potest arbor mala bonos fructus facere. Est enim inquiunt, concupiscentia ineuitabile malum, neq; ullum opus fieri potest a nobis, quod non aliquo modo nascatur ex illa: omne ergo est tali ratione malum. Pari modo persuadebant suam hæresim Manichæi, ut adnotat August. 2. lib. de uerbis domini, dicentes, unam esse naturam bonam, quæ non poterat facere malum: aliam uero malam, quæ non poterat facere bonum. Et ideo ait illic Aug. & postea in enchiridio, quod nomine arboris non intelligitur natura, sed uoluntas, & uocat uoluntatem intentionem more philosophorū. Hoc enim modo neq; ex mala arbore nascitur bonum opus, neq; ex bona malum. Nam si arbor acciperetur pro natura, cum omnis natura bona sit, nulla posset facere malum: neq; ipsa potentia uolunta-

Nō pōt arbor mala etc.

Manichæi.

Aug.

tis. Quam intentionem alibi uocat Christus oculum, ubi ait, Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit: si autem nequàm, totum erit tenebrosum. Et quod nomine arboris, non natura intelligatur, sed uoluntatis intẽtio, patet ex alijs uerbis. Aut facite arborem bonam & fructum eius bonum: aut arborem malam, & fructum eius malũ. Naturam enim non facimus, sed uoluntatẽ, atq; opera quę inde germinant. Igitur neq; omnia opera nascuntur ex concupiscentia carnis, neq; illa dicitur arbor, unde inficiantur omnia opera: sed omnia sunt bona, uel mala a uoluntate. A qua, potissimum si diuinitus adiuuetur, multa esse possunt opera bona. Simili modo detorquent, & illud Ioãnis. 3. Quod natum est ex carne, caro est, & quod natum est ex spiritu, spiritus est. Elicientes inde, quod omnia opera, etiam illa quæ ex gratia procedunt, quàmuis illa ratione sint spiritualia, nihilominus qua parte dimanant ex concupiscentia carnis, sunt carnalia & peccata. At uerbum illud solum adduxit Christus, similitudinis gratia. Nimirum, quod quemadmodum ex generatione animali nascitur homo animalis, ita ex regeneratione baptismatis nascatur spiritualis. Quod si quis uelit ad opera referre, id tantum poterit euincere, quod illa opera quæ nascuntur ex inclinatione & intentione carnis, præter rationẽ, sint uitiosa. Porro autem contra humanum sensum est, quod omnia opa nostra hoc modo ortũ habeãt ex carne. ¶ Alia uero loca quibus de capite suo contortis enitunt, plurima sunt in ueteri pagina, Atq; inde primum initium sumunt, ubi Gene. 6. ait Moses. Videns dominus, quod multa malitia hominum esset in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore, pœnituit eum, quod hominem fecisset super terram, &c. Ex illo uerbo, Cuncta cogitatio cordis intenta est ad malum omni tempore, colligit Luther. art. 36. nullam inesse nobis arbitrij libertatem ad bonũ: sed omnia opera nostra esse mala, & de se mortalia peccata. At plura profecto peccata sunt in sua ista collectione. Nam primũ circumiacentia uerba liquido demonstrant, illud uerbũ non esse dictum de omni semper genere nostro propter originale: sed de hominibus illius ætatis propter sua nefanda scelera.

Matth. 6

Ioan. 3.

Gene. 6.

Ita enim incipit cap. Cum homines incepissent multiplicari super terram, uidentes filij Dei filias hominum, quod essent pulchræ, &c. ubi depingitur corruptio illius gentis. Et idcirco subditur. Videns dominus, quod multa malitia hominũ esset in terra, & cuncta cogitatio, &c. Nunquid uerbum, Videns, malitiã præsentẽ designat? Et quod subditur, Pœnituit eum, quòd hominem fecisset? Et quod subnectit, Et præcauens in futurum, Delebo hominem? deletio quippe illa in pœnam corrupti tunc generis humani facta est. Vnde quod ait, omni tempore, solum est uerbum indignantis: quod scilicet nihil de emendandis moribus cogitabant, sed in dies, flagitia flagitijs, & sceleribus scelera cumulabãt. ¶ Et idem forsan est sensus similis replicati uerbi cap. 8. qui est secundus locus apud Luthe. Nequaquàm ultra maledicã terræ propter homines. Sensus enim & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua. Sed esto, hoc referatur ad sensum & cogitationem in uniuersum cordis humani, ut hic secundus locus præ se ferre uidetur, quonam pacto ex hinc fit consequens, ut nullum prorsus bonum possit a libero arbitrio prodire? Vt scilicet, non solũ otiosæ cogitationes (ut uerbis utamur Lutheri) sed etiam ingeniosæ, & quas homo de industria cogitat, omnes sint malæ. Nam illic non dicitur, qđ omnis cogitatio cordis humani sit peccatum, sed quod sit intenta & prona ad malũ: id est, quod inclinatio carnis, & sensualitatis (hanc enim uocat cor humanum) de se allicit, & trahit rationem, & uoluntatem in malum, non tamen inde sequitur, alia opera esse mala, quàm illa in quæ homo deuicta rõne, libere consentit carni. Ait enim Iaco. quod unusquisq; tentatur a concupiscentia sua, deinde concupiscentia cũ conceperit (nimirum per consensum) parit peccatum. At uide ꝗ hoc sit perspicuum cap. 8. Pollicetur enim Deus ideo se non tanta acerbitate ultum deinceps ire scelera humani generis, eo quòd cogitatio humani cordis prona sit ad malum: haud tamen adduxisset in cãm illius clementiæ, quod omnia opera hominum sunt peccata: nam hoc potius deberet Deo mouere iram: ergo cogitatio illic accipit̃ pro luctamine carnis. Vt sit sensus, quod eo sint homines uenia digni, quod peccẽt

Gene. 8.

Iaco.

propter continuā ſenſualitatis rixam & pugnam: quā ægre & difficulter poſſunt ſemper uincere. Vnde cap. 6. poſtq̄ dixerat, quod cūcta cogitatio eſſet intenta ad malū, extemplo ſubdit Propheta. Noe uero inuenit gratiam coram domino. Et cap. ſequenti. Te uidi iuſtum corā me in generatione hac.

¶Complicat Luthe. & aliud tertium uerbū eiuſdem cap. 6. Non permanebit ſpiritus meus in homine in æternum: quia caro eſt. Ex quo uno loco geminā conficit argutiam. Primā, quod ſi homo caro eſt, nihil boni agere pōt. Altera quod ita Deus ademerit hominibus ſpiritum ſuum bonū, ut ceu ſpiritualiter mortui nequeant niſi mortis opera agere. Hic autē locus bifariam a Patribus exponitur, ex quarum neutra expoſitione quoquo pacto ualet Luther. ſuum commentū extorquere. Primum teſte Hieronymo, uox hebraica ſignificātius latine redditur, non iudicabit, q̄ non permanebit. Secundum quem ſpiritus domini illic accipitur pro ira ſua, & indignatione, & caro pro fragilitate. Vt ſit ſenſus, non exigam in futurum tā graues ab hominibus pœnas, quia fragiles ſunt, ſed permittam eos uiuere centum uiginti annos. Quam ætatem ait Ioſephus, indultam fuiſſe hominibus poſt diluuium. At iuxta latinā lectionē, non p̄manebit, ſpūs accipit̃ pro uita animali: ut ſit alluſio ad illud, Inſpirauit Deus in hominē ſpiraculū uitæ: caro aūt accipitur pro carnalibus hominibus, in quibus eſt rō ſepulta. Vt ſit ſēſus, nō uiuet iſta generatio p̄pe tuo, quia carnalis eſt. Quare qđ ſequit̃ de centū uiginti ānis, non refert̃ ad ætatē, qua eſſent uicturi homines: ut. 15. de ciui. dei cap. 24. author eſt Aug. ſed ad induciarꝫ tēpus, quo Deus expectaturus erat emendationē hominū. Intelligēdū. n. eſt, illud Deū dixiſſe, uiginti ānis anteq̄ Noe inciperet arcā, cuius fabrica durauit centum. Quapropter illico ſequitur in textu. Delebo hominē quem creaui a facie terrę. Sed ut hoc ēt uelimus elargiri Luthero, quod accipiat̃ ſpūs, pro bono ſpū Dei, parū illi dialecticæ opus erat, ut intelligeret ſenſum illius uniuerſalis. Non. n. dixit, q̄ in æternum nunq̄ p̄maneret, ſed qđ non permaneret in æternū: id eſt, quod nō ſemp & perpetuo permāſurus eſſet in homine. Cui ſenſui nihil repugnat, quin aliquādo eſſe poſſit ut maneat. Neq̄ ipſe Lutherus inficias

Non p̄manebit ſpūs & c.

Hiero.

Ioſeph.

Aug.

ire potest,quin spiritus domini sit in homine p fidem & gratiam:cur ergo non erit ad operandum bonum? Quartus locus est istis ubiq; replicatissimus Esaiæ. 64. Facti sumus immundi homines nos:& quasi pannus menstruatæ, uniuersæ iustitiæ nostræ. Qui tamen locus absq; ullo prorsus dubio intelligitur præcise de populo illo. Absq; dubio inquàm. Primum propter authoritatem expositoris Hieronymi, qui ait, illud dictum esse,quando nec dũ saluator aduenerat: sed populus imaginem terreni hominis portabat. Et præterea inquit,quod illic depingitur iustitia legis,quæ comparatiõe ad euangelicam puritatẽ immunditiæ reputatur:id quod multis confirmat testimonijs. At textus ipse luce clarius apit sensum Prophetæ. Sane qui ingenti animi ardore & anxietate optabat aduentum Messiæ. Vtinam enim inquit,dirumperes cælos & descenderes. Atq; tali affectu exaggerabat populi necessitatem,deplorabatq; eius ruinam.lamentans queadmodum omnes legis iam obliti pererrarent, essentq; eorum uniuersæ iustitiæ,sicut pannus menstruatę. Erant enim tunc sub captiuitate:ubi a templo absentes,non poterãt offerre sacrificia,ad expianda peccata,neq; uti purificationibus legis. Et ideo allusit ad illõ pannũ menstruatæ. Cuius periphrasim & explicationẽ illico subnectit. Quia cecidimus, inquit, quasi folium uniuersi,et iniquitates nostræ quasi uentus abstulerũt nos. Atq; plurimis huius figuræ cõgeminatis cõcludit. Neq; irascaris dñe satis,et ne ultra memineris iniquitatis: ecce respice populus tuus omnes nos. Profecto ista uerba nõ possunt coaptari uniuerso nunc generi hũano. Quinimo manifestissima est cõtradictio in Luthero. Si enim de omnibus etiã nobis intelligitur,quõ ipse dicit,quod peccatores horrore peccatorum suorum nomen Christi inuocantes, & ad suã misericordiam confugiẽtes, fide iustificantur? Nam & habetur etiam illic,Non est qui inuocet nomen tuum,qui consurgat & teneat te. Iam uero quàmuis confessio illa intelligentiã habere aliquam posset generalem,nequit tamen intelligi de singulis operibus,sed quod tota uita iusti hominis nõ potest non crebris maculis esse conspersa. Nã & pannus menstruatæ non est necesse,ut totus sit defœdatus:sed potest esse macu-

Esa.64.

Hiero.

losus. Neq; tñ macula omnis est mortalis. Quadruplicẽ enim maculam notat illic S. Tho. puta absentiam gratiæ exclusæ per peccatum mortale, & sola hæc proprie est macula. Mox intentio minus recta, aut tertio uenticulus superbiæ de bono ope, quæ possunt esse uenialia peccata. Quarto, aliqualis pręterea negligentia, quæ potest aliquo modo significari nomine maculæ, etiam si sit citra peccatũ. Qua ratione ut supra diximus, etiam iustissimi possunt confiteri, uniuersas iustitias suas esse sicut pannus menstruatæ. Quo sensu ait Concionator. Non est homo iustus in terra, qui faciat bonũ, & non peccet. Et maxime si cõponantur cum splẽdore illo iustitiæ Dei lucem inhabitantis inaccessibilem. Præterquàm quod ut ait ad Augustinum anglorum Grego. Bonarum mentium est ibi culpam agnoscere, ubi culpa non est. ¶ Quintum testimonium Protestantibus nostris familiarissimum est illud Psalmi, Non intres in iudicium cum seruo tuo domine, quia non iustificabitur in cõspectu tuo omnis uiuens. Ex hoc enim loco colligit arti.31. Luther. id quod asseclæ sui asseuerare pertẽdunt, nullum esse bonũ opus in nobis in oculis Dei, isto syllogismo, Deus quia iustus est, bonum opus damnare nõ potest: cum ergo dicat, nullum uiuentem, neq; seruum Dei, iustificari in cõspectu eius, palam fit, nullum opus bonũ posse iustum iudicium Dei sustinere: quare neq; bonũ est. At Roffen. prudenter quidem, & argute notauit uerborum reluctãtiam. Si enim Deus bonum opus damnare non potest, quomodo ait Luther. opus bonum non sustinere iudicium Dei? necesse est ergo, ut dicat, bonum opus, quod secũdum ipsum etiam est malum, damnari, & non damnari. Locus ergo ille in eodem sensu satis exponitur, qui iam explicatus est. Non enim habetur illic, quod nullum opus erit iustum in conspectu Dei: sed quod nulla persona iusta ita iustificabitur in cõspectu diuinæ maiestatis, in qua ipse quem nullum latet secretum, non uideat multa opera mala, quæ nobis sunt abscondita. Nam præter ipsum delicta quis intelliget? Sed est forte & sensus alius Augustini in enarratiõe eiusdem psalmi. Nẽpe quod non potest homo iustificari in conspectu Dei, sicuti cum altero homine. Nam inter homines põt quis p̱ se prius.

Macula.

Non intres in iudiciũ etc.

Roffen.

mereri mercedem, ut proprio eam iure reposcat, sed respectu Dei non ita: quia nullus prior dedit ei. Et ideo neque iustitias ipsas nostras in quibus nulla inesset ratio nec uenialis culpę, possumus in conspectu Dei proferre, tanquàm proprijs nostris uiribus factas, de quibus petamus præmia. Respõderet quippe, Quid habes quod a me non acceperis: qui dedi tibi & cogitare, & uelle, & operari. Itaque nihil aliud uult hic Psalmista, quàm eos reprehendere, quos etiã taxat Paul. sane qui ignorantes iustitiam Dei, & suam quærentes statuere, iustitiæ Dei non sunt subiecti. Citant præterea & sanctos Patres in testes. Vt Aug. lib. 10. confessionum cap. 13. ubi inter lamenta, quæ pro matre fundebat ad Deum, ait, Væ, etiam laudabili, uitæ hominum si remota misericordia discutias eã. Perseuerant enim in sua dialectica, ut a tota uita ad singula opera argumententur: cum Aug. nihil aliud significet, quàm quòd nulla potest esse tam laudabilis uita, cui non fuerint permixta peccata leuia. Præmittit. n. de matre sua, Ita post baptismũ uixerat, ut laudem nomẽ tuum, in fide & moribus eius. Non tamen, inquit, audeo dicere, nullũ uerbum exisse ab ore eius contra præceptum tuũ. Et ideo subiungit. Væ, etiã laudabili, uitę, &c. Et paulo inferius. Ego itaque laus mea, & uita mea, Deus cordis mei, sepositis paulisper bonis eius actibus, pro quibus tibi gaudens gratias ago, nunc pro peccatis matris meæ deprecor te. Discernit ergo expresse Aug. bonos actus matris a malis. Citat præterea Luther. & Gregorium lib. 9. dialogorum. Vbi ait, quod sanctus uir Iob omne uirtutis nostræ meritum esse uitium conspexit si ab interno arbitrio districte iudicetur. Consulto tamen quæ sua prudentia fuit, citauit glossam sine textu. Cernebat enim per textum facile sibi respõsum iri. Textus enim est ille ca. 9. Vere scio quòd ita sit, & quod non iustificabitur homo cõpositus Deo. Vbi nihil sibi aliud uoluit sanctus ille, quàm quòd iustitiæ nostræ, etiam si absolute per gratiam Dei sint uere iustitiæ, comparatione tamẽ ad infinitam illam rectitudinem, bonitatemque diuinam non reputantur iustitiæ: sicuti papyrus in media niue non existimabitur alba. Quod reuera non solum de iustitia huius seculi, sed & de iustitia angelorum in cælo potuit affirmare.

Aug.

Grego.

affirmare. Præsertim, quòd neq; illic loquitur de singulis operibus, sed quòd homo non apparebit iustus collatus cum Deo. Et ideo subdit, quòd si uoluerit homo contendere cum Deo, non potest ei unum respondere pro mille: id est, pro mille beneficijs, quæ a Deo recepit, non poterit adferre unum quod ipse prius dederit Deo. Nam neq; initium ait illic Grego. est a nobis, sed hoc, quòd iustitiæ nostræ, dum illi comparantur diuinæ, non appareant iustitiæ, cap. 7. explicandum est amplius. Interim ut ad Gregorium redeamus. Nunquàm ipse in talem incidit errorem, ut cogitaret, nullam esse actionem humanam culpa uacantem. Sane qui ad Augustinum Anglorum scribens, ait, bonarum esse mentium ibi culpam agnoscere, ubi culpa non est. Et eodem opere moralium sæpe confirmat, non solum opus aliquod posse carere culpa, uerum & hominem etiam. Potissimum lib. 2. super illis uerbis primi capitis. In omnibus his non peccauit Iob labijs suis, neq; stultum aliquid contra Deum loquutus est. Vbi ait Grego. quòd beato Iob, & oris testimonium perhibetur & cordis, quia & culpam a lingua compescuit, & a corde restrinxit. Et quàmuis Grego. id non dixisset, textus ipse. In omnibus his non peccauit Iob, abundans nobis esset, ad conterendam audaciam, dicentium, nullum esse opus bonum, quod non sit una peccatum. In summa, quinq; de causis orant sancti, ne Deus intret cum illis in iudicium, sed omnia opera in suam misericordiã reijciunt. Prima & potissima, est dubium de proposita salute, de qua nemo est adeo certus, quin sit semper in metu. Secunda, quia uix est, qui non fecerit aliqua peccata mortalia, de quibus nescit, an ueram fecerit pœnitentiam. Tertia propter pericula uenialia a quibus nemo cauere potest. Quarta propter negligentias, quæ in omni etiam opere bono plurimum admiscentur. Ac deniq; quinta propterea, quia neq; ipsa opera bona a nobis habent radicem, sed a misericordia Dei, & ideo non possumus cum eo iure proprio nostro agere.

De satisfactione. cap. 6.

Quinque de causis

SEcundum quod operibus nostris per gratiã Dei competit, est, ut per illa satisfaciamus pro peccatis. Non quidem pro culpa, antequàm remittantur, sed pro debitis pœnis, quæ culpa remissa, reliquæ fiunt, ut in confessione S. Tridentinæ Synodi cap. 14. habetur. Hęc autem disputatio duo habet membra: Primum de ea re, quam præsupponit, & alterum de ea quam inuestigat. Supponimus enim, non in uniuersum cuicunque indulgetur culpa, condonari totam pœnam: sciscitamur autem, an id quod reliquum est pœnæ, persoluere homo ualeat in hoc seculo per bona opera. De primo non ita hic multum sermonẽ habebimus, illud quippe ad tractatum sacramentorum peculiarius spectat. Sed tamen neque possumus non aliquam mentionem facere, non solum ad explicationęm disputatiõis, uerum & quia de hoc pronunciauit S. Synodus. Articulus fuit quintus assertionum Lutheri, quo solennem illam partitionem pœnitentiæ in tres partes respuit. Addit tamen non negare contritionem & confessionem, sed satisfactionem. Hinc enim, ut lib. 2. ca. 5. enarrauimus, cœpit ecclesiæ Romanę oblatrare, ex odio scilicet indulgentiarũ. Sed uide, quàm sit annexa satisfactio confessioni. Initio solum repulerant satisfactionem, inde tamẽ facile expugnata illis est confessio. Nãque in hoc potissimum est a Deo instituta confessio, ut secundum mẽsuram delicti, arbitrio sacerdotum statueretur plagarum modus, atque adeo oleo, & uino curaretur infirmus. Vbi autẽ semel hunc errorem deuorarunt, quod per fidem cõdonantur plenissime omnia peccata, quo ad culpam & pœnam, inde illis consequentissimum fuit, non esse necessariam confessionem singulorum peccatorum: sed in genere ad protestandum fidem. Quo fit, ut mera fuerit inscitia Lutheri, quinimo pniciosissimus ausus, negare satisfactionem: illa rõne, quòd hoc uerbum non est expressum in sacra scriptura. Nullum. n. adfert argumentum, nisi quia non possumus ostendere, ubi sit in scriptura nomen satisfacere, aut quòd pro peccato mortali, debeat quis satisfacere septem annis. Nam illud inquit, Quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis,

Synod. Triden.

Diuisio.

Luther.

Cõfessio ni ãnexa satisfa.

Ausus Luthe.

& quodcunq; solueris, erit solutum. Et, Quorum remiseritis peccata, remissa erunt, & quorum retinueritis, retenta, ad remissionem inquit, culpæ pertinet, non ad satisfactionē. Alias dicere debuit, Quorum remiseritis satisfactiones. At uero, præterquàm, quod iure optimo multa recipit ecclesia ex monumentis Patrum, scripturæ sacræ interpretū, licet in ea non sint formaliter, rem nihilominus satisfactionis euidentissime colligimus, tum ex aliјs locis sacræ paginæ, tum clarissime ex his modo commemoratis. Enimuero remissio, & absolutio peccatorum (quod isti non consyderant) non ad culpam tantum refertur, uerum & ad pœnam. Vtroq; enim modo ligatur peccator: scilicet, ut inimicus sit Deo, & præterea dignus pœna. Et ideo ab utroq; absoluitur per gratiam Christi. At quia misericordia Dei nunquàm est sine iustitia, quàmuis in cruce sufficiēter, & meritus fuerit, et satisfecerit pro omnibus peccatis totius mundi, efficaciter tamen noluit singulis applicare, aut meritum, aut satisfactionem, nisi quatenus unusquisq; libere assenserit, & cooperatus fuerit adiutorio ipsius. Qua de causa, ut nō omnes ad eundem gradum amicitiæ recipit, dum conuertuntur, ita neq; eius iustitiæ fuit cōgruens, remissa culpa, & æterna pœna, unicuiq; remitti de temporali, nisi iuxta proportionem conatus, quo se quisq; conuertit. De baptismo uero quo sepelimur cum Christo, & renascimur in nouam uitam, diuersa est ratio: ut paulo post explicabimus. Et quoniam neq; ille actus est in omnibus æqualis, neq; scelera paria, prouidentissime hoc commisit iudicio ecclesiæ, & ministrorum eius. Et hic est sensus legitimus illorū uerborum, Quodcunq; ligaueritis, & quodcunq; solueritis. Et, Quorum remiseritis, & retinueritis. Videlicet, uos instituo iudices, quorum iudicio, claue non errante, ego stabo: ut quodcunq;, et quomodocunq; remiseritis, aut retinueritis, sit remissum & retentū. Hoc est, quam pœnam esse, uel remittēdā, uel retinendā, imponendāq; pœnitenti, claue non errāte, iudicaueritis, corā meo itidē tribunali erit remissa, & retenta. Ex quo ideo uno loco, ambas pœnitentiæ partes elicuerunt Patres: scilicet, cōfessionem, & satisfactionem. Nā cum res sit in euangelio patens, nulla est iniuria, si nomine congruentis-

Vnde colligit satisfa.

Quorū remise.

ſimo ſignificetur. Neq; uero nomen eſt nouum, uti Luther. antequàm antiquitatem habuiſſet exploratã, arbitratus fuit. Etenim Leo primus, cui in Concilio Calcedonenſi a ſexcẽtis triginta patribus, referente Theodoro foroliuienſi, ter ſanctus, acclamatum fuit, Mediator, inquit, Dei et hominum homo Chriſtus Ieſus hanc præpoſitis eccleſiæ tradidit poteſtatem, ut & confitentibus actionem pœnitentiæ darent, & ſalubri ſatisfactione purgatos ad communionem ſacramentorum per ianuam reconciliationis admitterẽt. Et infra. Oportet unumquẽq; chriſtianum conſcientiæ ſuæ habere iudiciũ, ne conuerti ad dominum de die in diem differat, ne ſatisfactionis ſibi tempus in fine uitæ ſuæ cõſtituat. Neq; antiquiſſimum Tertullianũ præterijt nominatio ſatisfactionis, eccleſiæ iam tunc receptiſſimæ. Satisfactio enim, inquit, confeſſione diſponitur: confeſſione pœnitentia naſcitur: pœnitentia Deus mitigatur. Et infra. Cõmemoratis quàm multis ſatisfactionis operibus, ſubdit, illa eſſe neceſſaria, ut in peccatorem pœnitentia ipſa pronuncians, pro Dei indignatione fungatur, & temporali afflictione æterna ſupplicia, non dicam fruſtretur, ſed expungat. Hæc ille in lib. de pœniten. Et Hiero. ut refertur de pœniten. d. 1. Menſuram, inquit temporis in agenda pœnitentia, idcirco non ſatis aperte præfigunt canones ꝑ unoquoq; crimine, ut de ſingulis dicãt, qualiter unũquodq; emendandum ſit, ſed magis in arbitrio ſacerdotis intelligentis relinquendum ſtatuunt: quia apud Deum non tam ualet menſura temporis, quàm doloris: nec abſtinentia tantum ciborum, quàm mortificatio uitiorum. Propter quod tempora pœnitentiæ, fide & conuerſatione pœnitentiũ, abbreuianda præcipiunt, & negligentia, protelanda exiſtimant. Audi Luthere, quemadmodum ſecundum Hieronymum & Leonem antiquiſſimos iuxta, ac ſapiẽtiſſimos, & ſecundum Tertul. in illis uerbis, Quodcunq; ligaueritis, & quorum remiſeritis, iudiciaria tradita eſt poteſtas miniſtris eccleſiæ ad ſatisfactionem remittendam & retinendam. Id quod adhuc copioſius tractat Chryſo. tum alibi diffuſiſſime & frequentiſſime, tum in lib. 3. de ſacerdotio cap. 5. Cuius cęterorũq; Patrũ, quæ abſq; numero ſunt, teſtimonia prætermimus: quia non eſt

Leo.

Tertullianus.

Hiero.

Chryſo.

hic locus recitandi. Miraculũ.n.est,& non ferendũ portentũ. Lutheri portẽtũ.
Qđ ob peccatũ Adę qđ aliena uoluntate contrahimus,cõcu
piscentiã carnis,ita in nobis peccatũ esse uelint,ut nulla satis-
factione,neq; ipsius Christi,possit in hac uita cõpensari,quin
semp sit peccatũ,contra qđ proprijs operibus debeamus pu-
gnare,& tñ pro actualibus delictis,flagitijs,et sceleribus,quę
nos ipsi,ppria uolũtate cõmisimus,sic uno actu fidei applica
tã nobis cõtẽdãt satisfactionẽ Christi,ut nullus fiat reliquus
reatus pœnæ,quam p auxiliũ Dei nostris exoluamus piacu
lis. Cũ tñ scriptũ sit in Deuteronomio,qđ pro mẽsura delicti Deu. 25.
erit plagarũ modus. Et in Apocalypsi. Quãtũ glorificauit se, Apoc.18
& in delicijs fuit,tantũ date ei tormentũ & luctum. Et Paul. Rom. 8
Romanos iã iustificatos exhortet̃,ut sicut exhibuerũt mẽbra
sua seruire immũditię,et iniquitati ad iniquitatẽ,ita exhibeãt
mẽbra seruire iustitiæ in sanctificationẽ. Id profecto aptissi-
me explicãs,quod angelus Dei Ioãnes,præmissus ante faciẽ Matth.3
Christi,prædicabat in deserto,clamans,ut facerent homines,
non solũ pœnitentiã,uerũ fructus pœnitẽtiæ. At strophã Lu Lutheri strophæ
theri & suorũ audiamus,hoc testimoniũ ludificantiũ. Aiunt,
ut modo dicebamus,admonitionẽ Ioannis eã esse,ut per fru
ctus pœnitentiæ procuremus extenuare concupiscentiã car-
nis,quæ est peccatum originale. Sed nunquid Ioãnes proge-
niem uiperarum tanta acerbitate & amarulentia de solo pec
cato originali obiurgabat? Nunquid non de pudenda perui
cacia est,quotquot super hunc locum ab ecclesiæ primordijs
scripserunt,Patribus contradicere? Sic enim habet expositio
illic Chrysostomi. Facite,inquit,fructus dignos pœnitentiæ. Chrysol.
Quo autẽ modo fructificare poterimus,si utiq; peccatis ad-
uersa faciamus? Aliena rapuisti,incipe donare iam propria:
longo es tempore fornicatus,a legitimo quoq; usu suspende-
re coniugij. Et ita deinceps progreditur,suum cuiq; actuali
peccato opponens fructum pœnitentiæ. Pariter ibi August. Aug.
Sunt inquit,digni fructus uirtutũ,fructus qui non sufficiunt
pœnitentibus. Pœnitentia enim grauiores postulat,& Ho-
mil. 1. de pœnitentia,nisi isti lapidei essent, & plumbei, nul-
lum relinquit ambigendum locum. Distinguit.n.tres actio-
nes pœnitẽtiæ: primã ante baptismũ: secundã de leuioribus,

ac tertiam, quæ pro illis, inquit, peccatis subeunda est, quæ legis decalogus continet: ubi maiorem ait, quisq; in se seueritatem debet exercere, ut a seipso iudicatus (quod ait Aposto.) nõ iudicetur a Deo. Ecquid uero rogo iudicij nomine significatur, nisi satisfactio & recompẽsatio, qua iusta talione delicta ulciscimur nostra. Idem docet Greg. Cypria. & uniuersi.

Rõ theologorũ. Neq; uero despicienda ratio est, qua theologi rem hanc dilucidant. Equidem, quod in peccato, & auersionem est consyderare a Deo, & conuersionem ad obiectum peccati: secundæ respondet pœna sensus: & ratione primæ illa pœna efficitur æterna. Ob idq; remissa culpa per conuersionem (iuxta illud psal. Dixi confitebor, et tu remisisti) restat pœna temporalis, cuius. 2. Reg. 12. testimonium extat de Dauid, qui cum primum dixit. Peccaui domino, audiuit a Nathã, Dominus quoq; transtulit peccatum tuum. Veruntamen filius, qui natus est tibi, morte morietur. Remissa ergo culpa, nonnulla tẽporalis superest luenda pœna. Sed de hoc primo puncto satis, ut rationem redderemus confessionis sanctę, Concilij Tridentini cap. 14. ubi habetur, quod nõ tota semper temporalis pœna, uti in baptismo, reliquis deinceps remittit, qui gratiæ baptismali ingrati, spiritum sanctum contristauerunt, & templum Dei uiolare non sunt ueriti.

Synod. Triden.

Quęstio. Hac ergo pręstituta ueritate, quæstio est. Vtrum in hac uita satisfacere homo Deo possit pro debitis illis pœnis, tam remissorum mortalium, q̃ uenialium. Cuius respõsio affirmatiua est, de qua nunq; fuit anceps ecclesia. Est hic tñ primum omniũ de satisfactione distinguendũ. Altera. n. est perfecta, & altera impfecta. Nam satisfactio cum designet actum iustitiæ, genere suo disparatur a gratia, ut quantum in opere insit gratiæ, tanto minor sit ratio satisfactionis. Quocirca perfecta satisfactio est illa, cuius ualor & pretium totum emanat a debitore, nulla uel præueniente uel interueniente gratia creditoris. Taliter ut sit redditio æquiualentis, aliàs indebiti uoluntaria. Nam qui ob crimen suspenditur, potius satis patitur. Sicuti & existẽs in purgatorio. Ex quo fit consequens, quod pro peccatis in Deum commissis solus Christus, eo quod Deus erat, potuit perfecte satisfacere, nulla tamen creatura, nisi imperfecte: id est, suppo

Cõcl°. 1. Duplex satisfactio. Diffinitio satisf.

sita gratia ipsius. Cuius duplex est causa: ut. 3. p. q. 1. author est S. Tho. Prima, quia tota natura infecta erat peccato, & inimica Deo. Altera, quia peccatum ea ratione, qua est contra Deum, habet infinitatem quãdam, quã creatura, etiam si esset in meris naturalibus, neutiq; posset compensare & adæquare. Rationes sunt Anselmi. 1. et. 2. lib. Cur Deus homo: quibus addit & tertiam, quod creatura quicquid habet, Deo iam debet. Scio Durandum. 3. senten. d. 20. & in. 4. d. 15. neq; Christo ipsi concedere, ut possit inquantum homo, satisfacere ad æqualitatem iustitiæ, nisi præsupposita creata gratia, qua secundum humanitatem esset quoq; gratus. Propterea, inquit, quòd Christus etiam ipse quicquid secundum humanitatem habebat, receperat a Deo: & ideo nihil de se poterat præstare aut facere in satisfactionẽ, quod non esset aliàs debitum. Et præterea, quia illud Aristotelis. 8. Ethicorũ, qđ dijs & parentibus non possumus reddere æquale, in Christo quoq; ipso, quatenus homine, uerum habet. Huiusmodi tamen argumenta hominis sunt haud satis æstimate cogitantis, actiones esse, non naturæ, sed suppositorum. Quantumcunq; enim existimetur Christus, inquantum homo, non tamen erat natura humana, quæ in illo operabatur, sed filius Dei per illam. Filius autem Dei, erat æqualis patri. Quam ob causam, etsi nullam gratiam recepisset creatam in humanitate, ratione unionis, de se homo ille erat infinite gratus, & amicus Dei, & quicquid fecisset erat de se sufficiẽs satisfactio ad æqualitatem iustitiæ. Quinimo quodcunq; opus eius erat infiniti pretij apud Deum. Quare nihil euincit ratio Scoti in 4. sen. d. 15. q. 1. arguẽtis, quod si peccatum haberet aliquã infinitatem, sequeretur, ut neq; Christus per passionem potuisset abunde satisfacere: quippe cum opus illud, quia res erat creata, non esset infinitum. Argumẽtum inquàm non est solidũ. Nam licet opus illud res esset creata, nihilominus quia erat opus diuini suppositi, infinite erat gratum Deo, contraria ratione, quàm peccatum est infinitum. Respondetur ergo Durando, quod quicquid Deus homo Christus a Deo receperat, debebatur illi ratione unionis, & unio ipsa opus erat, tam filij, quàm patris, Ob idq; tãquàm de suo, & (ut ita dicamus)

Solus Christus perfecte satisfe.

Ansel.

Duran.

Rñsio.

Scotus.

Rñdet Duran.

aliàs indebito poterat satisfacere. Nam quàmuis inter homines filius non posset reddere æquale patri, secus res habet de filio Dei, qui eo quòd æqualis est patri, potuit illi tantum honoris restituere, factus obediens usque ad mortem crucis, quãtum Adam detraxerat. Qua ratione Paul. confert obedientiam Christi cum inobedientia Adam. ¶ Sed & contra secũdum membrum distinctionis, intentat item argumenta eodem loco Scot. quibus suadet, puram creaturam posse satisfacere de potẽtia Dei absoluta. Nam ut. 13. de Trini. author est Aug. fuit quidem, inquit, & alius modus nostræ redemptionis deo possibilis, quàm per incarnationem. Modus autem, ait, fuisset, si Deus per attritionem & meritũ de congruo contulisset hominibus gratiam, ut per se quisque satisfaceret. Sed tamen de potentia ordinata non potuit nisi per Christũ. At uero ut cum honore loquar, debito grauissimo doctori, cuius multi in hac parte sententiam sequuntur, non possum nõ iniquo animo audire, quod isti sentiant indigne de aduentu redemptoris nostri. Videntur enim cogitare altissimum illud, & inæstimabile mysteriũ, quòd Deus factus est homo, quasi gratis & sine causa usquequaque necessaria, fuisse hominibus impensum. Nam dicunt, tantũdem potuisse facere hominem per gratiam Dei, sed solum id esse factum propter legem ordinatam. Redarguerem ego, si mihi liceret, sic istos. Quid nã fuit in causa, ut admiranda illa lege ordinaret Deus unigenitum dare mundo, si iustitiam alia uia seruare potuisset. Nõ ergo satis est ad legem ordinatam recurrere, nisi rationes & cõmoditates illius legis adferamus, ut facit eodem loco Aug. Ausim ego dicere (nam euangelicam me certus sum ueritatem efferre) quòd fieri non potuit, neque de potentia Dei absoluta, ut perfecta esset satisfactio, nisi Deus esset ille homo qui satisfaceret. Nam si Deus mere gratis amicã sibi faceret creaturam, quæ posset satisfacere, iam satisfactio non esset perfecta, quia præsupponeret gratiam, ut si debitor a creditore susciperet, unde sibi persolueret. Hoc ex ipsa liquet natura satisfactionis. Cum ergo inter creaturam infinitum a Deo distantem, & Deum ipsum nulla sit ratio iustitiæ, nisi præsupposita eius gratuita acceptatione, nulla potuisset perfecte satisfacere.

Marginalia: Scotus. — Contra Scotũ. — Cõnclũ Doctoris.

tisfacere. Filius autem Dei æqualis patri de se id potuit perfe cte. Et hoc est immensum, & ineffabile beneficium, quod illi debemus. Porro quòd cum genus humanum non posset ad æqualitatem iustitiæ rependere Deo quod debebat, indutus ipse naturam nostram, taliter satisfecit, ut eius nos facti mem bra, suam possemus coram Deo offerre iustitiam, quasi nostram, secūdum illos impares gradus, quibus pro cuiusq; assensione & cooperatione singulis nostrum participatur. Vnde Aug. falso citatur asseruisse, alia potuisse uia redemptionē uel satisfactionem perfectā fieri, iustitiamue in integrum reformari: sed id dūtaxat astruit, quod non defuit Deo modus alius, quo liberaret homines a miseria. Potuit enim gratis cō donare peccata sine aliqua satisfactiōe, quia nulli quicquàm præterq; sibi debitum erat, cōtra quem unum peccatū fuerat, neq; Christus satisfecit dæmoni, ut aliqui blasphemāt, sed pa tri. Et ideo si ipse uoluisset omnino gratis nobis ignoscere, liberi essemus. Vt autē misericordia sua nihil suæ iustitiæ detraheret, gratis misit filium, qui summa iustitia satisfaceret, ut qui gratis eius subinde efficerētur membra, suā ipsius participarent iustitiā. Et hæc, præter alias commoditates, fuit diuinæ incarnationis potissima causa. ¶ Ad explicationem ergo præcedentis cōclusionis, unde tātisper digressi sumus adhibetur secunda. Nemo potest pro pœna peccati satisfacere, anteq; remittat̄ culpa, quin uero uniuersalius recte dixerim, neminem qui in peccato uersatur, pro aliqua pœna peccati, q̄uis remissi, posse satisfacere corā Deo. Primum membrū. Cōmunis est consensus S. omnium Patrum, ac theologorū. Quod dūtaxat adnotamus ad eluendā calumniam, qua nos ubiq; uexant Lutherani: hoc nobis falsum crimen intendentes, quòd doceamus, per nostra nos opera satisfacere Deo de nostris delictis. Nemo enim unq; hoc cogitauit de operibus naturalibus peccatoris. Quinimo ut negamus opera quomodolibet antecedentia gratiā, eiusdem esse gratię merita, ita palam diffitemur, esse satisfactoria peccati nondū remissi. Neq; Scot. ipse fautor meriti congrui, attribuit illi, ut sit hoc modo satisfactorium. Est tamen dissidium de peccato remisso, utrum recidiuus possit agens in peccato satisfacere pro

Beneficiū redē.

Aug.

Cā aduētus Christi.

2. Cōclō principalis.

Lutheranorū calūnia.

Dissidiū theologorum.

Scotus. residua pœna: Scoto affirmante, propterea, quòd pœna est temporalis, sed S. Thoma negāte, propterea, quòd inter nos & Deum nulla est æqualitas iustitiæ, nisi solum ex acceptatione diuina: peccator uero nullum facit opus dignum diuina acceptatione. Opus enim genere suo maxime omnium satisfactorium, est eleemosyna: iuxta uerbum Redēptoris. Date eleemosynam: & ecce omnia munda sunt uobis, & dein-
1. Cor. 13 de maceratio corporis: & tamen ait Paul. Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil sum: scilicet, apud Deum: ergo neq; talia opera sunt satisfactoria. Tametsi posset peccator satisfacere præcepto sacerdotis iniungentis pœnitentiam. His autem non est nunc locus. ¶ Tertia conclusio est. Potest homo existens in gratia satisfacere de condigno, pro pœnis tēporarijs, quæ residuę sunt ex peccato remisso. De cōdigno inquàm, non perfecte, sicut Christus. Propter duo. Primum, quia nostra satisfactio præsupponit gratiā Christi, cuius corpori gratis insiti sumus. Et præterea quia non reddimus æquale sicut ipse, sed tātummodo secundum proportionem, qualis potest esse iustitia inter nos & Deum. Nempe, quia sicut se habet quod ipse nobis largitur ad suam potentiā, & bonitatem, ita & quod nos reddimus ad nostrā possibilitatē. Nihilominus factis iā membris, satisfactio nostra est condigna, tāquàm opera filiorum Dei. Cui consonat uox illa, Fructus dignos pœnitētiæ. Prima statim rō ex ijs, quæ supra explanata sunt, emergit. Tria enim referebamus impedimenta, cur non posset homo satisfacere Deo: scilicet, quia inimicus est illius: quia peccatū infinitatē habet quandam, & quia quicquid habet, aliàs obligatum est Deo: homines autem in Christo ꝑ gratiā renati, amici, quin etiā filij Dei nominamur, & sumus. Atq; ideo eo pacto quo peccatum est infinitum, obsequium etiā Deo possumus præstare infinitum. Est enim peccatum non aliter infinitū, quàm quod est auersio ab infinito bono, qua rōne, illa auersio imaginem quandam induit infinitæ distantiæ: eandem ergo infinitatis figuram gerit etiam conuersio: & ideo opus ex gratia Dei procedens, recompensa esse potest iniuriæ, cuius culpa

Tertia cōclusio principalis.

Prima ratio.

Peccatū infinitū.

gratis condonata est. Atqui licet bona omnia, imo nosipsos a Deo recepimus, non tamen Deus (cuius iugum suaue est, & onus leue) ad omne illud nos obligauit, quod totis intentis uiribus possumus, ut cap. 2. dicebamus: & ideo multos possumus facere fructus dignos pœnitentię, qui non erāt innocentibus necessarij, ut quotquot fuerunt diuinorum interpretes in illo uerbo euangelico agnouerunt. Neq; hanc solum, sed aliam adiungit S. Th. rationem in. 4. sen. d. 15. Nempe quod etiam per illa opera, quæ aliàs debita sunt, satisfacere possumus, eo quòd per liberum arbitrium sumus domini actionum nostrarum: qua de re liberam ipsam nostram obedientiam acceptat Deus in satisfactionem, tanquàm opus iustitiæ. Quinimo & hoc pacto non solum pro peccato, satisfacimus, sed pro nostra fragilitate, pro beneficijs etiā acceptis obsequia prętamus Deo, sane quæ de manu sua accepimus, sibi reddentes. Secunda ratio est. Pœnitentia conditione sua & ingenio hoc habet, quod sit opus per qđ præueniēte Deo, peccata remittantur, ac prorsus tollantur, quo ad culpam & pœnam. Hæc enim est legitima significatio illius Christi uocis, quod thema fuit suæ prædicationis. Pœnitentiā agite, appropinquabit regnum cælorum. Quasi dicat, hac patet aditus ad regnum cælorum. Cui simile est. A tempore Ioānis baptistæ, regnum cælorum uim patitur, & uiolenti rapiunt illud. Est nanq; pulcherrima pœnitentiæ periphrasis. Cum. n. peccator hostis Dei sit, per illam subito mutata mente, uidetur expugnare regnum, quod specimen nonnullum eorum gerit, qui ui intra mœnia recipiunt sese: ergo qui legitime expleuerit numeros omnes pœnitentiæ, liber erit prorsus, tam a pœna peccati, quàm a culpa. Hæc autem ad iustum pœnitētia fit celerius, morosiusue, secundum mensuram doloris & mortificationis, ut ex Hieronymo paulo ante referebamus. Ergo sicut quis posset in puncto iustificationis operante misericordia Dei, talem adferre sensum peccatorum, ardorēq; pœnitentiæ, ut penitus pœna omnis cum culpa deleretur, ut creditur de Magdalena, ita quòd tunc quis segnius atq; remissius fecit, potest postea multiplicatis operibus pœnitentiæ compensare, atq; adeo satisfacere pro pœna peccati re-

S.Tho.

Secūda ratio.

Matth. xi.

Tertia ratio. missi. ¶ Tertia denique ratio est. Quòd si supplicia, quorū homo debitor est, in purgatorio soluuntur per satis passionem, multo æquius possunt hic solui per liberā satisfactionem, nō solum quia libertas plurimū adfert momenti operibus in cōspectu Dei, uerū quòd opera hic fiant per speciale auxiliū suæ misericordiæ, in purgatorio aūt solum infliguntur rigore iustitiæ. Neque illi libere offerunt, & assumunt illa supplicia, sed tantū patienter tolerant. Atque hucusque ēt extendit sensus Pauli, admonētis, quòd si nosipsos iudicaremus, non utique a Deo

Chryso. iudicaremur. Vnde Chryso. Homil. 41. de pœniten. Pœnitētiā, inquit, exhibuit beatus Dauid, ita dicens. Lauabo per singulas noctes lectum meū, & lachrymæ meæ stratum meum rigabūt. Et olim patratū peccatū post tot generationes, quasi

Magdalena. nuper accidisset, lugebat. Hęc Chryso. Imo uero Magdalena post plenissimā indulgentiā, tanque exemplar (ut de illa canit ecclęsia) pœnitentiæ. xxx. annis non cessauit lamētari remis-

Lucę. xi. sa crimina. Et Christus Lucæ. xi. nō dixisset, Date eleemosynā, & ecce omnia munda sunt uobis, si remissa culpa cōsum-

Orige. mata esset mūdatio.] Vnde Orig. Homil. 8. super Leui. in lotionibus illis ueteris legis, & purgationibus septies repetitis, expiationes nostras meditatur: quas nobis est iterare necessariū, propter cicatricē quæ remanet uulneris. Atqui uerbum

Daniel. Danielis, Peccata tua eleemosynis redime, quid significat, si nō satisfactionē pro peccatis significat? Nā redimere, quidnā aliud, quam satisfactio ē? Nō ergo repugnat, quod de redēptore

Esa. 52. Christo dixerat alius Propheta. Absque argēto redimemini: id est, gratis, quippe cū absque nostris meritis, & passus est pro nobis, & culpas nobis condonat. Sed quia p gratiam suā ualorē recipiūt opera subsequentia nostra, quibus eadem possimus

Ambro. expiare delicta, redimere ea nos quoque cēsemur. Vnde Ambro. in sermone quodā dominicali de Abraham, qui refertur de pœni. d. 1. Habemus inquit, plura subsidia, quibus peccata nostra redimimus. Peccatis tuis uenūdatus es, redime te operibus tuis. Quare ecclesia meritissimo canit i quadragesima, aduenisse nobis dies pœnitentiæ ad redimēda peccata, & saluandas animas. Si. n. unico actu fidei efficaciter applicaretur semper nobis satisfactionem Christi, quo ad culpam, & oēm

pœnam, nunquàm per Ioelem nos admonuisset, ut conuerteremur ad ipsum in toto corde, ieiunio & fletu, & plãctu scindẽtes corda nostra. Ecce rationes & elogia quibus innixa S. Triden. Syno. confessione supra citata, sanctissimã habet satisfactionem p ieiunia, eleemosynas, orationes, & alia pia spiritualis uitæ exercitia, nõ quidẽ pro pœna æterna, quæ uel sacramento, uel sacramenti uoto una cũ culpa remittit. sed pro pœna tẽporali, quæ, ut sacræ literæ docent, non tota semp ut in baptismo remittit postea pœnitentibus. De qua pœnitentia scriptũ est. Memor esto unde excideris, & age pœnitentiã. Et iterũ. Quæ secundũ Deum tristitia est, pœnitentiã in salutem stabilem operat. Et iterũ. Facite fructus dignos pœnitẽtia. Pœnas aũt post hoc seculũ residuas explicat can. 30. exoluendas esse in futuro seculo in purgatorio. Quem quidẽ purgatoriũ locum, qui in isto seculo non crediderint, securos facere possumus, neq se illum uisuros in futuro: si modo alius est locus, quàm ille dãnatorũ. Caueant ergo Lutherani, negantes, p fructus pœnitentiæ satisfacere nos pro peccatis, lachrymas pœnitentium cohibeant, & macerationem, afflictionemq carnis restinguant quæ in hunc usum semper fuit Patribus sanctissima. Atq adeo in eorum numero habeantur, quos Cypria. sermone. 5. de lapsis hac subnotauit censura. Agite pœnitentiam plenam dolentis, ac lamentantis animi: probate mœstitiam: nec uos quorundam moueat, aut error improuidus, aut stupor uanus, qui cum teneantur in tam grandi crimine, percussi sunt animi cæcitate, ut nec intelligant delicta, nec plangant. Et infra. Pacem sibi ultro nemine dante, sumpserunt, falsa pollicitatione seducti, & apostatis, ac perfidis iuncti, errorem pro ueritate sumpserunt.

Ioel. | Synod. Triden. | Apoc. 2. | Lutherani. | Cypria.

¶ Quarta deniq ratio est, qua orthodoxorum explicemus mentem, ne amplius nos Lutherani, uelut Pelagianos infament. Aiunt enim, ut supra capit. 2. referebamus, quòd tantum primæ gratiæ meritum tribuimus Christo, cæterum post illam nostris operibus adscribimus satisfactionem pro peccatis. Quæ utiq notoria calumnia est. Non enim prima tantum gratia, sed quodcunq eius augmentum meritis Christi nititur, sine quibus nullius essent ope-

Quarta ratio.

ra nostra æstimationis. Quare nihil detrahimus gloriæ Christi, sed eum potius glorificamus, qui dat nobis cogitare, uelle, & perficere. Sed hoc tantum dicimus, quod satisfactio Christi, quæ teste Ioanne sufficiens fuit pro peccatis totius mundi, applicatur nobis per opera nostra, nihil nunc loquimur de baptismo. Atq; id quidem iure optimo, diuino, & naturali, sane ut qui plus iusto nobis indulsimus, nostram uolũtatem contra diuinam, instinctu dæmonis, explentes, ipsi per gratiam Christi diuinæ iustitiæ satisfaciamus. Sicuti mẽbra eius, & palmites in uite compacti, unde uirtus ad nostra permanat opera. Quapropter hoc etiã habẽt dignitatis, & quodammodo iustitiæ opera nostra, supra quàm haberent, si ex gratia procederent, quæ alia nobis uia a Deo collata esset, q̃ per meritum Christi, quòd modo iustitia ipsius communicatur nobis, ut possimus illam adferre in iudicium Dei, ueluti nostram. ¶ Quarta deniq; conclusio sit. Non tãtum pro suis quisq; culpis, sed pro alienis satisfacere põt, dum sint modo ambo amici Dei. Satisfacere inquàm de condigno, licet hoc modo nemo præter Christum possit pro alio mereri gratiã. Discrimen est, quod satisfactio solum dicit solutionem: possunt autem ciues regni cælorum his quoq; mutuis officijs alter alterius onera portare, ut unus Deo soluat, quod alter debet, ac multo melius, quàm in ciuili republica, ubi tẽpore necessitatis omnia debẽt esse communia. Neq; est, cur Deus nõ acceptet opera, quæ ex gratia procedunt, si pro amico offeruntur, ac si pro se ille obtulisset. Extra charitatem autem nemo dignus est, ut uel sua opera, uel quæ pro ipso alius offert, sint Deo accepta. Mereri autem unum alteri gratiam nõ est soluere, sed deprecari a Deo bonum motum alterius, quod non cadit sub merito de condigno, ut capite proximo dicturi sumus. In hunc satisfactionis sensum complures Patrum exponunt illud Pauli ad Collossen. Gaudeo in passionibus pro uobis, & adimpleo ea quæ desunt passionum Christi in carne mea pro corpore eius, quod est ecclesia. Non quòd passioni Christi in se aliquid defuisset, quæ porro sufficientissima fuit pro peccatis totius mundi, sed quia labores omnes & officia, quæ membra Christi faciunt, ipsius capitis reputant̃,

Nota.

Collos.1.

& in bonum ecclesiæ redundant. Vnde relaxationes, & indulgentiæ peccatorum, quorum fuerit culpa remissa dimanarunt in ecclesia. Hoc autem est quod nobis isti hoc loco per deridiculum exprobrant: scilicet, quòd opera aliqua committamur supexcrescentis in satisfactionẽ pro alio. Acsi non omnia ac multo plura quàm exhibere possumus pro nostris proprijs sceleribus, non sint necessaria. Respõdemus autem. Primum, quod cum pœna, remissa culpa, temporalis sit, põt quis p gratiam Christi ad iustum satisfacere per gratiam & auxilium Christi, maxime uiri sanctitate prouecti, ita ut possint etiam sua opa communicare cum alijs. Et præterea potest quis etiam si ipse pro se debeat, amici tamẽ debitũ prius, quàm proprium soluere. Sed horum disputatio alium locũ postulat minus angustum. ¶ Argumentum profecto nullũ contra extruere possunt, quod iam non sit solutum. Specimẽ enim omnium hoc est. Vim uirtutemq; impẽdio, maiorem tribuit Paul. gratiæ Christi in bonum, quàm peccato Adæ, in malum. Non enim inquit, sicut delictum, ita & donum: si enim unius delicto multi mortui sunt, multo magis gratia Dei, & donum per gratiã unius hominis Iesu Christi in plures abundauit. Et subdit. Nam iudicium ex uno in condẽnationem: gratia autem ex multis delictis in iustificationẽ. Ex hoc loco arguitur. Ex uno peccato Adæ omnes incurrimus, non solum in culpam, sed in pœnas quantas genus patitur humanum: ergo quicunq; per gratiam Christi liberatᷣ a culpa, plenissime etiam liberatᷣ a debito omnis pœnæ. Eo præsertim, quòd sublata causa, aufertur effectus, & culpa est causa pœnæ. Hoc tamen solum huic argumentationi concedimus, quod hactenus concessimus sæpe: scilicet, quòd passio Christi in uniuersum potest omnia remittere: plenissimũ autem eundem effectum, ut simul cum culpa remittatur omnis pœna, non habet nisi in duobus casibus. Primus, quãdo per se operatur, & nõ per opera nostri liberi arbitrij. Quod contingit in baptismo, ubi neq; in adultis requiritᷣ dispositio, nisi eatenus ut tollatur obex: id est, complacentia peccati, modo superiori libro explicato. Quare cũ iustificatio fiat p instrumentum passionis, totaliter illic morimur peccato, & nasci-

Relaxationes.

Argumenta aduersariorum.

Duo casus plenę remissionis.

scimur in nouam uitam. In sacramento autem, & in uirtute pœnitentiæ ita Deus remittit peccatum per gratiam suma, ut utatur operibus nostris, ob idq; remissio culpæ attribuitur gratiæ operanti: id est, mutanti mentem nostram: satisfactio uero gratiæ cooperanti. Et ideo fit iuxta mensuram gratiæ suæ, & nostræ cooperationis. Quamobrem secundus casus, quòd una cum culpa condonatur omnis pœna, est, quando nos cooperamur summo charitatis actu: ut in martyrio, uel quando speciali priuilegio ita Deus aliquem mouet, ut Magdalenam, Cæterum in scelerosis, perditisq; hominibus priuilegium reputaretur amplissimum, quòd tantus esset unus actus interior pœnitentiæ, quo omnia expiarentur peccata, delerenturq; simul, quo ad culpam, & pœnam.

Remi. gratiæ operan. satis. gratiæ coope.

De operum merito, quæ ex gratia procedunt. cap. 7.

Subsequitur, ut de tertio nostrorum operum priuilegio dicamus, quæ ex fonte illo dimanãt aquę uiuæ salientis in uitam æternam, discutiẽtes, sint ne in conspectu Dei condigna merita, cũ augmẽti gratiæ, tum demũ suæ illius inæstimabilis fœlicitatis. Illius ergo diuisionis, quã lib. 2. cap. 4. fecimus meriti, in meritum congrui & condigni, primum membrũ seponamus. Etenim uel nullũ in nostris opibus inest meritum cõgrui ante iustificationem, quod illic satis arbitror commonstrasse, uel nihil nunc ad præsentem attinet disputationem, ubi loquimur de operibus quæ per gratiam fiunt, & appulsum Dei, quæ merita sunt condigna. Sed hanc nihilo secius Lutherani perhorrescunt uocem: hanc nobis ubiq; dant improperio, & tanq; Pelagianam notam inurunt. Duæ enim cum sint fundamentales meriti conditiones: utputa bonitas & libertas, duas extruxit Luthe. machinas ad labefactandam rationem meriti. Prima fuit, quòd concupiscentia sit, etiam in renatis, ineuitabile peccatum. Inde enim deduxit, omnia opera nostra, non modo quæ gratiam antecedunt, sed quæ iustus facit, peccata esse: & ideo neq; esse talia, ut per ipsa satisfaciamus legi: unde fit illico consequentissimum, neq; esse merita. Nam meritum uitæ æternæ esse non põt apud Deũ, nisi impletio legis: iuxta illud Christi. Si uis ad uitam ingredi serua mãdata. Et illud

Luther ani errores duo.

Pauli

Pauli, Nõ auditores tantũ, sed factores legis iustificabunť. Alter celeberrimus Lutheri error fuit, negare liberũ arbitriũ nostrũ apud Deũ, quo sublato, nulla põt consistere ratio meriti: ut iã modo liquidũ faciemus. Igiť eo usq; aiunt, nos sola fide iustificari, qđ non solũ ad primã gratiam nulla nostra opa cõcurrũt, ut dispositiões, uerũ neq; uirtute illorũ postea augeať, nec mereamur gloriã, sed tãtũ propter ꝓmissionẽ, quæ sola fide apprehẽdiť, & pctõres reconciliať, & recõciliatis gratiæ obueniũt incrementa, & tãdem exhibetur gloria. Neq; uero meritũ tantũ adimunt opibus iusti, uerũ, ut patet in de liber. christ. & locis alijs quæ cap. 5. commemorauimus, omnia existimãt futilia, & uana, præter unam fidem, qua misericordia Dei apprehẽditur. Idq; postea in suo didagmate obtensæ reformatiõis identidẽ repetunt, nullã mercedem deberi operibus iustis, saltẽ uitam æternã, sed illam tãtũ deberi ꝓmissioni Dei, & ea precisa rõne nobis a Deo collatũ iri, ut sit ipse fidelis. Atq; ea ẽ sua confessio Aug. In cuius apologia Melãthõ, ubi de opibus rñdet ad argumenta aduersariorũ, postq; dixerat, q; iustificatio iusti nihil aliud est q; reputari iustũ, neq; reputari iustũ propter iustitiã operis, sed p misericordiã Dei fide apprehẽsam. Ex his, inquit, omnibus etiã intelligi potest, quid dicendum sit de merito cõdigni, de quo fingunt aduersarij iustos esse coram Deo, propter dilectionem ac legis impletionem: ubi nullã faciũt mentionẽ iustitiæ fidei. Hæc nullo modo ferẽda sunt, &c. Hæc phrenesis est quæ istos hoc loco dementauit: scilicet, quòd asserẽtes meritũ condigni, negemus iustitiã fidei, & auxiliũ Dei post primã iustificationẽ. Quæ manifestissima est calũnia. Subdit itaq; iterũ atq; iterũ, qđ nostra opa, ẽt in gratia, nõ sunt talia, ut pro eis debeať uita æterna, licet sint meritoria aliorũ prẽmiorũ: de quibus paulo post dicemus. ¶ Hæc primũ materia explicãda ẽ, atq; dubia examinãda, de quibus inter catholicos nonnihil differt: mox aduersus Lutheranos asserẽda. Quo ergo a nomine ipso & diffõne meriti exordiamur, unde sũt potissimũ argumẽta petẽda. Appellatio meriti tritissima ẽ inter latinos: ut bene aut male mereri de republica, uel de amico, qđ nomen a mercede deduciť. Est.n. meritũ opus cui debeť merces, & mereri

Dida-gma.

Confes-sio aug. Melan.

Meriti nomẽ & dif.

quempiam est ius sibi facere ad præmium. Qua de causa lib. 2. meritum de congruo reiectum dedimus a ratione meriti. Quoniam meritum, opus est iustitiæ. Ad rationem aūt meriti, naturamq; inuestigandam, ex illo aptissime initium sumitur, quod. 1. 2. q. 21. ar. 3. adnotauit S. Tho. Tria. n. in actione humana est consyderare. Primum libertatem, unde habet quod sit uituperabilis, aut laudabilis. Nā propterea quæ insunt nobis a natura, neq; laudamur, neq; uituperamur. Mox ordinē ad finem, unde rōnem habet uirtutis aut uitij. Deinde respectum ad alium: puta ad rempublicam, uel singularē personam, cui uel utilitatem adfert, uel nocumentum: & inde rationem habet meriti, aut demeriti. Ita enim scholastici appellāt, malum meritum. Atq; tres istos ordines ita intelligas, ut quemadmodum secundus, primum, ita tertius, utrunq; in sua ratione comprehendat. Exhinc ergo patescūt tres conditiones meriti. Prima, quòd sit opus liberum. Nam absq; libertate quemadmodum opus, nec uirtus est, nec uitium, ita neq; est, uel meritum, uel demeritū. Quapropter theologi, qui cogitant, in naturalibus meritum esse posse, naturam eius ignorant. Nisi forsan per metaphoram naturalis congruentia, dignitas appelletur: uti ille dixit. Species primum, digna est imperio. Si enim princeps beneficium aliquod conferret homini, uel propter pulchritudnē, uel propter genus, uel ob quāuis aliam naturę dotem, nulla illic ratio inesset, uel meriti, uel præmij. Neq; si Deus (quod de potētia eius absoluta fingūt) propter bonum naturale cuipiam cōferret gloriam, subesset illic ratio, aut meriti, aut præmij. Vt si filios Zebedæi, ob id tantum quòd sibi erant cōsobrini, eo esset Christus in regno cælorum dignatus honore, ut sibi assiderent a dextris, & a sinistris. Cuius ratio naturalis est, quòd mereri est aliquid dare alteri, & cōferre in bonum ipsius: nemo uero dat, nisi illud cuius est dominus: sumus autem domini nostrarum actionū per liberum arbitrium: ergo ubi nulla est libertas, nullum est meritum. Iam uero meritum idem est quod obsequium: obsequitur autem nemo nisi per liberum arbitriū. Quocirca sol nō proprie nobis obtemperat, quia agitur, atq; adeo nihil de nobis meretur, neq; arbores, neq; irrationabilia animalia

1. 2. q. 21. ar. 3.

Tria in actione humana

Tres cōditiones

Libertas de rōne meri.

Rō naturalis.

Confirmatio.

Tametsi mortalium humanitas sit, illis quãdoq; indulgere. Veluti de Atheniensibus in historijs est, quod mulos, qui cũ exædificaretur Hecatompedon egregie laborauerant, uinculis solutos, libere pastum ire dimiserũt. Quinimo neq; ius proprie aut dominium habent uitæ. Cuius contrarium ineptissime profecto nonnulli doctores cogitarunt. Licet hẽant appetitum uiuendi, & ab eadem natura sortita sint instinctũ tuendi uitam. Vbi enim non est libertas, non est ius, sed totum irrationalium ius est possessorum hominum, & illis irrogat iniuriam, qui immerito pecora occidit, aut lædit. Et eadem ratione, quia uidelicet nullius sunt participes actionis, quæ sit præmio digna, infert. 1. Ethic. Aristo. nec bouem, nec equũ fœlicem, nec aliud animal ullum beatum dici. Nisi etiã per metaphoram: ut equus Alexandri. Hac eadem de causa idem inibi Arist. fœlicitatẽ moralem in nullis collocauit, aut naturalibus, aut fortunæ bonis, sed in operatione libera secũdum uirtutem. In Olympicis enim, inquit, ludis, non formosissimus quisq; aut robustissimus corona donatur, sed qui in certamen descendunt, atq; horum illi qui uincunt. Quo pertinet uerbum Apostoli. Non coronabitur, nisi qui legitime certauerit. Et. 1. ad Cor. 9. Si uolẽs ago, mercedem habeo. Sed lib. 1. in tract. de lib. arbi. satis superq; demonstratum est, nullã esse rationẽ, aut peccati, aut meriti, nisi ubi sit libertas. Ita. n. ait contra Fortunatum Aug. dico peccatum non esse, nisi uoluntate peccetur: & hinc esse præmium, quia propria uoluntate recta facimus. Et ad Marcionẽ. Tertul. lib. 2. Nec boni, inquit, nec mali merces iure pensaretur ei, qui aut bonus, aut malus necessitate fuisset inuentus, & non uoluntate. At uero arguat quis, opa esse nonnulla in quibus non est usquequaq; libertas, quæ nihilo secius sunt meritoria. Patet de operibus apostolorum, & sacratissimæ uirginis, qui cum essent in gratia confirmati nullum poterant præceptum, uel transgredi, uel prætermittere: & tamen obseruantia ipsa pręceptorũ erat illis meritum. Absurdum enim esset dicere, quòd per obediẽtiam mandatorũ non proficerẽt corã Deo. Quin uero Christus ipse meruit nobis, atq; adeo maxime per passionem, quã tamen non potuit nõ subire, siue quòd præceptum erat sibi,

Athenienses.

Dñium.

Equus Alexandri.

Fœlicitas.

1. Cor. 9.

Argumẽtũ de confirmatis.

Christus meruit.

siue quòd talis erat uoluntas patris, cui, licet nullum esset adiunctum praeceptum, non poterat contraire. Et inde maxime augetur dubium, quòd dilectio Dei naturaliter cōsequebatur in Christo uisionem beatificam: & tamen uidetur fuisse meritoria, quandoquidem simul erat, & beatus, & uiator.

Triplex carētia libertatis.

Hoc argumentum hac diluitur distinctione. Carentia libertatis triplex est: alia ex natura subiecti: quae potius est negatio, quàm priuatio: qualis est in brutis. Et opera huiusmodi libertatis expertia, nec bona sunt, nec mala, atque adeo nec laude nec uituperio digna, ut dictum est. Secunda est carentia libertatis ad malum, & haec duplex. Quaedam quodammodo naturalis, qualis est in beatis. Ex illo enim ineffabili intuitu Dei naturali consequentia sequitur amor, qui natura sua excludit omnem possibilitatem praue agendi. Quàmuis in hoc sensu libere amant, quòd ex uoluntate Deo infixa id faciunt.

Beatorū libertas.

Et ideo opera illorum, licet optima sint, & non solum laude, sed honore etiam digna, nullo tamen pacto sunt merita accumulandae mercedis, sed potius ipsa habēt rationem praemij. Atque idem parique ratione cēsendum est de dilectione beatifica Christi. Haud enim unquàm crediderim, illam fuisse meritoriam in Christo, sed merebatur per dilectionem, quam habebat tanquàm uiator, & per opera exinde procedentia.

Volūtas beatifica Christi.

Tertia ergo carentia libertatis est, nō omnimoda, sed ad malum, & ea quidem non ex natura, sed ex priuilegio: quia in sensu composito non stat, aliquid esse praeceptum, & non fieri: & haec non tollit rationem meriti. Apostoli enim, licet nō poterant transgredi mortaliter, poterant nihilominus difficultatem & laborem pati in custodia legis: & praeterea quia ex obedientia, iussa faciebant, merebantur. Aliàs ex priuilegio confirmationis hoc illi damnum acciperent, quòd nō essent illis eadem opera meritoria, quae sunt alijs. Et praeterea de alijs multis operibus, ad quae non obligabantur, nullum est dubium, quo minus essent meritoria. Idemque ac multo dignius sentiendum est de operibus Christi: oblatus est enim, quia ipse uoluit, & ideo spontanea illa obedientia, perpessioque acerrimae mortis, immensum fuit apud patrem meritum nostrae salutis, atque ut sibi ipsi daretur nomen, quod

est super omne nomen. ¶ Secunda meriti conditio est, quòd sit opus bonum, id est, opus uirtutis: quod fit, ut meritum, non sit opus iustitiæ comitatiuæ (ut. 2. sen. d 28. Duran. opinatur) sed distributiuæ. Nam etsi nomen meritum, seruitijs primum, ac mercenarijs operibus, quibus debetur stipendium, impositum fuerit: quemadmodum dicitur quis mereri equo, aut calamo, & domum habere meritoriã, tamẽ proprietas inde deducta est ad munera amicitiæ. Veluti dicimur bene mereri de amico, aut male. Quocirca discrimẽ est, quòd in comitatiua iustitia æqualitas præcise pensatur rei ad rem, siue opus ex amicitia procedat, siue ex inimicitia: seu ex uirtute, seu ex uitio. Qui enim operas suas locat, siue ob inimicitiam faciat, siue quacunq; alia turpi intentione, ius acquirit æqualis mercedis, secus autem in merito iustitiæ distributiuæ, quod necesse est ex amicitia illius procedere, de quo bene meremur, atq; adeo opus esse uirtutis. Nisi quòd inter homines qui opera tantum uident extera, existimatur sæpe hypocrisis, ut uirtus. Nam ut. 9. Ethicorum. author est Aristo. amicitia, uel uirtus est, uel cum uirtute coniuncta. Hanc ob causam in distributione præmiorum secundum merita, non attenditur æqualitas rei ad rem; sed proportionalitas, seu proportionum æqualitas præmiorum ad dignitates personarum: iuxta explicationem Aristo. 5. Ethicorum. Vt qualis personæ ad personam, talis sit etiam proportio præmij ad præmium. Quòd si spectetur etiam opus (ut, quia esuriui, & dedistis mihi manducare) id tantum fit, quatenus inde æstimatur dignitas personæ. ¶ Per hęc tertia liquet conditio meriti. Sane quo pacto opus meritorium debeat cedere in bonum publicum, uel particularis amici. Respectu enim boni communis satis est, si sit opus uirtutis: inde enim ciuibus honores publici iure debentur a principe, qui custos est iusti, ut ibidem ait Aristo. Quippe cum iustum ipsum, & iustitia hac ratione in republica custoditur, si bonis præmia, & malis sint constituta supplicia. ¶ Ratio ergo hæc explanati meriti nostris est operibus accommodanda, atq; examinandum, an quæ Deo per gratiam suã exhibemus obsequia, apud suã maiestatem

Secũda conditio meriti.
Duran.
Aristo.
Vtrũ meritum sit

Primũ arg. contra

Secũdũ arg.

Duran.

S.Tho.

Contra Dur.

Meritũ duplex.

ſint merita. Eſt enim quæſtio in duabus dubitationibus po-ſita. Prima. Meritum idem eſt quod ius, ideo dicit æqualita-tem, nihil aũt nos poſſumus Deo præſtare æquale uitæ æter-næ, non ſolum quia ut ait. 8. Ethico. Ariſt. dijs, & parentibus nõ poſſumus reddere æquale (ſane a quibus recepimus eſſe, & uiuere, cui nullum eſt aliud bonum comparabile) uerum propterea quia & Deus a nobis infinitum diſtat, & uita æter na nullis eſt noſtris obſequijs æſtimabilis: ergo nulla eſt iuſti tia, aut meritum noſtrum apud ipſum. Altera eſt dubitatio. Merces & præmium dicit quid debitum: Deus autẽ, qui bo-norum noſtrorum non indiget, nihil poteſt debere nobis, Quis enim prior dedit ei (ut ait Paul.) & retribuetur ei: ergo uita æterna non eſt merces noſtrorum operum. Sunt inter theo-logos (ut Duran. in. 2. ſen. d. 28.) qui negent, opera, quãtum-cunque præcedente gratia, eſſe ſimpliciter et proprie merita de condigno, ſed tantum largo modo dictum meritum. Vbi ui detur taxare S, Thomam. 1. 2. q. 114. qui contrarium apparet ſentire. Ratio Durandi eſt, quòd meritum proprie de condi gno eſt, cui ſimpliciter debetur æquale uirtute operis: nullũ autem opus noſtrum æquale poteſt eſſe uitæ æternæ, neque il-lam largitur nobis Deus ex iuſtitia, ſed ex quadam liberali-tate & ordinatione ſua. Sane qui gratis acceptat noſtra ope-ra. At profecto qui fuerit penitus meditatus, quid nã ſit per gratiam fieri filium Dei, aliud de operibus iuſti habebit iudi cium. Meritum ergo de cõdigno cum ſit opus iuſtitiæ, diſtin guendum eſt, quemadmodum ſupra de ſatiſfactione diceba mus. Aliud eſt enim perfectum, quod nullam prorſus ſuppo nit rationem gratiæ. Et hoc modo ſolus Chriſtus potuit me-reri apud Deum: nam opera ſua erant ueri Dei, quæ idcirco ex natura ſua erant meritoria. Sed aliud eſt meritum, quod li cet non habeat perfectam rationem iuſtitiæ, eſt nihilo minus proprie iuſtum. Et tale eſt opus iuſti apud Deum. Nam iu-ſtum, ut author eſt S. Thom. q. citata, aliud eſt ſimpliciter, in quo eſt ſimpliciter æqualitas: quale eſt in commutationibus, & obſequijs inter ciues: aliud uero, quòd quàmuis nõ ſit ſim pliciter æquale & iuſtum, habet tamen modum iuſtitiæ: ſicu ti dicitur ius paternum & dominatiuum: puta, filij ad patrẽ,

& serui ad dominum. Quæ quidem est uera & propria ratio iustitiæ. Etenim filius probus obsequens patris, licet non tantum reddat, quantum suscepit ab illo, nihilominus uerũ propriumque ius habet, ut alatur & educetur a patre: & ita seruus respectu domini. Qua ratione cum per gratiam homo efficiatur uere & proprie filius Dei adoptiuus, quàmuis illã adoptionem gratuito susceperit, nihilosecius obsequia sua sũt ꝓprie & uere merita iustitiæ apud patrem. Vnde Paul. Accepistis, inquit, spiritum adoptiõis filiorum, in quo clamamus, abba pater: ipse enim spiritus testimoniũ reddit spiritui nostro, quòd simus filij Dei, & hæredes: hæredes autem Dei, cohæredes autem Christi: si tamen compatimur, ut conglorificemur. In his equidem uerbis perspicere oculatissimus quisque potest, quòd quàmuis iustitia nostra fundetur in gratia, & ideo non habeat tam perfectam iustitiæ rationem, nihilominus gratia supposita, est proprie iustitia. Non quidem simpliciter æqualitatis ex parte obiecti. Nam hoc est quod subdit. Non sunt condignæ passiones huius temporis, sed tamen est uere & proprie ius filiorum. Ait enim. Si filij, ergo hæredes, quod sufficit ad propriam rationem meriti. Nõ ergo negamus, quin illud meritum fundetur in diuina ordinatione: quia nihil possumus mereri apud ipsum, nisi secundum uirtutem, quam ipse nobis confert: nihilominus per illã nos iuste meremur. Quemadmodum enim res naturales ꝑ uirtutes ab ipso receptas operantur, nihilosecius sunt causæ suorum effectuum, ita in supernaturalibus, licet nos per eius uirtutẽ promoueamur, agimus nihilo minus uere iusta merita in conspectu suo. Sed ais, licet sint merita, non tamen uitæ æternæ. Quinimo. Hoc enim designat. Ergo hæredes. Et, Si quis diligit me, diligetur a patre meo, & ego diligam eũ, & manifestabo ei meipsum: quoniam hæc est uita æterna, ut uideamus ipsum. Adnotat illic autem S. Tho. ar.3. & omnes theologi in. 1.d.17.et.2. d.28. quòd opus iusti dupliciter põt consyderari. Vno modo quatenus procedit ex libero arbitrio, & alio modo quatenus procedit ex gratia spiritussancti. Primo modo non est in illo condignitas ad uitã æternam ꝓpter maximam excellẽtiam, sed nihilo minus est congruitas

Rom. 8

Fundatũ in diuina ordinatione.

Duplex consyderatio operis iusti.

proportionis, quòd homini operanti secundum suam uirtutem, Deus recompenset secundum excellentiam suę uirtutis. Nota quòd hanc congruitatem non ponit S. Tho. in operibus ante gratiam, sed in operibus iusti. Si uero consyderētur opera, quatenus ex gratia spiritussancti procedunt, sic sunt inquit, meritoria uitæ æternæ de condigno. Nam ualor meriti attenditur secundum uirtutem spiritussancti: iuxta illud, Fiet in eo fons aquæ salientis in uitam æternam. Et præterea quia pretium operis attenditur secundum dignitatem gratiæ, per quam homo efficitur consors diuinæ naturæ, adoptaturq; in filiũ, cui debetur hæreditas. Et in solutione ad 3. Gratia inquit, spiritussancti, quam in præsenti habemus, etsi non sit æqualis gloriæ in actu, est tamen æqualis in uirtute: sicut semen arborum in quo est uirtus ad totam germinãdam arborem, & quia per ipsam inhabitat hominē spiritussanctus, appellatur ab Apostolo pignus hæreditatis nostræ. Intelligit ergo, quòd sit meritum propriæ ueræq; iustitiæ, propter hãc mensurã, & modum gratiæ, relatione ad gloriam. Nam quamuis nomen seminis metaphoricum sit, inest tamen in gratia uera uirtus ad gloriã, atq; adeo æqualitas iustitiæ simillima semini. Vnum enim granum non est æquale spicæ, sed tamē tantundem uirtute ualet, siquidem fert suo tempore spicam.

Gratia ē semen.

Illa tamen distinctio liberi arbitrij, atq; gratiæ nonnullos fallit. Quippe qui exhinc colligunt, merita non esse proprie nostra, sed solius Dei. Cum res tamen aliter sit. Virtus enim spiritussancti, & liberum arbitrium duo sunt coeuntia in rationem unius integri principij. Nam ut opus liberi arbitrij non esset meritum sine uirtute Dei, ita neq; opus Dei esset meritum, nisi fieret per liberum arbitrium humanæ, uel angelicæ naturæ. Non enim Deus per sua solius opera (ut dum creauit mũdum) meretur. Neq; facere potest, ut opera plãtæ, uel animalis bruti sint meritoria. Meritum ergo opus est Dei & nostrum. Ipsius scilicet, ut mouentis, & nostrum libere cooperantium: ut supra satis demonstratũ est. ¶ Ex his facile soluitur alterum argumētum, Deus nihil proprie debet nobis: tum quia nullus prior dedit ei, sed ipse dat nobis ipsa opera, per quæ meremur, & ideo totum ius nostrum fundatur in

Deceptio quorundã.

Solutio alterius dubij.

gratia

gratia sua: tum quia hæc quæ nos illi damus, non cedunt in suam, sed in nostram potius utilitatem. Quare licet nullũ nobis amplius præmium daret, ꝙ bene operari, nullam nobis faceret iniuriam. Quinimo quàmuis beatos illos cælicolas regno depelleret, non faceret illis iniuriam. Ergo nullum est in nobis meritum, cui aliquid Deus debeat. Respõdetur, quòd Deus debet præmium, ex ordinatione sua, iustitiæ quæ ab ipso est in operibus nostris: quod est debere suæ propriæ & bonitati, et firmissimę ueritati. Vt colligitur ex parabola patrisfamilias cõuenietis cum operarijs ex denario diurno. Exemplum est in naturalibus. Ipse fecit naturas rerum, & ideo secundum suam ordinationem dedit soli lucem, homini intellectum, &c. Quare sicut repugnat, solem esse & non esse natura sua lucidum, propter debitum naturæ, quod est iustitia ipsius Dei, ita suæ repugnat bonitati, & iustitiæ, quòd pro operibus eorum, quos semel sibi per gratiam adoptauit, non retribuat uitam æternam: Et hæc est non impropria ratio debiti. Quocirca si merenti negaret præmium, licet nemini faceret iniuriam (ut ait Ber. ser. 1. de annuntia.) suam tamen legem, ac seipsum negaret, qui tamen fidelis est, & negare se ipse non potest. ¶ Per hæc respondetur ad aliam, quæ hic sit postrema dubitatio. Vtrum præter gratiam gratum facientem, necessaria sit noua acceptatio Dei, ut opus sit de condigno meritorium. Scot. enim in. 1. d. 17. quæstione. 1. existimat, non satis esse, opus elici a gratia, ut sit meritorium uitæ æternæ: sed ultra hoc requiritur, quòd sit acceptum a Deo, & ordinatum ad talem finem. Primo, quia aliàs inquit, si opus esset de condigno meritorium, qua ratione procedit a gratia, quæ iam est principium & forma existens in homine, sequeretur, quòd quatenus procedit ab homine, Deus non posset non retribuere beatitudinem, quin esset iniustus, eo quòd ante eius acceptationem, iam opus erat dignum. Et præterea præmium uitæ æternæ semper est maius ꝙ meritum: maius autem non rependitur pro minori ex rigore iustitiæ, sed tantum ex liberalitate & acceptatione conferentis. Sequit̃ Scotum fere nominalium schola. Nihilominus nullũ ꝓfectò est argumentũ, quod id ualeat

[Margin: Quęstio | Scot. | Nominales.]

conuincere. Quin uero ratio est in cõtrarium multo proba-
Contra. bilior. Primo ut Sco. ipse & omnes fatẽtur in.2.d.27.& in.3.
18. gratia nihil aliud est, quàm acceptatio ad gloriam: si ergo per gratiam homo iam est acceptus ad gloriã, quid opus est noua acceptatione operis? Nam si filij ergo hæredes. Quinimo est repugnantia manifesta, personam esse acceptam, cuius opus non sit Deo gratum. Nanq; propterea opus est gratum, quia persona est grata. Respexit enim Deus ad Abel & ad munera eius. Vnde ad primum argumentũ Scoti negatur, quòd si opus, quia procedit a gratia, esset meritorium, propterea Deus esset iniustus, si non redderet præmium: quoniã illud meritum dependet ex gratia gratificante personam. Idipsum itaq;, quod ipse dicit de secunda acceptatione: scilicet, quod eo quòd prius Deus acceptat opus, quàm sit meritorium, nõ sit nobis proprie debitor, nos dicimus de gratia gratificante personam. Nempe, quòd ideo non sit nobis proprie debitor: quia prius reddit gratum hominem unde procedit meritum. Nisi quòd ipse, non cernit omnino rationem meriti, ea ratione qua est opus filij Dei. Et tamen rei ueritas est, quòd ratione gratiæ adoptionis & acceptationis personę, opus est meritoriũ. Et quia opus est meritorium, acceptatur. Dicere enim, quòd quia acceptatur, opus est meritoriũ, uidetur repugnantia in adiecto. Nã gratis acceptari opus non ponit in ipso iustitiam, & dignitatem: sed meram gratiam. Ad secundũ argumẽtum respondetur, quòd quàmuis Deus præmiet ultra condignũ, nihilo minus opus est meritorium, quia procedit a gratia p̃sonæ, quæ est seminarium gloriæ.

De merito aduersus Lutheranos. cap.8.

Concl'o. HIs ergo inter catholicos constitutis, restat, ueritatẽ huius conclusionis aduersus Lutheranos cõstabilire, quòd iustorum opera sint digna merita uitæ æternæ. Porro nomẽ meriti nostri apud Deũ,
Nomen meriti. cumprimis celebratissimum est Patribus in ecclesia ab eius usq; incunabulis. Cuius non opus est testibus, siquidem neq; aduersarij negant, sed tamen abnegant extare in sacris lite-
Eccli.16. ris meritum uitæ æternæ. Nam illud Ecclesiastici.16. Omnis misericordia faciet locum unicuiq; secundum meritum ope-

rum suo rum, non ita facile recipiunt, tanꝙ canonicum: eo ꝙ teste Hieronymo in prologo Galeato, liber ille non sit inter Hebræos. Nihilominus a uetustissimis, ut Egesippo. Irenæo, & reliquis tempori apostolorum proximis citatur tanquàm propheticus: ut authores sunt Euseb. lib. 4. & Aug. 17. de ciuita. dei cap. 20. Atq; Damas. lib. 4. cap. 18. annumerat ipsum canonicis, quem & ecclesia a Concilio Carthaginensi tertio, ubi quinq; libri Salomonis recipiuntur, usq; ad præsens Tridentinum, semper recepit in canonē. Iam uero & apud Paulum manifesta est appellatio meriti ad Hebræ. 5. ubi ait. Beneficentiæ & communionis nolite obliuisci: talibus enim hostijs promeretur Deus. Et ad Collos. Dignos nos fecit in partem sortis sanctorum: & Sapientiæ. 3. Tentauit eos Deus, & inuenit eos dignos se. Et Christus in euangelio. Dignus est operarius mercede sua, Vbi licet de uictu loquebatur, meritum quoq; apud Deum insinuabat. Superuacanea ueruntamen est de nomine concertatio, ubi res ipsa est patentissima. Igitᷣ prima de hac re statuitur cōclusio. Opera iusti quæ genere suo ac circūstātijs bona sunt, omnia sunt cōdigna merita, tū cumulatioris gratię, tum ēt æternę uitę. Dixerim, & iusti, & cumulatioris gratiæ. Quoniā lib. 2. diffuse planeq; mōstratum est, peccatoris opera nequaquàm esse merita primæ gratiæ. Primam statim huic conclusiōi rationem supponamus, qua crebro utimur contra istos: illam scilicet, quæ ex natura rerum ducitur. Fides naturam non subuertit, sed instaurauit & perfecit: uirtuti autem iure suo & merito debetur honoris merces. ut. 1. Ethico. author est Aristo. eademq; ab ipso legislatore, qui custos est iusti: hanc ergo naturæ legem Deus p gratiam Christi non abrogauit, sed seruauit potius. Seruauit autem hoc pacto, quòd cum homo naturali uigore nullum uirtutis opus præstare posset, quod ullius esset meriti in conspectu suo, misit filium suū, qui & nos a peccato liberaret, & potestatem subinde nobis faceret, filios Dei fieri, si eius assentiremur uocatiōi. Igitur ubi iam per gratiam suam filij sumus opera nostra, sua ipsius ope suffulta, digna sunt apud ipsum gratiæ suæ & gloriæ, quæ proprie est præmium filiorū Dei. Et quo rationes meriti supra inductæ explicatiores fiant, cō-

[Margin notes: Euseb. et Aug. — Cōclo. 1. — Prima ratio. — Confirmatur.]

firmatur argumentum. Opus iusti est opus liberum obedientiæ, quo Deo iuxta eius uoluntatem obsequimur, estque proinde opus bonum, neque solum ex amicitia illius, uerum & iussu etiã, uel suasu, atque adeo auxilio ipsius exhibitũ: igitur dignũ est præmio, quòd ipse amicis suis, suique obsequentibus, ppo-

Meritũ & merces.

suit: hoc autem est uita ęterna. iuxta illud, Si uis ad uitã ingredi serua mandata: illius ergo beatæ uitæ est meritum. Descendamus aũt ad lucem scripturæ sacræ, cuius radijs hæc omnia clarescunt. Meritum (ut dictum est) & merces ad se inuicem referuntur, sacra pagina identidem meminit mercedis, quæ nos manet pro nostris operibus apud Deum: ergo sunt opera nostra ipsius merita. Quæ subsumit̃ propositio, plana est.

Gene. 15. Ab ipso enim exordio, quo Deus tractare cũ mortalibus cœpit de salute nostra, primus, quem cum Abraham iniuit sermonem, hic fuit. Noli timere Abraham, ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis. Et quis ad literã forsan intelligatur de latissima seminis eius propagatione, tñ in mysterio profecto significabat æternã retributionem, quæ proprie est merces fidei, quam ab illo tunc exigebat. Vnde quia merces illa proposita nobis erat per Christũ, idcirco Esa. ubi ad-

Esa. 40. uentum eius prænunciat, Ecce inquit Deus uester: ecce dominus Deus in fortitudine ueniet, & brachium eius dominabitur: ecce merces eius cum eo, & opus illius coram illo. Cui cõcinit Ioã. in Apocalypsi. Ecce uenio cito, & merces mea me-

Matth. 5 cum est, reddere unicuique iuxta opa sua. Atque adeo Christus ipse liberator noster, quo primum cœpit loco prædicare legem, statim obedientibus proposuit mercedem. Gaudete inquiens, & exultate cum maledixerint uobis homines, & persecuti uos fuerint, quoniã merces uestra copiosa est in cælis. Et quo explicaret opera nostra respectu illius mercedis rationẽ habere iustitiæ, eadem opera appellauit iustitiam, commonefaciens nos, ne aliam uanam intenderemus mercedem. Attẽdite enim inquit, ne iustitiam uestram faciatis coram hominibus, ut uideamini ab eis: alioquin mercedem non habebitis apud patrem uestrũ, qui in cælis est. Et subdit. Te autem faciẽte eleemosynã, nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua, ut sit eleemosyna tua in abscondito: et pater tuus qui uidet in

abſcōdito, reddet tibi. Cui conſonat Paul. Quodcūq; facitis, ex animo operamini, ſicut domino, & non hominibus: ſcientes quòd a dño accipietis retributionem hæreditatis. Tribus ergo nominibus: ſcilicet, mercedis, iuſtitiæ, & redditionis, nihil profecto aliud, q̄ ius meritumq; operū deſignauit. ¶ Sed interpretamentnm Melanthonis audiamus in ſua apologia Auguſtana. Duobus.n. modis, & ipſe, & ſui conſortes reſpōdent ad iſta. Primo, quòd uita æterna dicat̄ merces, non quia debetur operibus noſtris, ſed promiſſioni Dei. Dicitur autē inquiunt, merces, quia eſt quædā recompenſatio bonoꝝ operū, non quatenus noſtra ſunt, ſed quatenus ſolius ipſius Dei, tanq̄ fructus fidei: iuxta uerbum Auguſtini in de gra. & lib. arb. Dona ſua coronat Deus. Quod uerbū ita intelligunt acſi nullo pacto debeant dici merita noſtra. At uero quis non uideat, q̄ nō poſſunt hoc elabi diuerticulo? Nam quis beneficio illi, qd' quiſpiam ſolum propter gratuitam promiſſionē nullo intercedente iure aut merito recipientis ullā tribuat rationē mercedis. Siquidem inter beneficiū gratuitū & mercedem tantū diſtet, quātū inter opus liberalitatis & opus iuſtitiæ. Quòd ſi uita ęterna eo merces dicit̄, ꝙ eſt recompenſatio, hæc ipſa eſt confeſſio meriti. Recōpenſatio.n. opus iuſtitię eſt propter debitū. Id quod Paul. nos docet, ubi propterea negat iuſtificationem noſtrā, qua ex iniuſtis efficimur iuſti, fieri ex opibus, quia ei qui operat̄, merces non imputat̄ ſecundū gratiā, ſed ſecundum debitū. Hinc.n. colligitur a cōtrario ſenſu, quòd ſi operibus noſtroꝝ reddit̄ merces, eiſdem tāq̄ meritis debeat̄. Quòd aūt Aug. ait, Deum coronare dona ſua, ita ſe ipſe explicat, non ꝙ non ſint merita noſtra ꝑ liberū noſtrum arbitriū, ſed quia ſuoipſius in nobis auxilio fiunt. ¶ Secūda ſolutio eſt, ꝙ opera noſtra uere ſunt merita, non tñ digna uitæ æternæ, at alioꝝ præmioꝝ corporaliū, & ſpiritualiū, quæ reddunt̄, tum in hac uita, tū poſt in patria. Ecce cām, cur in libello impatorio colloquij Ratiſponēſis, cōfitentes mercedē deberi opibus noſtris, tam corporalē, q̄ ſpiritualem, in hac uita, & in futura, nunq̄ ſunt confeſſi, ꝙ ſint merita uitæ ęternæ, ſed bonoꝝ, prout diuinę ꝓuidentiæ uiſum fuerit. Vita.n. inquiūt, ęterna ſolum debet̄ renatis propter ſolā promiſſionem

Col. 3.

Melan.

Argtm̄ a cōtrario ſēſu.

Exponitur Aug.

Secūda euaſio.

Libellus imper.

Impugnatio. fide acceptam. In hac autem cauillatione non una, sed multiplex est, tum falsitas, tum pertinacia. Primum, si concedunt iã operibus iusti aliquam dignitatem præmij, etiã cælestis, non ergo talia opera sunt peccata, ut cœpit dicere Luthe. Quòd si sint bona, & procedant ex gratia, quid cunctantur confiteri

Aliud argumētũ. præmia uitæ æternæ. Mox uel illa opera sunt meritoria, solũ quatenus a libero arbitrio procedunt, uel quatenus procedũt ex auxilio & gratia Dei per liberum arbitrium. Primum ipsi nobiscum negant: ergo sunt meritoria, quatenus procedunt ex gratia, manifestum est, quòd sint meritoria uitæ ipsius æternæ, cuius seminarium est gratia. Dicam explicatius. Gratia est acceptatio ad uitam æternam, distinguẽs inter filios Dei, & filios regni: ergo si opera, quæ ante gratiam nullius sunt pretij apud Deũ, ex gratia recipiunt, ut sint merita, cuius nam præmij recipiũt, ut sint merita, nisi uitæ æternæ? Ad hæc. Omne præmium accidentale regni cælestis: ut aureolæ & aspectus humanitatis Christi, consortiumque sanctorum, atque hoc genus reliqua, ex essentiali beatitudine difluũt: ergo si operibus nostris ius acquirimus ad accidentalia præmia, ex eo est, quia acquirimus ius ad uitam ipsam. Iam uero hoc contra istos necessarium uideor formare argumen-

Matth. 19. tum. Iuueni illi quærenti quid faceret ut haberet uitam æternam, respondet Christus, quòd seruaret mandata: quòdque si relinqueret, uẽderetque bona sua perfectus fieri posset. Extẽplo Petrus rogat, quæ ergo seipsos maneret merces, qui omnia propter ipsum reliquerant. Cui Christus. Vos qui sequuti estis me in regeneratione sedebitis super sedes duodecim iudicãtes, & c. Omnis autem qui reliquerit domum aut fratres uel sorores, & c. centuplum accipiet, & uitam æternam possidebit. Ecce distinguuntur præmia accidentalia: scilicet, sedere ut iudices, & centuplum recipere, quod sancti exponunt, uel in hac uita, quantum ad quietem & lætitiam animæ, qui est fructus bonorum temporalium, uel etiam in futura uita, ubi est plenitudo omnium bonorum: & præter hæc præmiũ essentiale uitæ æternæ. Hinc ergo sumitur argumentũ. Illorum accidentalium præmiorum uere sunt opera iustorum merita (ut aduersarij ipsi fatentur) ergo ipsius etiam uitæ æternæ: quã-

doquidem ſub eodem tenore utrunq; proponitur tanq; mer ces. Quinimo aduerſarij ipſi cōpelluntur reſpondere pro no bis. Præmia enim omnia, etiam accidētalia, quæ quoquo pacto, uel in hac uita, uel in futura pertinent ad beatitudinē: ſcilicet, uel hic nos promouentia, uel illic quouis modo beātia, pertinent ad promiſſionem Dei per Chriſtum: igitur ſi non obſtante quòd redduntur nobis propter promiſſionem, illa accidentalia nihilominus uere ſunt præmia quæ redduntur meritis noſtris, cur non idē fatentur de uita æterna? Hic quip pe latet, & ſuus error et reſponſio noſtra. Nō enim negamus, uitam æternam dari nobis propter promiſſionē Dei. Sed tamen quia promiſſa eſt cooperantibus gratiæ & adiutorio ipſius, nihil uetat, quo minus detur tanquàm merces noſtrorū operum. Ita enim inquit Timotheo Paul. Pietas ad omnia utilis eſt, promiſſionem habens uitæ, quæ nunc eſt, & futuræ, Vbi tam eſſentiale præmiū, q; accidentale ſimul ait promiſſum eſſe operibus pietatis. Neq; in hoc ullo pacto derogatur gratiæ Chriſti, ſed arrogatur potius, eo quòd talē in ſua mēbra influat merendi uirtutem. Legitimus ergo ſenſus uerborum Chriſti, ubi mercedem nominat, inde aucupandus eſt, quod uſu ac more eorum qui reſpublicas ciuiles inſtituerāt, ſuas ipſe ponēs diuinas leges, brauium & palmam legitime agentibus proponit, cuius digna eſſet eorum obediētia. Vnde Paul. ſimilitudine illorum qui in ſtadio præmium intuētes currebant, uſus, Omnes inquit currunt, ſed unus accipit brauium. Extat præterea plurimum in ſacro canone mercedis mentio: ut Ruth. 2. ait Patriarcha ille. Reddat tibi dominus pro opere tuo, & plenam mercedem recipies a domino Deo Iſrael. Et Sapientiæ. 5. Iuſti autem in perpetuum uiuēt, & apud dominum eſt merces eorum. Et Eccleſiaſtici. 18. Nō uerearis uſq; ad mortem iuſtificari, quoniam merces Dei manet in æternū. Et Hieremiæ. 31. Eſt merces operi tuo. Et Chriſtus in euangelio, Qui recipit prophetā (ut alludebat ad ſeſe) mercedem prophetæ accipiet. Et Ioan. 4. Leuate oculos ueſtros, & uidete regiones, quę albæ ſunt iam ad meſſem, ut qui metit, mercedem accipit, & congregat fructum in uitam ęternā. Et Paul. Vnuſquiſq; aūt propriam mercedem accipiet ſe-

Argm̄ ad hominem.

Hic latet error.

1. Cor. 9.

Teſtimonia ſcripturę

Ioan. 4.

2. Cor. 4

cundum suum laborem. Quid est secundum laborem, nisi iuxta meritũ laboris. Et rursum. Id quod in præsenti est momentaneum, & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate, æternum gloriæ pondus operatur in nobis. Ecquid aliud esse potest, operatur, quàm meretur? Et Ioan. in 2. canonica cap. 1. Videte uosmetipsos, ne perdatis, quæ operati estis, sed mercedem plenam accipiatis. Plenam, id est, iustam. Sicuti ait Christus ipse præmiorũ largitor. In qua mensura mensi fueritis, remetietur uobis. Et apud Lucam. Diligite inimicos uestros, benefacite, mutuum date, nihil inde sperantes, Date, & dabitur uobis. Mensuram bonam, & confertam, & coagitatã, & superfluentem dabunt in sinum uestrũ.

Rom. 2. Quibus potuit apertius uerbis explicari ratio meriti. ¶ Accedit demum illud Pauli ad Roma. 2. ubi retributionem meriti tam boni, quàm mali explicat, Tribulatio enim inquit, & angustia in omnem animam hominis operãtis malum. Gloria autem, honor, & pax omni operanti bonum. Sed uide hic candide lector aliam cauillationem, qua isti putant excutere talia testimonia.

Melan. Ait Melanthon in locis communibus, qđ Paul. non ait, Homini simulanti bonum, sed operanti ex fide, ita ut nomine operum, intelligatur fides cum suis fructibus. Et ideo merces nõ redditur inquit, nisi propter promissionem. Hæc est istorum dementia (ut in principio huius libri cœpimus notare) omnia opera externa appellare simulationem, et hypocrisim. Ecquis nostrum unquàm dixit, opera digna esse merita, nisi ea tantum, quæ ex fide procedunt? inde tamen nulla probabilitate colligitur, quòd præmiũ reddatur solum ob promissionem. Nam tunc non haberet rationem præmij: sicuti nec promissio habet rationem meriti: merces ergo debetur opibus, quatenus libere a nobis ex fide fiũt ex gratia utiq; & auxilio Dei.

Iustitiæ appellatio. ¶ Venit secundo loco in confirmationem eiusdem conclusionis, prẹter mercedis nomen, appellatio quoq; iustitiæ, quæ assidua est in sacra scriptura.

Psal. 17. Ait enim Dauid, Obseruabo me ab iniquitate mea, & reddet mihi dominus secundum iustitiam meam. Vbi palam loquitur Propheta de iustitia sua apud Deum, & non de iustitia aduersus suos persecutores, ut cauillat̃ Melanthõ in apo-

Melan.

logia,

logia, exponens illud, Iudica me domine secundum iustitiā meam. Nam præmiserat. Custodiui uias domini, nec impie gessi a Deo meo, & iustitias eius non repuli a me, & ero immaculatus cum eo. Et tandem subdit. Et retribuit mihi dominus, &c. Quasi dixisset, quoniam ego iustitias eius custodiui, custodiet ipse iustitiam suam mecum, retribuens mihi iustam mercedem pro iusto merito: iuxta uerbū Sapientis, Seminanti iustitiam merces fidelis. Neq; solum Propheta certus erat, mercedem esse apud Deum bonorum operum, uerū & intuitu illius licitū esse ut homo excitaret sese ad opus. Vnde inclinaui, inquit, cor meum ad faciendas iustificationes tuas in æternum propter retributionē. Sicuti & de Mose ait Paul. quod aspiciebat in remunerationē. At una pro omnibus satis est authoritas Pauli de iustitia operum. 2. Timo. 4. Bonū certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui, in reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi dominus in illa die iustus iudex. Si tantum hic meminisset fidei, & misericordiæ, id Lutherani possetis uestræ prætexere opinioni, atq; fingere, quòd uita ęterna nulla alia nobis ratione donat̄, nisi quia Deus illā nobis promisit absq; ullo respectu nostrorū operum. Sed tamē ait, Bonum certamen, nō Deus certauit: sed ego certaui, & cursum consūmaui. Nec solum ait, Fide accepi misericordiam, sed fidem seruaui: id est, legem, quam sum fide professus, opere cōpleui: & ideo Deus iustus iudex tanquàm atlotheta certaminis mei coronabit me corona iustitiæ. At respondere persistitis, quòd hæc est iustitia fidei. Hanc equidem nos quoq; uocem agnoscimus, sed uestrum intellectum refutamus. Concedimus (inq;) opera nostra eo esse iustitiam fidei, quòd nisi ex fide & gratia Christi promanarēt, nullius essent meriti, nihilosecius opera nostra, id est, quæ ex fide p liberum arbitrium facimus, merita sunt sempiternæ gloriæ. Secundum significantissimum uerbum Pauli ad Hebræos. Accedamus cū uero corde in plenitudine fidei: aspsi corda a cōscientia mala, & abluti corpus aqua mūda teneamus spei nostrę cōfessionē indeclinabilē: fidelis.n. est qui repromisit, Non solū ait, qui pmisit, sed qui repromisit, si seruemus indeclinabilē fidē. Et eodē ptinet qđ dixerat ca. 5.

2. Timo. 4.

M Mm

Heb.10. Non est iniustus Deus, ut obliuiscatur operis uestri, & labo-
1.Ioan.3. ris ex charitate suscepti. Et Ioan. in prima Canonica. Filioli,
nemo uos seducat, qui enim facit iustitiã iustus est, sicut et ille
Retributio. iustus est: scilicet in retribuendo, sicut nos in operando. Et ad
Heb.10. Paul. Nolite inquit amittere confidentiam uestram:
quæ magnam habet remuneratione͂. Et cap. xi. Non ait tan-
tum, q sancti per fidem uicerũt regna, sed quòd ex eadem fi-
de operati iustitiam adepti sunt repromissiones. Remunera-
tio autem & repromissio quid nisi mercedem auribus exhi-
bet. Tertio deniq; & principaliter confirmat͂ conclusio ex re
tributione, quæ promissa est facientibus iussa Dei. Regnum
enim cælorũ comparauit Christus patrifamilias, qui conuen-
tione facta ex denario diurno misit operarios in uineam suã.
Et in alia parabola ex talentis distributio inter seruos usuras
deposcit, cuius merito promittit fideles seruos cõstituere sup
familiam suam. Et amicos nos admonet, ut faciamus sa qui-
bus recipiamur in æterna tabernacula. Et alibi, ne inuitemus
ad prandium fratres, & cognatos, qui possunt retribuere no-
bis, sed pauperes, debiles, & claudos, ut retribuatur nobis in
resurrectione iustorum. Et Paul. Deus inquit in die iusti iu-
dicij reddet unicuiq; secundũ opera eius: ijs quidem qui secũ-
dum patientiam boni operis, gloriam & honorem, & corru
ptionem quærunt, uitam æternam: ijs autem qui sunt ex con
tentione, &c. iram & impugnationem. Et 2. ad Cor. 5. Om-
nes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat
unusquisq; propria corporis, prout gessit, siue bonũ, siue ma-
lum. Profecto quando nullum esset aliud testimonium, hoc
esset sufficientissimum. Nã si opera bona non essent uera cau
sa, & merita retributionis iustorum, sicut mala sunt etiã me-
rita supplicij, quid opus erat stare ante tribunal Christi, & iu
dicari, cuius quisq; esset dignus retributiõis? Omnia hæc de-
niq; confirmat uerbum ipsius iudicis nostri Christi. Tunc. n.
inquit, dicet ijs qui a dextris eius erunt, Venite benedicti pa
tris mei, possidete paratũ uobis regnum a constitutiõe mun
di. Esuriui enim, & dedistis mihi manducare: sitiui, & dedi-
stis mihi bibere, &c. Vbi particula enim, significationem ha-
bet causæ in bonis meritis æque ut in malis. Vnde sicuti im-

misericordes, eo quòd non pasti sunt Christum, mittentur in ignem æternum, ita & iusti propter meritũ misericordiæ recipientur in regnum. Atq; hoc est quod cōcludit, Ibunt hi in supplicium æternum, iusti autem in uitam æternam. Falsa ergo est & sacro elogio aduersa glossa Buceri super Paulum ad Roma. 2. Qui reddit unicuiq; secũdum opera sua. Ait enim quod iuxta opera, nullam dicit causam. aut meritum nostrorum operum, sed tantum compensationẽ. Multo ergo alius diuersusq; est sensus Pauli, iisq; consyderãtibus patentissimus. Ita enim dignoscit ubiq; inter gratiam & gloriam, quòd ubicunq; meminit gratiæ iustificantis, qua scilicet iniustus fit iustus, opera uniuersa excludit a ratione meriti. Et pari modo, ubi meminit de aduentu Christi. Nam sicut ipse gratis nobis datus est, nullis hominum præcedentibus meritis, ita & mẽbra eius efficimur mere gratis. Vbi tamen loquit̃ de præmio uitæ æternæ, tunc mentionem facit operum, sane quæ iam p̃ gratiam Christi merita sunt illius. Ex quo Aug. desumpsit celebrem illam distinctionem gratiæ in operantem, respectu iustificationis, & cooperantem, respectu meritorum. ¶ Postremũ deniq; asilum, quo sc isti recipiunt, ne fateri cogantur operum merita, est, quod si iustorum operibus proposita est in euangelio uita æterna, non est, quia sint merita nostra, sed solum quia sunt fructus fidei, atq; merita Dei: & ideo nõ redditur aiunt, præmium operibus, sed soli fidei apprehendenti promissionem illius præmij. Sed iã inprimis non negabunt, quin fides sit causa illius præmij, atq; adeo meritũ. Nam hoc quod est fide accipere, id est, credere promissionẽ, haberet rationem meriti. At quicquid ad hoc respondeãt, aliter arguitur, ut hac postrema ratione punctum rei attingamus. Hoc enim ipsum, quòd opa nostra sint fructus fidei, nihil nos inficiamur, quin confitemur ultro. Sed tamen exinde sumimus argumentum, quòd nos per eiusmodi fructus meremur. Fides enim non est, quæ per se ipsa possit fructificare, sed per liberum nostrum arbitrium. Et hoc est quod isti deberent meditatius cogitare. Si enim fides ita in nobis existeret, ut nobis non esset liberum illi obsequi, nullum in nobis fructum ferret, magis quàm in brutis animalibus. Quare nõ est ipsa quę

Bucer.

Lutheranor; pfugium.

Impugnatio.

Fructus fidei.

operatur,sed nos p ipsam.Quomodo autē id fiat,Apost. ubi rationem ipsius fidei explicat,nobis exponit. Necesse enim est inquit, credere quòd Deus est, & quòd remunerator est. Ecce radicem meritorum,credere,quòd remunerator est. Et ideo est argumentū rerum sperandarum, quia mittit nos in spem,dirigens intentionem nostrorum operum. Et inde habet quòd sit exordium & initiū uitæ iustoꝝ. Quocirco idem
Coll.1. Apost.ad Collos.1.Propter spem inquit,quæ reposita est uobis in cælis,dilectionem habetis erga sanctos. Erigens ergo fides spē nostrā,charitatem suscitat erga Deum, p quā operamur.Quare Paul.non dixit,quòd fides per se operat̄,sed per charitatem:scilicet,qua Deū diligimus, licet tandē ab ipso re
Gala.5. cepérimus.Necꝗ ad Gal. appellat opera nostra,fructus fidei, sed fructus spūs contra opa carnis.Et quælibet uirtus habet suos proprios fructus.Facite.n. (inquit Ioan.fructus pœnitētiæ,Quinimo & beatitudo ipsa dicitur fructus operum nostrorum.Bonorum.n.laborum(inquit Sapiēs)gloriosus est fructus.Et ad Philip.Paul.Sitis synceri & sine offensa in die Christi repleti fructu iustitiæ.Non dixit tantum fidei,sed generalis iustitiæ.Et infra.Mihi uiuere Christus est,& mori lucrum.Quòd si uiuere in carne hic mihi fructus opis est, & c. Mori ergo uocat lucrum propter meritum,& uiuere,fructus operis,propter prēmium æternū. Vnde Dauid, Beati inquit manducabunt labores manuum suaꝝ. Et ipse ad Gala.Pau. Quæ seminauerit homo, hæc & metet. Est ergo turpissima ignorantia, propterea,quòd opera sint quodammodo fructus fidei,negare,quòd sint ,pprie merita nostra:id est,nostri
Exēplū. liberi arbitrij diuinitus adiuti. Exēplum est in naturalibus, pārum quidem per uirtutem Dei eiusꝗ generalem influentiam fructificat:hoc tamen non obstāte uere,& proprie sunt fructus ipsius arboris,pariter ergo censendum est de fructibus iusti per gratiam & auxilium speciale. Vnde facite inquit,ait Christus arborem bonam, & fructus bonos: id est, uoluntatem bonam,& bona opera.Et Paul.Gratia Dei sum id quod sum.& gratia eius in me uacua non fuit, sed abundantius illis omnibus laboraui :non ego autem, sed gratia
Aug. Dei mecum,Mecum ait,quasi adiuuans, Vnde August. in

epiſtola ad Hilarium, quæ eſt.89. cap. 3. Valet inquit, liberum arbitrium ad opera bona, ſi diuinitus adiuuetur. Et infra. Neq; enim liberum arbitrium ideo tollitur, quia iuuatur, ſed ideo iuuatur, quia non tollitur. Et Hypog. lib.3. Quo modo unicuiq; inquit, ſecundum ſua opera redderetur in die iudicij, niſi liberum eſſet arbitrium, ut operante Deo cooperaretur homo. Et infra. Quomodo potuit Paul. bonũ certamen certare, & curſum conſummare? Quia neq; ſolus, neq; gratia ſola, ſed gratia Dei mecum. Quæ inquit, gratia eſt in libero arbitrio, ſicut in equo ſeſſor qui ipſum regit. Ex quibus tandem concludit. Neq; gratia ſine libero arbitrio facit hominem habere uitam æternam, neq; liberum arbitrium ſine gratia, niſi in paruulis, in quibus gratia operatur ſine libero arbitrio. Hactenus Aug. At uero quàmuis merita noſtra, opera ſint Dei præuenientis, nihilominus non ſolum improprius eſt, & ineptiſſimus, uerumetiam falſiſſimus ſermo, quod Deus mereatur per nos. Nam mereri reſpectum dicit inter duos: ſcilicet, inter obſequentem & præmiantem: ſed nos meremur per auxilium ipſius. Iuxta illud Ezechielis. 36. quod libro.3. Hypog. in hanc ſententiam citat Auguſt. Spiritum meum ponam in medio ueſtri: & faciam ut in præceptis meis ambuletis, & iudicia mea cuſtodiatis, & operemini: ipſe ergo non meretur, ſed facit ut nos mereamur. Quare Auguſt. nunquàm dicit, quòd Deus coronat merita ſua, ſed coronat inquit, merita tua, tanquàm dona ſua. Itaq; ut ab ipſo fiunt, non merita ſua, ſed dona ſua dicuntur, qua uero ratione ſunt a nobis, dicuntur merita. Et ideo ſi merita inquit, noſtra ſic intelligerentur, ut etiam ipſa dona eſſe Dei cognoſcerentur, non eſſet improbanda ſententia. Hæc ille de libero arbit. cap.6. et.7. Sed noſtri Proteſtantes, quia totam ſcholaſticam rationem repudiarunt, arbitrati, quòd ijs qui bene Vergilio, Homeroq; imbuerentur, peruia illico eſſet, cum S. Patrum, tum etiam ſacræ paginæ intelligentia, nihil mirum, ſi propter incogitantiam uel (ut abſit inuidia uerbo) forte propter rerũ inſcitiam tãtum nobis negotij faceſſerint. Contra quos, hoc tantum ſi ſubiecerim uerbum, finem faciã.

Deus nõ meretur, ſed nos.

Nempe quòd frustra esset nostrum liberum arbitriũ, si ratio meriti officijs iusti adimeretur. Aiunt isti, liberum arbitrium solum habere locum in naturalibus, non autem in operibus gratiæ apud Deum. Qui uero rem prudentius æstimauerit, longe aliter censebit. Porro quòd cum hæc omnia naturalia propter hominem, homo autem in obsequium Dei sit conditus per quod possit æterna fœlicitate potiri, in hoc potissimũ a Deo naturæ opifice factus est liber, ut eius obedientia ipse glorificaretur, cuius gratia & ope ita uteret homo, ut dignus efficeretur uita æterna. Nam si gloria illa ita gratis donaret nos Deus, ut nulla nostra intercederent merita, haberet quidem essentialem rationem beatitudinis, qualis est christianis infantibus ante usum rationis uita defunctis, careret tamen illa laude, & honore, quæ secundũ omnes sapientes debetur uirtuti. Est enim præstãtius in rebus humanis, meruisse, quod non habes, quàm habere quod non meruisti. Vnde non potest non esse præclarissimum accidens gloriæ in sanctis per sua merita ad illum peruenisse triumphum. Quapropter cum hoc per suam naturã homo non posset, summa fuit Dei misericordia, talem nobis per filium suum elargiri uirtutem, & potestatem. Sane ut ante diuinum tribunal alij talenta sibi credita cum usuris referrent: alij ex seminibus quæ flentes miserant, manipulos reportarent: alij qui lauerunt stolas suas in sanguine agni, palmas gestarent in manibus suis: omnes itaq; qui fortes facti in bello per fidẽ uicerunt regna, & operati sunt iustitiam, suas adipiscerentur repromissiões. Quorum omniũ gloria refundetur in Deum per Christum dñm nostrum. Meritissimo ergo nunc ecclesia, quæ sanctorũ meritis inclyta quotidie pangit gaudia, contra eos qui de huiusmodi meritis obloquuntur, pronunciauit in Synodo Triden. Ses. 6. In cuius. 10. cõfessionis cap. ubi habetur, quod iustificati, & amici Dei de uirtute euntes in uirtutem per obseruantiam mandatorum Dei, & ecclesiæ, adiuuante Christi gratia & fide, in eadem iustitia crescunt, petentes quotidie fidei, spei, & charitatis augmentum. Et cap. xi. Constat eos orthodoxæ religionis doctrinæ aduersari, qui negant, licere iustis mercedem intueri, dum in stadio currunt, sicut Dauid incli-

Synod. Triden.

nabat cor suum ad faciendas iustitias propter retributiones? Et can. 24. sub anathemate eum damnat, qui dixerit, iustitiam acceptã non conseruari & augeri coram Deo per bona opera, quæ causa sunt ipsius augendæ. Et can. 26. pariter cõdemnat eũ, qui dixerit iustos non debere pro bonis operibus sperare æternam retributionẽ. Est ergo cõclusio ꝓbatissima, ꝙ licet homo peccator nec sibi primam, nec alteri ullam gratiã mereri ualeat, homo tñ iustus, ꝑ gratiam & auxiliũ Dei, & sibi de cõdigno mereri põt, cum augmẽtum gratię, tum ẽt gloriã, alteri uero de congruo. Sicuti Stephanus meruit Paulo, & Moses sępe merebat̃ populo: & Christus in euãgelio uidens fidem illorum qui offerebãt paralyticum, dixit ei. Confide fili. Remittuntur tibi peccata tua. Vbi ait glossa. Pensate fratres quantum ualet apud Deum fides propria, cum tantum ualuit fides aliena. Sicuti & cæli ciues impetrare etiã solent nobis bona. Nam quæ dementia est, eos qui sunt in gratia & amicitia Dei, negare, quo minus possint nonnũquàm apud diuinam maiestatem pro illis intercedere, quos in Deo ipso diligũt. Hoc autem genus meriti dicitur de congruo, ex eo, quòd nulla est statuta lex, ut quicquid iustus Deũ in fauorem alterius precatur fiat. Ait. n. per Hieremiã. Si steterit. n. Moses & Samuel corã me, non est anima mea ad populum istum. Quare solus Christus potuit alijs mereri de condigno: homo aũt meretur alteri gratiã, nõ cui conferat̃ sine proprio actu, aliàs non quilibet reportaret secundum propria, prout gessit in corpore, ut ait Paul. sed potest amicus amico mereri bonum motum, & conuersionẽ in Deum. Quapropter nullatenus consentirem cum illis, qui. 4. sent. d. 4. existimant, parentes aut baptizantes posse mereri paruulo portionem aliquã gratiæ: nã gratia baptismi omnibus confertur æqualis, nisi ꝓpter maiorẽ suscipientis dispositionẽ. Quæ tñ in paruulo esse non põt. Sed huic disputationi non patet hic locus.

Põt quis alteri mereri pri. gratiã.

Hiere. 31.

Quo rñdetur ad aduersarioꝝ argumenta. cap. 9.

Primũ argtm̃ Lutheranorum.

PRimum argumentum, quod cõtra operum meritum Lutherani nobis obijciunt, conficiũt ex illo Pauli ad Roma. ubi docet, quòd eo ipso, quòd sumus filij, sumus etiam & hæredes. Filij autem

sumus per primam gratiam absque nostris meritis, ut nos ipsi confitemur: ergo & per ipsam habemus ius regni. Unde repugnat inquiunt, quòd non mereamur primam gratiã, mereamur autem uitam æternam. Id quod uel ex eo maxime

Rñsio. confirmatur, quod dixerat cap. 6. Stipendium peccati mors, gratia autem Dei uita æterna. Si enim uita est merces bonorum operum, sicut supplicium est stipẽdium malefactorum, uti dixit, Stipendium peccati mors, dixisset, Stipendium uirtutis uita æterna. Ad hoc tamen in promptu prima est respõsio, quòd esto per primam gratiam efficiamur filij & hæredes, nihil tamen obstat, quo minus possimus incremẽta mereri, & gratiæ, & gloriæ, tanquàm membra Christi in quæ eius deriuatur uirtus, cui cooperatur liberum nostrum arbitrium. Iuxta illud Augustini ad Paulinum, Ipsa gratia meretur augeri, ut aucta mereatur & perfici: comitante, non ducẽte: pedissequa, non præuia uoluntate. Quo & multiplicatio alludit euangelica talentorum. Qua responsione satis rei fecisse putabunt, illi qui non penitius inspexerint cõcursum nostrarum dispositionũ ad gratiam. Nam de sententia S. Thomæ, & aliorum qui oculatius hoc perscrutantur, secunda adhibetur respõsio. Scilicet, quòd quàmuis per primam gratiã efficiamur hæredes regni, nihilominus dispositiones: puta actus fidei, spei, & pœnitentiæ (qui est charitatis) licet nõ sint ipsius primæ gratiæ merita, tamen per eandem gratiam, eodem modo informatæ sunt merita gloriæ. Unde per gratiã quam nõ meremur, acceptamur ad gloriam, quam per eandem gratiam meremur. Etenim quia gratiam recipimus opera sunt meritoria, & inde acquirimus ius regni. Eodem enim temporis puncto, quo gratia infundit͂ operatur. Non est hic sermo de gradu gratiæ, qui est effectus sacramenti. Atque hoc

Aug. pacto exponit Aug. gratiam Dei esse uitam æternam. Primo in epistola ad Sixtum. 2. quæ est. 105. tractans eundem locum Pauli, Stipendium peccati mors, &c. Præmiserat enim prius, quòd qui liberatur a peccato, non potest sua merita iactare propter quæ fuit liberatus, Unde subiuncta hac interrogatiõe. Nulla ne igitur sunt merita iustorũ? respondet. Sũt plane, quia iusti sunt. Sed ut iusti fierent, merita non fuerunt.

Ecce

Ecce negans merita ante gratiam, cōcedit in gratia. Atq; inde paulo post colligit hæc uerba. Vnde & ipsa uita æterna, quæ utiq; in fine sine fine habebitur, & ideo meritis præcedētibus redditur: tamen quia eadē merita quibus redditur, nō a nobis parata sunt per nostram sufficiētiam, sed in nobis facta per gratiam, etiam ipsa (scilicet uita æterna) gratia nuncupatur: non ob aliud, nisi quia gratis datur: nec ideo quia meritis non datur, sed quia data sunt & ipsa merita, quibus datur. Et ideo ait Paul. Stipēdium peccati mors, gratia autem Dei uita æterna: non quòd uita æterna non sit etiā stipendium iustitiæ, ꝓcedentis ex fide, quia sicut merito peccati tanq; stipendium redditur mors, ita merito iustitiæ tanq; stipēdium, uita æterna. Vnde etiā & merces appellatur plurimis sanctarum scripturaꝵ locis. Hæc Aug. Et subdit, quòd ne homo gloriaretur de suis meritis, acsi non accepisset, dixit beatus Aposto. Gratia Dei uita æterna. Eandem repetit sentētiam de gra. & lib. arbi. cap. 7. Non ergo negandum est, opera iustorum uere esse merita, quorum merces, stipendiumq; est uita æterna, sed id confitendum, quòd non essent merita, nisi qu[illegible] sunt obsequia libera illius qui per gratiā Dei iustus est antequàm haberet merita. Et ita intelligendum est, quòd aduersarij nobis obijciunt ex libro contra epistol. Pelagia. & alijs locis, quòd omnes iustitiæ omnium sanctorum Christo debentur, quare non sunt in se laudandi, sed in domino. Iuxta uocē Dauid, In domino laudabitur anima mea: &, Gratia Dei sum id quod sum. ¶ Aliud tamen po[illegible]t argumentum ducere, primo aspectu ualidius, ex illo Dauid, de Deo loquentis cū anima sua, Qui coronat te in misericordia, & miserationibus. Vbi coronam ipsam iustitiæ, quam ait Paul. sibi esse repositam, appellat Dauid misericordiam, & miserationem: & Iacob. Iudicium inquit, sine misericordia illi qui non fecit misericordiam. Vbi ostendit, quòd corona iustorum est iudicium ex misericordia. Ex quo uidetur consequens, illā non esse debitam meritis ex iustitia. At uero rn̄sio, interpretatioq; Augustini de correptione & gra. cap. 23. satis superq; est ad rem hanc explicandam, obstruendaq; ora contra loquentium. Ait enim, misericordiam Dei semper adhærere iu-

Secūdū argtm̄.

Iaco. 2.

Rn̄sio August.

NNn

stis,siue cum conuertuntur,siue cum præliantur,siue cum coronantur. Nam quia merita ipsa ex gratia Dei procedunt,corona iustitiæ quæ redditur meritis, misericordia nũcupatur. Et hæc pariter interpretatio coaptatur uerbo Apostoli ad Titum. Non ex operibus quæ fecimus nos,sed secundum suam misericordiam saluos nos fecit:ut saluos fieri,non solum referatur ad primam gratiam qua iusti efficimur, sed ad gloriã. Ea enim per iustitiam redditur meritis, quæ per gratiã Dei fecimus:ut hic etiam in unum coeãt misericordia,& iustitia. Atq; exhinc relucet glossa alia eiusdem Augustini in enarratione illius Psalmi,Non intres in iudicium cum seruo tuo domine,quia non iustificabit̃ in conspectu tuo omnis uiuens. Hunc.n.locum opponunt etiam nobis,ad quem licet iã cap. 5.responsum a nobis sit,quòd non possumus cum Deo sicuti mercenarius cum patrono suo intrare in iudiciũ,perinde petentes præmium,acsi nos prius dedissemus ei:scilicet,acsi ipsa opera nostra,nostris nos uiribus exhiberemus,& non potius ipse præueniẽs dedisset nobis,uelle,& operari,quare exprobrare nobis posset,quid ad iudicium meum adfers,quod non accepisti,& si accepisti,quid gloriaris, acsi nõ acceperis: Hoc tamen non obstante,debetur merces meritis nostris tanquàm membrorũ Christi. Deberent ergo Lutherani ab illa calumnia cessare,ubi aiunt,tantum misericordiã, & gratiam Christi nos confiteri in primo puncto iustificatiõis. Deinde uero nostris operibus absq; eius misericordia confidere. Sane cum explicatissime ~~misericordiam Dei~~(ut ait Aug.)a prima inspiratiõe,qua bene incipimus cogitare usq; ad supremam retributionem misericordiã Dei nobis inhærere. Sed tamen discernimus(quod ipsi deberent)misericordiã præuenientẽ, adiuuantem,& præmiantẽ. Seu gratiam,operantem, cooperantem,& coronantem. Sed subsequitur confestim uerbum

Rom. 8. aliud Pauli,ad quod nobis respõdendũ restat. Ait enim, Nõ sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriã, quæ reuelabitur in nobis. Vbi manifeste loquitur de his quæ patiuntur illi qui iam sunt filij & hæredes regni,de quibus dixerat,Compatimur ut conglorificemur: & ideo uidet̃,quòd neq; quatenus procedunt ex gratia,habeant rationem iusti-

tiæ. Aliqui glossant, non esse condignas ea ratione, qua procedunt a libero arbitrio. Sed hoc profecto non satis exprimit intellectum Pauli: nam illa ratione manifestum erat, non esse alicuius meriti. Et Paul. nō discernebat liberum arbitrium a gratia: sed illa opera filiorum Dei, esto fiant per liberum arbitrium motum a Deo, negabat esse digna futuræ gloriæ. S. Tho. respondet, quod intelligit, si consyderentur secundum suam substantiam. Et profecto ita sensus habet. Opera enim, etiam qua ratione procedunt ex gratia, si consyderentur ex parte obiecti (hoc est enim secundum substantiam) ut pati famem, sitim: elargiri stipem pauperi, dare itaq; potum aquæ frigidæ, etiam si adiungas quoscunq; interiores cultus, quos homo potest, non sunt æquabilia opera aceruo illi æternorū bonorum, qui nos manet in patria, uti optime ait Ber. 1. ser. de annunci. Attamen ex lege statuta Dei conuenientis cum cultoribus uineæ suæ ex denario diurno, dignitatem induunt, et iustitiam ad æternum præmium. Vnde alibi. Id inquit, quod in præsenti est momentaneū, & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operaẗ in nobis. ¶ Aliud quod inuincibile (ut aiunt) adferunt testimonium, est illud Lucæ. 17. Cum feceritis omnia, quæ præcepta sunt uobis, dicite, serui inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus. Sed profecto quicquid ipsi reclament, multo id significantius possumus nos regerere in suam quam tuentur solam fidem. Scilicet, cum credideritis quæcunq; dicta sunt uobis, dicite, serui inutiles sumus. Nam ita ait Paul. Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autē non habuero, nihil sum. Quam ipsi sententiam eludere aliter nequeunt, quàm fingendo nouam quandam elusoriā fidem, quam satis supra labefactauimus. Sensus ergo legitimus est S. Thomę, & aliorum theologoꝝ: sane qui eruitur ex notione ipsa, utile, est huiusmodi. Ille seruus est domino utilis, cuius opera accrescit domino lucrum: qui tamen sibi lucratur inutilis est domino. Deo autem qui nostrorum bonorum non indiget, nihil agitur utilitatis ex operibus nostris, sed gloria tantum & honor. Et ideo opera ipsa iustitiæ, licet sint a nobis ex lege debita, tamen quia per liberam obedientiam illa pro-

[Margin: S. Tho. — Cū feceritis & Lucæ. 17. — Retorsio argumenti. — Vera glossa.]

pter honorem & gloriam eius exhibemus, merita sunt apud suam maiestatẽ, qui in hoc illa nobis præcepit, ut gloriã dilataret suã. Atq; hæc est usura quam in parabola euãgelica exigit Deus de multiplicatis talentis: nam utilitas seruis ipsis accrescit. Igitur ne homines glorientur aliquid contulisse in Deũ, cuius ipse indigebat, admonemur, ut agnoscamus nos seruos inutiles: nam facientes præcepta Dei, nihil aliud agimus, q̃ quod debemus: id est, quod ex re nostra est. Et præterea uirtutem, & potestatem recte agendi, Deo etiam ipsi accep-

Melan. ptam referre debemus. Postrema autem Melanthonis uerba in apologia huius articuli, lepidũ erit audire. Nec nos inquit aliquam ociosam subtilitatem hic affectamus (scilicet negantes meritum condigni). Sunt enim clarissimæ causæ propter quas hęc disputamus. Etenim si largiamur aduersarijs, quòd opera mereãtur uitam æternam, mox adtexent illa absurda, quòd opera legi Dei satisfaciant, quòd nõ habeant opus misericordia, quòd simus iusti propter opera nostra, & nõ propter Christum, &c. Igit̃, bene cernitis operum merita, nisi q᷑ tanquàm incorrupti censores fidei, opinantes nos in unum extremum impingere, uultis ipsi in cõtrariũ deflectere: haud consyderãtes regulã illam Aristotelis, quòd peccanti in unã partem, inclinandum est in alteram, ita esse intelligẽdam, ut inclinatio non excedat lineam ueritatis & uirtutis. Præterq̃ q᷑ neq; recte opinamini absurda illa quæ uos fingitis, quo-

Epilogus. quo pacto subsequi ex nostra assertione. Sed uos estis, qui de operibus obloquimini, sane qui contenditis ante iustificationem omnia esse praua, in iustificatione, nulla esse necessaria: post iustificationẽ, neq; legi satisfacere, neq; ad luendas, quæ pro peccatis debentur pœnas, quicq̃ ualere, neq; ullo esse pacto merita uitæ æternæ. Qua quidem rõne impossibile aliud est, q̃ quòd populos uestros prætextu efferendæ fidei indormientes reddatis, atq; operum negligentissimos.

De certitudine fidei aduersus Lutheranos. Cap. 10.

QVanta, qualisq; sit in iustificato per gratiam, diuinamq; opem facultas seruandi legem, satisfaciendi pro pœnis remissorum delictorum, promerẽdi denicq; uitam æternam, quæ prima erat pars libri hu-

ſus,quoad ſatis pro modulo noſtro uiſum eſt,ptractauimus. Subſequit̄ ergo iuxta præfatam in fronte diuiſionē,ut in hac ſecūda parte de certitudine gratiæ dicere proſequamur. De quo quidem articulo non ſolum cum Lutheranis, ſed cū nō-nullis catholicis certamen nobis exiſtit. Sane a quibus magnum nobis fuit negotium exhibitum,contendentibus,poſſe,deberiq́ʒ ſuſtineri,quòd in aliquot caſibus pōt homo certitudinem,etiam fidei,habere ſuæ cum Deo gratiæ, & amicitiæ. Quapropter bipartita erit diſputatio. In hoc enim capite Lutheranorum mentem,aperiemus prius, mox impugnabimus. In ſequentibus idem faciemus contra catholicos. Cū Luthe. & cū catho. Diſtributio.

❡ Quæſtio ergo eſt,utrum ualeat homo citra ſpeciale reuelationis priuilegium de communi lege habere tantam certitudinem,ſe eſſe in gratia Dei,quanta eſt fides catholica. Excluſimus priuilegium,quia nemo eſt adeo mentis inops,qui ambigat Deum hoc poſſe, cui placitum ſibi fuerit reuelare. Quinimo non id tantum de ſacratiſſima uirgine parente ipſius gratiæ largitoris,& de apoſtolis item credēdū eſt,uerum in authenticis Sanctoꝝ hiſtorijs,ut Frācíſci,& aliorum quorundam idem legitur. Sed quæſtio eſt de lege cōmuni. Atqui interrogatio ſolum fit de certitudine,quanta eſt fidei catholicæ: quoniam certitudinem ſcientiæ, quæ annexam habet claritatem, nemo eſt, qui ſuſpicetur,poſſibilem eſſe homini in hac uita de ſtatu ſuo: quandoquidem,neq́ʒ alia myſteria fidei tali ſunt nobis ratione cognita. Neq́ʒ uero per cōtrarium extremum dubitatio eſt ulla,quo minus haberi de hac re ualeat fides, quam citra catholicam aſſequi coniecturis maximis poſſumus,ut poſt fuſius patefiet. Sola ergo conſtituitur quæſtio de certitudine fidei catholicæ,illiuſue ſimili. Et quia controuerſia hæc ex intellectu huius omnino pendet. Fides catholica,ut eſt inter omnes chriſtianos conſtitutiſſimum,eſt aſſenſus certus,& firmus, obſcurus quidem, tamen,cui non poteſt ſubeſſe falſum. Itaq́ʒ eſſe nequeat compoſitio hæc poſſibilis,ut quiſpiā aſſenſu fidei ſibi hēat pſuaſum aliquid, quod ſit deceptoriū. Quinimo in hac certitudine ſcientiā ipſam ſuperat,q̃uis ſecundū claritatem ſit inferior. De iſto ſuppoſito nulla eſt diſputatio, Quoniā cum fides pſuaſio ſit Dei, ſi per Quæſtionis titulus. Fides catholica.

illam quis falli posset, ipse nos deciperet: quod suæ contrariū est naturæ. Sed quo res fiat adhuc perspicacior, Certitudo ex duobus æstimari potest, uel ex obiecto, uel ex subiecto. Certitudo ex parte obiecti est hæc modo dicta: scilicet, cui dum quis assentitur nequit decipi: seu cuius assensus non pōt esse falsus. Certitudo autem ex parte subiecti, est firmitas assensus illius rei, quam quis sibi persuadet, omni depulsa dubietate propter sibi apparentem ueritatem. Quæstio autem præsens non litigatur de certitudine ex parte subiecti. Quo tamē pueri li errore nonnullos laborare uidimus inter disputandum. Nemo enim dubitat, quin possit quis ex leuitate tam firmum habere assensum, & iudicio suo tam certum de re falsa, quàm christianus habet de fide catholica. Quinimo hęretici omnes suorum errorum, quos catholicas existimant ueritates, tantā habent certitudinem, quàm nos articulorum fidei. Sed dubitatio est de certitudine ex parte obiecti, utrum eā quis possit habere, se esse in gratia, ut talis assēsus esse nequeat falsus, magis quàm si esset catholicæ fidei. Sum equidē certissimus, q̃d cui hæc perspecta fuerit explicatio, parū sit quæstio hæc difficultatis allatura. At uero quæstio potest habere præterea duos sensus: primum secundū pręsentem statum: an nunc, scilicet, sit quis in gratia: alterum, an possit habere certitudinem perseuerātiæ usq; ad finem uitæ, & assecutionem gloriæ. De hoc secundo dicemus post: nunc autem de primo statuitur in dubitata negatiua conclusio. Nemo pōt adeo esse certus suæ propriæ iustificatiōis, quàm est christianus de articulis fidei. Huius ratio est talis, ut q̃ sumus diffusius explicaturi, breuiloquio perstringamus. Certitudo huiusmodi, quòd quisq; sit in gratia Dei, ex duobus pendet: utpote ex firmitate diuinæ promissionis, quæ est fides catholica, & ex nostra dispositione: nempe si fecerimus illa, quæ a nobis ipse requirit: huius autem secundi membri fidem habere non possumus, quanta est fides catholica: ergo neq; tantam ullus de communi lege habere potest, quòd sit in gratia. Sunt autem bipartiti, qui repellentes hanc rationem, partem sustinent affirmatiuam. Lutherani enim negant primam assumptionem: scilicet, quòd certitudo huiusmodi dependeat ullo modo ex nostris operibus;

Certitudo duplex.

Hęretici

Duplex sensus.

Conclusio nõsoria.

Bipartitus error

quippe quam solum aiunt: depēdere ex fide, & promissione Dei. Catholici autem negabant secundā propositionem. Cōtendebant n. (utinam nemo iam persistat) ꝙ quàmuis depēdeat ex operibus nostris, habere nihilominus quis potest tantam quandoꝗ certitudinem, uel suæ dispositionis uel suscepti sacramenti, quanta est orthodoxæ fidei. ¶ Vt ergo a Lutheranis exordiamur, certitudo ipsis gratiæ filia est suæ illius commentitiæ fidei, qua sola se fingunt iustificari. Inde enim quod sibi persuaserunt, sola fide: id est, mentis assensione qua uera esse creditur promissio euangelica, ita & misericordiam & gratiam apprehendi, ut ex nullo prorsus opere nostro iustificatio quoquo pacto dependeat, consequens iudicarunt, una eademꝗ certitudine fidei debere nos assentiri, uerā esse firmāꝗ promissionem per Christum, qui mentiri nō potest, & assentiri illam gratiā assequimur. Quare ut sine ulla conditione credere tenemur, Deum esse fidelem, ita & obligamur credere factum ipsum: puta de se unusquisꝗ, quòd obtinet, promissum beneficiū, nullo respectu, rationeue habita suoꝝ operum: aliàs qui id de seipso dubitaret, in eodem aiunt, esset crimine hæresis, acsi dubius esset de firmitate diuinæ promissionis. Quin uero ut lib. 2. uisum est, illam uocant catholicam fidem, qua unusquisꝗ peculiariter, certo credit se consequi remissionem peccatorum per Christum. Vnde inter articulos suæ fidei in confessione Augustana seueritate illa censendi S. conciliorꝝ ecclesiæ aiūt in articulo quinto. Damnant̄ illi qui iubent conscientias dubitare, an consequantur remissionem, & addunt, hanc dubitationem non esse peccatum. Et art. 20. acriter nos increpant, quòd dicentes iustificationē pendere aliquo modo ex nostra dispositione, corrumpimus doctrinā de fide, quoniā non possumus conscientijs firmam consolationem proponere: & ideo iubemur dubitare de remissione peccatorum. Et infra. Si enim promissio penderet ex dignitate nostrorum operum, fieret incerta. Et in apologia Melanthon sua qua solet grauitate. Aduersarij inquit, infœliciter cōsulunt hominibus, dum iubent dubitare, utrum consequant̄ remissionem peccatorum, quomodo in morte sustinebunt se isti dubitantes. Multaꝗ id genus in hanc sententiā conge-

Lutherani.

Cōfessio Augustana.

Melan.

mina, quòd nullam fiduciã collocare in operibus nostris debeamus, sed totam in sola promissione Dei. Idemq; docent in suo Didagmate, folio. 43. Idq; multo latius tractat Caluinus in suo libro de insti. christ. & Bucer. sophistas nos appellat, & hostes ecclesiasticæ reformationis, quia deprauate corrumpimus illud Eccles. 9. Nemo scit an odio uel amore dignus sit: acsi non simus certi de nostra salute. At uero quantumcunq; uel habeant, uel habere se fingant, articulum hunc constitutissimum, certo ego tamen certius habeo, quòd quicunq; mẽtem eorum, & sensa perceperit, incredibilem iudicabit suam hanc sacrosanctã certitudinem. Adeo se statim oculis offert fons, & origo erroris. Neq; est cur hoc loco metuãt sophistas a nobis (quod nobis impingunt) appellatũ iri. Nam si uspiã aliàs hic uel maxime (si hãc mihi modo ueniam dederint) nihilo maiorem scientiam exerunt, quàm intus gerant. Et quia plena huius erroris intelligentia, efficacissima eiusdem erit redargutio, in explicatione potissimum insistam. ¶ Propositũ ergo hic est demonstrare, quòd certitudo quam quisq; habet sui erga Deum habitus, & status, non solum pendet ex diuina promissione per se absolute cogitata, sed ex sua etiã ipsius operum qualitate. Porro aũt hoc lib. 2. cap. 7. propemodũ cõfecimus, ubi differebamus, promissionem nullam esse factã in sacra scriptura in particulari & absolute, huius illiusue recõciliãdi hominis, sed in genere, si crediderint, si sperauerint, si dilexerint, si deniq; pœnitẽtiam egerint: hoc est, si Deo nobis sua numina spirante, assensum cooperãtes præstiterimus: Ex quo palam cõsequẽs fit, certitudinem peculiarem, quòd hic (exempli gratia) assecutus fuerit donum Dei iustificantis, non solum pẽdere ex diuina fide, sed quodammodo ex nostris operibus: non quidem tanquàm ex meritis, sed tãquàm ex dispositionibus ac promotionibus, quas Deus in nobis per nostrum liberum arbitrium operatur. Neq; particularis hęc, est fides catholica, sed generalis illa, quam unã in uniuersum eandemq; tenentur habere omnes, & per quam sunt christiani, quaq; adeo qui carent, infideles habentur. De hac autem peculiari, hæreticus ipse potius est, qui hæresim reputat, dubitare quenq; quo sit loco in conspectu Dei. ¶ Secundum autẽ argumentũ

Caluinus. Bucer. — Sophistæ non sunt Lutherani. — Propositũ disputationis. — Primũ argũm. — Secũdũ argũm.

argumentum,quod illic abcisum & truncũ usq; ad hunc locum reposuimus,ex sua ipsorũ instituitur confessione. Fatent̃ enim iam, ut illic retulimus, nemini beneficiũ recõciliationis impendi,nisi præuia pœnitentia. Nihil ergo de hoc dispute- mus,quia neq; modo nostra interest,illa ne pœnitẽtia, dispositio sit,aut quoquo pacto eã,nec ne. Satis.n.nobis est cõfessio sua. Nimirũ,qđ sit necessaria. Inde quippe hoc pacto existit argumentũ. Nemo absq; uera pœnitentia iustificat̃,quòd aũt pœnitẽtia uera,synceraq; sit offensæ Dei, neq; est articulus fidei,neq; tã certa cognitio:ergo neq; haberi huiusmodi certitudo põt singularis cuiusq; hominis recõciliatiõis. Quin expendamus uerba libelli p eos exhibiti Ratisponẽsis,& pscrutemur,an idẽ ipsi a ueritate conuicti nobiscũ sentiant. Aiunt enim art.5 Cũ renouatio sit impfecta,& hæreat in renouatis infirmitas,tñ docendum est,ut qui uere pœnitent, semper fide certissima statuant,propter mediatorẽ Christum,Deo placere. Et in eiusdẽ loci expositiõe,Buce.ait,quòd articulus ille solũ pœnitentibus,& uere pœnitentibus,& habentibus fidẽ uiuã,præcipit,statuere fide certissima,se assequi gratiam. Hic precor attẽti sint legentes oẽs,quemadmodũ isti,qui ex principio tam a nobis diuerso,controuersiã hanc submouerũt, q̃ iam solis differentes uerbis nos deludant. Quis dubitat,quin uere pœnitentes,habentesq; fidem uiuã,salutem per Christũ obtineant. Quisnã autem sit uere pœnitens,habeatq; fidẽ uiuam,hoc est,quod nos dicimus,nõ posse certitudine fidei catholicæ deprehendi,uide amphibologiã. Aiunt, certum esse per solum mediatorẽ Christum oẽs iustificari. Si intelligant, quotquot iustificant̃,per ipsum iustificari,id omnes fatemur, tanq; fidem catholicam. Si uero ita intelligant, ut sit certum hos uel illos modo iustificatos esse,de hoc terq;,quaterq; pernegamus certitudinem haberi fidei. Nam quàmuis iustificatio opus sit Dei absq; nostris operibus:id est,absq; merito nostrorum operum, non tamen est absq; illis omnino. Quandoquidem,ut ipsi fatẽtur,nisi uere pœnitentes,diuinum hoc beneficium neutiq; consequãtur. Exemplũ est in expositione Augustini. Deus uult omnes homines saluos fieri. Ait.n. distributionẽ esse accõmodã:scilicet,ut quotquot saluant̃,sal

Libel. Ratispo.

Buce.

Amphibologia.

Aug.

uentur per Christum: nō autem quòd simpliciter omnes saluentur. Et secundum aliam expositionem, quam lib. 1. uerissimam etiā arbitrati sumus, cōmodius forte est exemplum. Ita enim Deus omnibus promisit, optat, & intendit salutem, ut per ipsum non stet, quo minus consequantur omnes. Nihil tamen repugnat, quo minus multi non saluentur. ¶ Tertium argumentum, erroris huius expositorium est. Quàmuis nulla opera nostra bona, necessaria essent ad nostrā iustificationem, tanquàm causa uel dispositio, uel diuinæ motiones, saltem ea quæ praua sunt, obstaculo essent gratiæ Dei, an uero in aliquo iniquo opere, autq̄ saltem cogitatiōe perseueremus, habere nemo pōt certitudinem fidei catholicæ: ergo neq; certus esse quispiam potest diuinæ in se existentis gratiæ. Hoc argumentū est, quo maxime depromitur error hic cū prole sua, si bene optime lector animaduerteris. Lutherus enim, ut est uidere arti. 14 suarum assertionum, acute prospexit, non posse sustinere certitudinem gratiæ, nisi consequenter docendo, quòd qualiacunq; sint opera nostra, per solam nihilominus fidē certi sumus, non imputari nobis peccata: & ideo ait. Nemo debet respondere sacerdoti, se esse contritum, neq; sacerdos requirere. Quoniam Paul. aiebat, nihil sibi cōscium esse: neq; in hoc iustificatum esse: & in Dauid, Delicta quis intelligit: ergo etiam si opera nostra peccata sint, nihil hoc debemus perscrutari, quia per fidem illa nōs imputabuntur peccata. Nō enim qui seipsum commendat ille probatus est, sed quem Deus commendat. Hæc ille. Obserua ergo candide lector, quòd assertores certitudinis gratiæ nō solum negant iustificationem dependere ex operibus, tanquàm ex dispositionibus, sed etiam impediri posse per peccatum. Aliàs cum certi haudquaquàm simus, saltem certitudine fidei, qualia sunt nostra opera, maxime ubi aliqua ignorantia uincibili laboramus, non possemus esse certi status nostri. Tecum ergo Bucere inire hunc cupio sermonem. Hæc tua de nobis querela est in hac concordantia certitudinis gratiæ, quòd ut sophistæ & reformationis hostes imponamus uobis, quòd doceatis homines, quàmuis impure, sceleratecq; uiuant, tamen debere statuere, se per Christum Deo gratos. Sed nunquid non ita res

Tertiū argūm.

Luther.

Buce.

habet? Nonne quod modo faciebamus argumentū ita conuincit? Num & Luthe. loco citato, & in de liber. christ. & alijs locis, ut lib. 2. cap. 5. citauimus, ita affirmat, quòd qualiacūq; sint opa nostra, dum modo fixa, firmaq; sit fides, certi sumus salutis nostræ? Sed & tu ipse in cōmentarijs sup. 2. cap. ad Roma. nonne ita expresse doces, quòd cum nostra opera, omnia incerta sint, immo ex se nihil sint, nulla eorum habenda est ratio? Aliàs quomodo sustinebitis certitudinem gratiæ? Quin uero in eadem concordantia explicando tuam certitudinē, ais, quòd cum nemo in hoc seculo omnem semper dubitationem de salute sua, & paterna cura sui quā Deus gerit, excludere possit, & hæc dubitatio uitium, & peccatum sit, enitendum certe unicuiq; christiano est, cum fideli promissionum Dei consyderatione, tum iugi pro fidei incremento precatione confirmare suam fiduciam. Audi temetipse. Non solū ais, quòd etiā præsente peccato certi sumus gratiæ per fidem, uerum quòd cum nemo possit carere peccato dubietatis, certus est tamen homo illud peccatum contegi per fidem. Et idē ait in apologia augustana, sodalis tuus Melanthon. Quomodo ergo hæc cohæreant tu uideris, ut homo sine dubitatione, an sit in peccato esse nō possit: imo sine manifesto peccato: siquidem dubitatio ipsa peccatum est, & tamen certus sit, per fidē non imputari sibi peccatum. Cum tamen fides ipsa doceat, q Deus odio habeat peccatum, & quòd non parcat delinquenti: id est, duranti in peccato. ¶ Sed ad maiorem huius contradictionis explanationem, quartum informemus argumentum. Statuamus hic hominem, qui diu hæserit in aliquo uitio: puta, qui odia exercuit, uel concubinam habuit, cuius prauitatis cogitatus identidem in memoriam recurrunt, uel hominem quem ambitio, uel quiuis alius reprobus affectus deuexat, adeo ut dubium illi injciat, utrū cupiditates illas, quæ altissime esse solēt uisceribus infixæ, stirpitus auulserit ex corde, atq; adeo ea ratione qua offensa sunt Dei, quòd ad ueram pœnitentiam requiritur, an nequaquàm propter Deum, sed solum propter temporarios respectus se abstineat. Huiusmodi pauidas (ut uos uocatis) gerentes conscientias, quin uero (ut ego existimo) meritissimo dubias, id duntaxat admone-

Quartū argtm.

tis, ut satagant in fide se contra hos pauores obfirmare, & asserere: cum apostolis deprecãtes, adauge nobis fidem, & confidentes, per illa uniuersa contegi peccata, nullo habito respectu operum. Ita enim in libello imperatorio ar.5. docetis. Sed quid hæc est, si contradictio non est, & aptissima uerborum repugnantia? Quõ enim põt fides certum hominem facere, se esse in gratia, nisi omnino tollẽdo dubitationem, quæ ex diametro pugnat cum certitudine? Quod si ita est, non solum ex fide promissionis pendet certitudo, sed etiam ex operibus & affectionibus nostris. Quapropter pugnantia sunt, quòd dũ existit dubitatio, fides nos faciat certos. Eo uel maxime quòd aliam hic uos falsitatem adiungitis: scilicet, dubitationem ipsam, peccatum esse. Profecto S. Patres aliter nos commonefaciunt turbulentas consciẽtias sedare: puta non quasi pugnãdo cum laruis, & corde repetendo, credo, & confido: sed certe ut occasionibus malorum ante omnia præcisis, precibus insistamus apud Deum, qui nobis opem ferat, nosque ipsi nihilominus studiosis exercitijs operam demus: quibus extenuato metu, certitudo in nobis adolescat, cõfidẽtibus, per Deũ non stare, quo minus ab omni malo liberemur. Fides. n. illa quã augeri in se petebant apostoli, nequaquàm pertinet ad fiduciam conscientiæ: sed ad reuelationem illorum mysteriorũ, quæ Christus illis annũciabat. De qua statim subdit ipse Redemptor noster. Si habueritis fidem sicut granum synapis, dicetis huic arbori moro, eradicare, & transplantare in mari, & obediet uobis. Quin uero hic lectorem iudicem appello, quàm isti easdem scripturas in contraria sensa distrahant. Vbi ait Paul. Si habuero fidem ita ut montes transferã, charitatem autem non habuero, &c. ne fateri compellantur, fidẽ existere posse sine charitate, dicunt fidem miraculorum non esse quæ iustificat: ubi autem post contendunt, fidem iustificantem reddere hominem certũ amicitiæ Dei, citant, Adauge nobis fidem: quo tamen loco manifestus est sermo de fide eadem miraculorũ, quæ reuera est fides catholica. Vide quomodo eandem fidem quam in uno loco negant esse ueram, in alio concedunt non solum iustificare, sed huiusmodi facere certitudinem. ¶Hic proxime subsequitur quintum ar-

Adauge nobis fidem.

In cõtraria sẽ. distrahunt scrip.

Quintũ argũm.

gumentum aduersus istorum assertionem: scilicet, quòd non solum potest homo, uerum omnino tenetur quisque credere se esse in gratia. Ad ea quæ naturalia sunt, nemo obligatur. Sed quòd dubitatio in homine insurgat, & metus, quo statu sit apud Deum, est res naturalis, in his maxime, qui uel perdite aliquando uixerunt, aut uehementes patiuntur incursus dæmonis, mundi, uel carnis: ergo huiusmodi dubitatio non est peccatum. Quin uero nonnunquàm illa exurgit ex naturali hominis complexione. Sunt enim quibus parum est sanguinis, qui ideo, sicuti in rebus alijs, ita & in hac parte sint meticulosi. Adde quod sæpenumero expertum habemus, homines probatæ uitæ, quo maiorem adhibent curam expurgandæ conscientiæ, maiori sunt, uel in metu, uel in scrupulo, ut expresse ait Ber. in ser. de quatuor modis orandi: iuxta uerbum Gregorij, ibi uerentes culpam inesse, ubi culpa non est: quomodo ergo talis dubitatio peccatum esse potest? ¶ Veruntamen sextum argumentum est, quod in ultimis comitijs Ratisponensibus magnum Bucero negotium exhibuit. Arguebat enim collocutor Maluēda Hispanus, doctus quidem, ac disertus, quòd si fides iustificans reddit hominem certum suæ adeptæ iustificationis, fit, ut quouis peccato mortali amittatur fides, atque ita amittatur, ut quocunque peccati genere fiat homo hæreticus, denegans totam fidem. Nam si fides maneret cum peccato, deciperet, certificans, peccatorem esse in gratia. Hic autem iudicatus Buce. est liberalior, ac munificentior iusto: sane qui concessit consequentiam, & consequēs, ad quod non cogebatur. Enimuero licet quæuis mortalis culpa excluderet fidem, quam ipsi censent fiduciam, non tamen deleret omnes assensus fidei, quos homo habet scripturæ sacræ, quorum negatione, aut dubitatione fit hæreticus. At uero hoc profecto saltem euincit argumentum, quòd quicūque peccat mortaliter, amittit totam ueram fidem. Nam illa fides historiæ (ut isti uocant) non est illis uera fides, eo quòd admittere secum potest peccatum. Si autem omne peccatum mortale excludit ueram fidem, profecto uehementer stringit argumentum, quocunque peccato mortali fieri hominem hæreticum. Nam quis rogo alius hæreticus est, quàm

Argūm sextum.

qui non habet ueram fidem? Et ideo compelluntur dicere, existentem in peccato nõ credere articulis fidei uera fide infusa, sed acquisita, ut nos dicimus de hæretico in aliquibus articulis, credente alios. Quòd autem argumentũ in rei ueritate cõuincit, est, illam suam fidem, & fiduciã specialem non esse de substantia fidei: utpote cuius priuatio non constituit hominẽ

Argũm septimũ.

hæreticum. ¶ Sed aliter potuisset in colloquio institui argumẽtum, quòd sit hic septimum. Postulamus enim ab istis, an possint esse peccata mortalia, quæ procedant ex ignorantia, an scilicet ita possit quis esse affectus, ut si sciret esse peccatũ quod facit, nunquàm committeret: nihilominus ex ignorantia faciens peccat. Nequaquàm poterunt postulatum hoc nobis denegare, adeo receptissima est illa diuisio peccatorũ ex ignorantia, ex passione, & ex malitia. Et Paul. ait, dignum se fuisse misericordia, quia ignorãs fecit. Et transfigurat se nõnunquàm Sathanas in angelum lucis. Et hæretici & nõnulli usurarij, & quàm plurimi hoc modo peccant. Quinimo & ignorãtia per se ipsa peccatum est, ut in hæretico. Demus ergo hominem cum illa certitudine gratiæ quam isti fingunt, qui aliquid committat peccatum mortale ex huiusmodi ignorãtia, deceptus specie boni. Huic nihil certitudinis extritum est, aut diminutum, sed ita certo credit, se esse in gratia, sicut antea: nã putat se præstare obsequium Deo: & tamen decipitur: ergo hoc quod est hominem esse in gratia, non est ueritas infallibilis, quam supra nominauimus certitudinẽ ex parte obiecti: atque adeo neque potest huius haberi certitudo fidei. Siquidem ex parte subiecti potest certitudo eadem manere quando res est falsa. Quis dubitat, quin tam firmo assensu roborati adhæreant placitis suis anabaptistæ, quàm sacramentarij, tanque isti credant certo se esse in gratia, quàm reliqui Lutherani: atque & illi, quàm nos? Et nihilominus euidẽtissimum est, aliquos

Bucer.

falli: siquidem diuersa sentimus. At uero solutio Buceri erat illic egregie festiua: scilicet, quòd fides facit hominem certum se esse in gratia, quando habetur per motũ spiritussancti. Ecquis hoc unquàm dubitare potuit? Sed tamen quãdo ille motus sit a spiritu sancto, de hoc dicimus, non posse haberi certitudinem fidei catholicæ. Nam etsi nonnunquàm testimoniũ

fui faciat ubi habitat,non tamen uel euidēs,uel tam certum, quàm est fides catholica:ut infra inter diluendum obiecta fusius dicet̃. ¶ Octauum utiq; argumentum,contra illud facit, quòd aiunt,certitudinem gratiæ solum corroborari ex fide, neq; ullo modo augeri ex operibus. Pugnat quippe hoc dogma cū communi sensu. Quis enim adeo sit delirus,ut negare possit,eum qui totam uitam innocenter transegit, maiorē habere conscientiæ tranquillitatem,& securitatem,atq; adeo certitudinem gratiæ,quàm illum qui postquàm perditissime uixit,per motum fidei credit,& fidit,omnia sibi cōdonari scelera,& flagitia? Atq; ex duobus qui ex inquinata, scelestaq; uita resipiscunt,ecquis sanæ mentis dubitet,quin ille qui pluribus pœnitentiæ fructibus scelera sua expiāda curauerit,certior illa ratione fiat,suæ salutis,quàm ille qui tantum a peccatis cessauerit? Insimulant nos illi,criminanturq; huius iniquitatis,quòd iubemus pauidas conscientias dubitare. Sunt tamen ipsi qui uanissima securitate lactāt peccatores, sane quibus,licet sceleratissimis sint moribus,nihil aliud consulunt,q̃ cauere deinceps a peccatis. Quia Christus nihil aliud dixit, quàm,uade,& amplius noli peccare. Nos autem: ecclesia inquàm,ut sumus certissimi,quòd ubi quis primum ab iniquitate animum dimouerit,gratiam Dei obtinet. Tamen quia nemini est certum certitudine fidei,an uere cor prauum reliquerit,consulimus,ita fidendum esse misericordiæ diuinæ,ut tamen homo per exercitium bonorum operum certā faciat, ut ait Pet. uocationem suam,atq; adeo certior in dies fiat suæ salutis. Nam Christus non nisi seruantibus mandata promisit uitam: &,Qui diligit me inquit, sermonē meum seruabit, Et exhibere nos iubet Paul. membra nostra seruire iustitiæ, sicut exhibuimus,ut arma iniquitatis, seruire immunditiæ. Neq; in Ecclesiastico solum habet̃, Fili peccasti,non adijcias adhuc,uerum addit̃, sed & de pristinis deprecare,ut tibi dimittant̃. Non ergo sufficit a peccatis cessare ad constabiliendam certitudinem nostræ salutis,sed ex operibus confirmanda est certitudo. Vnde ad Corin. Paul. Gloria nostra,hęc est, testimonium conscientiæ nostræ: ergo nisi quieta consciētia, certitudinem habere non possumus, Ob idq; nescio qua frō-

Argtm̄ octauū.

Testimonia scripturæ.

te aiunt isti, quòd ubi conscietia pungit, nihil aliud debemus illi opponere, quàm fidem Christi. Non enim hoc est, quod sentit ad Cor. Paul. ubi ait, Vosmetipsos tetate fratres si estis in fide: scilicet, in fide uiua: nam de mortua habere possumus certitudinem. Et quo semel finiamus, uidentur mihi isti, qui sola fide aucupanť certitudinem gratiæ, illi, quibus ait Ioã. Filioli non diligamus uerbo, neq; lingua, sed opere, & ueritate. Nam quid est diligere uerbo? nisi perseueranter dicere, credo, & confido. Et subdit. In hoc enim (scilicet, quia opere diligimus) cognoscimus, quòd ex ueritate sumus, & in conspectu eius (scilicet Dei) suadebimus corda nostra. Et sequiť. Quoniam si reprehenderit nos cor nostrum, maior est Deus

1. Ioan. 3.

Bucer. corde nostro. Ita Buce. & reliqui callide detruncant hanc authoritatem, ut in sinistrum detorqueant sensum: puta, quòd ubi conscientia accusat, nihil aliud debemus illi obijcere, q̃ fidem Christi, qui maior est corde nostro. At uero quàmuis meticulosis hominibus, aliàs probis, & timoratæ consciẽtiæ, quinimo uniuersis saluberrima sit meditatio misericordiæ Dei, hoc tamen loco diuersissimus est sensus Ioannis, ut patet ex subiunctis uerbis. Si reprehẽderit nos cor nostrum, maior est Deus corde nostro, & nouit omnia: id est, ubi reprehenderit cor, timendum est, quòd Deus, qui melius quàm cor ipsum nostrum, nouit omnia, æquius nos reprehendat. Vnde illico sequitur. Charissimi, si cor nostrum non reprehẽderit nos, fiduciam habemus ad Deum, &c. Cum ergo dixerit prius, si cor reprehenderit, deinde, si non reprehenderit, magnum sumitur argumentum, quòd certitudo nostra magnopere confirmetur ex nostra conscientia, quæ dubio ꝓcul

Chryso. ex operibus q̃ maxime pendet. Vnde Chryso. in. 1. cap. Matthæi, Homilia. 5. Ita inquit, unusquisq; nostrum nulla in alia re spem suam, nisi, post Dei misericordiã, in morum sanctitate constituat: & idem ait Ber. in sermone de. 4. modis orandi, tractans miraculũ de sanato paralytico, qui iussus est tollere grabatum suum, & ambulare: inde enim inquit, augeť nostra fiducia, ꝙ sani sumus, si desiderio supernorum surgẽtes, a terrenis eleuãtes corpus uoluptatibus, demus operam, ut anima regat corpus, & non regatur ab illo, & ita operãdo

uiderimus

uiderimus nos proficere. At non opus est in re tam uniuersis recepta, & uoce ipsius naturę notissima, plura uerba prodigere. Sicut enim quisq; de alienis moribus iudicat sanctitatem, & meritum apud Deum, ita & de seipso non potest certiorē habere fiduciam in Deo, quàm quæ ex operum conscientia gignitur. Hoc tamē hic adnotauerim, quòd non est ita proprius, exactusq; sermo christianus, distinguere fiducias duas: priorem remissionis peccatorũ, quæ innititur prorsus soli & unico domino Iesu Christo, & eius meritis, & alteram bonæ cōscientiæ. Nisi sano, dextroq; modo exponatur. Vna enim proprie est sola fiducia, quæ principaliter innititur Christi meritis, & deinde operibus proprijs. Ad hunc sensum, quòd credamus firmiter, gratis a Deo remitti nobis peccata, sine meritis nostris: sed quia iustitia adultis non confertur, nisi nobis cooperantibus, neq; augetur, nisi per merita in nobis ex eodem merito Christi pullulantia, hac ratione ex operibus augetur eadem fiducia. Sed tamen totam tandem reijcere debemus in gratiam Christi. ¶Nonum tandem argumentum, quod ego contra istos, & contra quoscunq; etiam catholicos, asserentes tantam certitudinem gratiæ in persona particulari, quanta est fidei, meditari soleo, sumitur ab experientia. Nunquàm enim hactenus mihi potui persuadere, ut credam quenquàm neq; inter ipsos Protestantes, inuentores huius opinionis, nisi sit uel rudissimus, qui non intelligat, quanta debeat esse certitudo fidei, uel suæ opinionis obstinatione, & peruicacia excæcatus, qui tam certus sit, se esse in gratia, quàm quòd Deus est trinus, & unus, uel Christus Deus & homo. Adeo est discrimen manifestissimum: nimirum hos esse articulos fidei, de quibus nullatenus licet dubitare, sed mortem esse in eorum testimonium oppetendam: illud autem, quòd ego uel ille sit in gratia, non in hoc gradu certitudinis. Vide quàm ingenium meum ab ingenio aduersariorum de hac certitudine gratiæ resilit. Censeo enim ego pro mea exiguitate ingenij, quòd quando nullum aliud esset argumentum, non sola nos fide iustificari, quàm quòd exinde consequere-

Nō sunt duæ fiduciæ.

Nonum argtm.

Nota.

tur, aliquem esse certum, se esse in gratia, ob hoc solum negandum esset, sola fide iustificari: tanta est euidentia, quòd fides neminem facit certum suæ salutis. Et tamen aduersarij peruersa argumentatione, inde potissimum ratiocinantur, sola nos fide iustificari, quòd aliàs nemo esset certus suæ iustificatiõis, adeo habent pro euidenti, quòd quilibet debet esse certus de

Secũdus sensus. sua salute. ¶ Sed ut de secundo sensu huiusmodi certitudinis in initio capitis adnotato, postremum adhibeamus uerbum, non solũ affirmant, quòd possit quisq;, imo quòd debeat certus esse suæ salutis, secundum præsentem statum, sed et quòd possit & debeat esse certus suæ perseuerantiæ usq; ad conse-

Bucer. quutionem gloriæ. Vnde Buce. in concordantia huius articuli, referens illud uerbum Augustini. xi. de ciui. dei cap. xij. ubi ait, quòd iusti de suæ perseuerantiæ præmio certi sunt, de ipsa tamen perseuerantia sua reperiuntur incerti, interpretatur, quòd loquatur de incertitudine, & ignoratione, quæ opponitur scientiæ. Quid amplius disputandum est contra talẽ

Refutatio. interpretem? Rogo te Bucere, quando in primo membro dicit Aug. quòd iusti sunt certi de præmio suæ perseuerãtiæ, de qua rogo certitudine loquebatur, an de certitudine scientiæ? Non poteris hoc affirmare, quia nõ habemus de illo æterno præmio scientiæ euidentiam, sed fidẽ: ergo ubi subiungit negationem, quòd scilicet de ipsa perseuerantia sumus incerti, de incertitudine contraria fidei loquebatur: qm̃ de sciẽtia nulla erat quæstio. Sed quid opus ẽ testimonio Augustini? Vultis ne dicere, ꝙ p fidẽ homo sit certissimus suæ prędestinationis? Vbi nã quæso unq; fides reuelauit alicui suã prædestinationẽ? nisi forsan alicui ex priuilegio. Pau. ubi de illis uterinis

Rom. 9. fratribus, quorũ alterum Deus dilexit, alterũ odio habuit, sermocinat̃, adeo reputat inaccessum mysteriũ prædestinatiõis, ut inde altitudinem diuitiarũ sapientiæ & scientiæ Dei admiretur: & tñ nostri homines uolunt, ꝙ cuicũq; esse possit, et esse

Inuincibile argumẽtũ. debeat certa sua perseuerantia. Sed est inuincibile hoc argumentum in contrariũ, Ille cui Deus reuelaret suam prædestinationem (demus uerbi gratia, sacratissimam uirginem, de qua non est dubitandum, quin talem reuelationem habue-

rit)ille inquàm nullum poteſt habere metum nec minimum: imo credo, ille talis nihili prorſus faceret uniuerſum mundũ, ſed multo eſſet lætior ac firmior, quàm Paul. quãdo dicebat, Viuo ego iam non ego: aut quando dicebat, Quis me ſeparabit de charitate Chriſti. Quod ſi ita eſt, reſpondeant quæſo iſti, quot fuerint experti homines in tanta animi tranquillitate & ſecuritate conſcientię. Qua ergo diſputatio hoc ſecundũ membrum ſpectat, optime ſcriptus eſt in Synodo canon ille 16. ſeſ. 6. Si quis magnum illud uſq; in finem perſeuerãtiæ donum ſe certo habiturum abſoluta, & infallibili certitudine dixerit (niſi hoc ex ſpeciali reuelatione didicerit) anathema ſit. Alias autem condemnationes certitudinis, cap. ſequenti referemus. Synod. Triden.

¶ Multa pro ſe iſti adferunt teſtimonia ſcripturæ, ſed illa cõmunia ſunt, etiam aliis catholicis, qui alia ratione affirmant eandem certitudinẽ, ad quæ idcirco reſpondebimus paulo poſt. Qui uero locus Lutheranis proprius eſt, & peculiariſſimus, eſt ille Roma. 4. Ideo ex fide, ut ſecundum gratiã firma ſit promiſſio. Ita enim interpretant̃ hunc locum, quòd propterea credendum nobis eſt, ſola fide iuſtificari, ut firmã quiſq; fidẽ habeat ſuæ propriæ ſalutis. Crimine ergo ab uno diſce omnes. Promiſſio ſalutis a Deo facta per Chriſtum, nõ uno ſed duobus modis conſyderanda eſt. Primo de promiſſione in genere, qua pollicitus eſt Deus Abrahæ, & deinde p Prophetas, mittere filium ſuum redemptorem uniuerſalem omni credẽti, ſine diſcrimine Iudæi & Græci. Alio modo intelligitur peculiariter de ſalute cuicunq; per ipſum conferenda. De prima ſiniſtre ſentiebant chriſtiani ex iudaiſmo conuerſi, nempe quòd promiſſus ſibi fuerat Chriſtus ob meritũ ſeruatæ legis. Cuius tumorem retundit Paul. & cæcitatẽ depellit, oſtendens, ꝙ neq; promiſſio fuit facta Abrahæ propter aliqua merita legis, neq; datus eſt nobis Chriſtus in præmiũ aliquorum operum totius mundi: ſed, ut gratis, & abſq; ulla conditione facta fuit promiſſio, ita ea ſola cauſa uenit Chriſtus, ut certam faceret promiſſionem, abſq; ullo prorſus reſpectu operum humani generis. Atq; hoc eſt quod tractat illic Apoſt. Non enim inquit, per legem promiſſio Abrahæ, aut ſemini eius, ut hæres eſſet mundi, ſed per iuſtitiã fidei. Et ſub-

Rñſio argumenti in cõtrarium.

Rom. 4.

Impugnatio.

dit. Ideo ex fide, ut secundũ gratiam firma sit promissio omni semini: non ei qui ex lege est solũ, sed et ei qui ex fide est Abrahæ. Nihil ergo hic meminit de certitudine promissionis cuiusque, sed de promissione uenturi Christi, & remissione peccatorum in genere, quæ ex nullo prorsus opere legis pendebat, ut arbitrabantur Iudæi. Aliter ergo cõsyderatur hæc promissio, ut singulis promissum beneficium applicatur, & secundũ hanc consyderationem, præter paruulos, qui iustificãtur ante usum rationis, promissio pẽdet ex operibus cuiusque. Quandoquidem hoc modo non est facta promissio cuiuis absolute, sed sub conditione, si pœnitẽtiam egerimus, si audierimus uocem eius. Nam qui audit, et didicit, uenit ad me. Quemadmodum latissime iam supra explicatum est. Et hæc de certitudine gratiæ cum Lutheranis.

Secũda cõsyderatio ꝓmissionis.

Quo de eadem certitudine gratiæ cum catholicis quibusdam disputatur. cap. II.

DVas prẹfati sumus diuersas uias, per quarum alterutram ingrediuntur, quotquot opinionem certitudinis gratiæ defendunt. Enimuero cũ rei cuiusque cognitio ex suarũ notitia causarũ oriat̃, nemo habere põt assensum firmum iustitiæ suæ & gratiæ apud Deum, nisi qui parem habeat assensum causarũ, et actionum omniũ, quæ sunt quoquo pacto ad iustificationẽ necessariẹ. Ob idque qui asseuerant, posse quenque tantã habere certitudinẽ suæ iustificationis, quanta est fidei catholicæ, id quidẽ hallucinant̃, uel quia cogitant ex nulla prorsus alia re ullo modo pendere eãdem iustificationẽ, quàm ex sola fide catholica, qualiacunque sint opa nostra: uel quia, licet confiteant̃ pendere aliqua ex parte a qualitate nostrorũ operũ, possibile tñ arbitrantur, ut quis tã firmato assensu, tamque infallibili credat se esse ꝑ auxiliũ Dei dispositum, neque obicem ei opposuisse, quàm sumus certi christiani, ueras esse & infallibiles ꝑmissiones Dei. Primus est Lutheranus error, quem capite proximo refellebamus, atque etiã forsan expugnatũ dedimus. Altera est quorundã aliàs catholicorũ opinio, cum quibus modo disputationem obimus. Contra quos statuit̃ hẹc cõclusio. Quãuis possit homo in hac uita prægrãdes habere coniecturas status sui in cõspectu Dei, ut

Conclo catholica.

capite præcedẽti dicere cœpimus, & paulo post amplius explicabimus, nemo tñ, præter speciale reuelationis priuilegiũ, põt tantam obtinere certitudinẽ legitimæ suæ actionis, qua cooperatur mouenti Deo, aut legitimæ receptiõis Sacramẽti, ut æquo assensu iudicet se esse in gratia, illi quo christianus assentitur articulis fidei. In hac cõfirmanda conclusiõe, ꝗuis non me lateat, dignissima, solidissimaq́ꝫ, ac ualẽtissima argumenta ex diuino scripturaꝝ fonte haurienda esse, a rõnibus tñ exordiar, quibus maxime scripturaꝝ sensus aperiť. ¶ At qui ratio prima, quæ contra secundũ hunc modum sustinendi certitudinem gratiæ militat, est ipsa Lutheranoꝝ confessio. Frequentissimum.n. ipsorum, potentissimũq́ꝫ argumentũ est, quo asserunt sola nos fide iustificari, ꝙ aliàs nemo põt esse certus, recepisse beneficiũ remissionis ꝑ Christũ promissæ. Ita.n. intelligũt illud Roma. 4. Ideo ex fide, ut sit firma ꝓmissio. Confitentur ergo, tanꝗ rem euidẽtem, quòd si iustificatio pendet aliquo modo ex operibus, nullo esse modo põt certitudo gratiæ, quanta est fidei catholicæ, quia neq́ꝫ tãta haberi põt cognitio conditionis nostroꝝ operum corã Deo. Et ideo nullũ est excogitabile mediũ asserendi certitudinẽ gratiæ, qđ non recidat in opinionẽ Lutheranoꝝ. Cuius contrariũ contẽdebãt catholici isti, aduersũ quos disputamus. ¶ Secundũ argumentũ est qđ facit S. Tho. 1.2. q. 112. ar. 5. ubi hanc proprie disputat quæstionem. Ad quã respondet trimembri conclusione. Puta, quòd põt huiusmodi certitudo haberi ex priuilegio: non aũt cõmuni lege: tametsi possit homo maximas huius rei habere coniecturas. Et probat secundã partẽ, quã hic cõstituimus, tali rõne. Certitudo nõ põt haberi de aliquo, nisi possit diiudicari per proprium principiũ. Principiũ aũt & obiectum gratiæ est Deus ipse, qui nobis ignotus est: ergo gratiã suam, quãdo hẽamus, certo scire non possumus, Intelligit Deum esse principiũ, per suam gratuitã uoluntatẽ acceptãtem nos ad gloriã, quæ nobis nõ innotescit, nisi ꝑ nostra opa: quæ nõnunꝗ fallacia sunt. Non aũt desunt, qui locũ hunc & rõnẽ S. Th. ita interpretẽtur, quòd loquať tantũmodo de sciẽtia: scilicet, ꝙ nemo possit scire se habere gratiã. Nã sub ijs eisdem terminis proponiť quæstionis titulus, & inter

Prima ratio.

Secũdũ argtm S. Tho.

respondendum interponit exemplum de scientia, quæ procedit ex primis principijs indemonstrabilibus. Et forsan responsio hæc, si sane intelligatur, nihil aberrat a mente S. Tho. sed tamen inde nihilominus comprobatur nostra conclusio. Nã S. Tho. tanquam per se manifestam prætermisit conclusionẽ de certitudine fidei. Nũquàm. n. fuerat suspicatus, ut posset quis unquàm cogitare, quòd reuelatio fidei catholicæ extenderet ad particularem & propriũ statum huius uel illius hominis. Sed neque dubitabat de euidentia sciẽtiæ. Nihil est enim euidẽtius, quàm quòd non põt gratia Dei euidenter cognosci. Et ideo non quæsiuit nisi de certitudine scientiæ, hoc est, cognitionis in genere: utrum tam certo quis posset iudicare se esse in gratia, quanta est certitudo scientiæ. Vbi cum determinat partẽ negatiuam, non solum concludit, quòd non põt esse euidentia (de hac enim non erat quæstio) sed quòd nulla potest esse certitudo cui non possit subesse falsum: unde maiori ratione consequitur, non posse haberi certitudinem fidei catholicæ: quæ maior est certitudine scientiæ. Et quòd hic fuerit sensus S. Tho. inde fit liquidum, quod definit illam præcise haberi posse certitudinẽ amicitiæ Dei quam quis potest ex indicijs & coniecturis uenari.

Tertiũ argũm. ¶ Tertium argumentũ est illud quod iam supra, non uno tãtum loco, informauimus. Habitus non generat assensum, nisi circa suum proprium obiectum (quod axioma est celebratissimũ philosophorum omnium, perinde ac theologorum) obiectum aũt propositum fidei non est, nisi Deus, & illa quæ ad spem nostram pertinẽtia, reuelata sunt in sacra scriptura, uel inde authoritate ecclesiæ deducta & expressa: ergo illorum duntaxat est assensus fidei: at uero scriptura nullibi promittit remissionẽ nisi in genere, Qui crediderit & baptizatus fuerit. Et, Si conuerterit se impius, & c. in particulari autem nusquàm asserit lege communi, hanc uel illam singularem personam sufficiẽter esse per Deum adparatã, neque obiecisse obstaculũ suæ misericordiæ: ergo nemo ualet per fidem catholicam habere talem de se assensum, quòd sit receptus in gratiam Dei. Præter illos qui ex priuilegio talẽ de se

Abrahã & Paul. habuere reuelationem. Vt de Abrahã multi Patres adnotãt in illo uerbo Gene. 22. Nunc cognoui, id est, cognoscere te fe-

ei, quòd timeas Deū: & de Paulo. 2. Corinth. 12. Sufficit tibi gratia mea. Profectò qui agnoscūt cooperationem nostram necessariam esse ad iustificationem, ignoro quo possint colore uim huius argumenti repellere. Nam dicere, quòd habitus infusus fidei catholicæ extendat, exeratq; sese ultra lineas sui proprij obiecti, est naturā ipsam fidei abnegare. Probissime enim S. Tho. in initio statim. 2. 2. explicat naturam habitus fidei: sane quem Deus in hoc penitus infundit nobis, ut nos inclinet, moueatq; ad assensum eorum præcise quæ nobis reuelauit pertinentia ad beatitudinē. Est enim fides substantia sperandarū rerum. Quod quidē eo usq; ego credo, ut si Deus alicui peculiariter aliam alius generis ueritatem (ut futuram uictoriam) reuelaret assensus ille non spectaret ad fidem catholicam: licet parem haberet certitudinē. Quinimo si quibus sua propria salus modo reuelaretur, non fieret talis reuelatio per assensum fidei catholicæ, quæ communis est omnibus, sed per aliam peculiarem. Et est huius argumenti confirmatio, quòd qui modo lege communi nō certo credit esse in gratia, nullatenus censetur hæreticus. ¶ Iam uero quarto loco arguitur. Quòd hic aut ille cōsequatur beneficium tā gratiæ q̄ gloriæ, effectus est prædestinationis: gloria. n. est summus eius finis, & gratia, medium de se ad gloriam ordinatū: etiam in illis qui non sunt perseueraturi. Effectus autē prædestinationis, non est in particulari singulis personis notus per fidem, sed in genere tantum: nimirum, quòd facienti ea quæ per fidem iubemur, obueniet salus per gratiam Christi: ergo nemo per solam fidē est certus gratiæ, & salutis suæ. ¶ Quintum & principale argumentum sumitur ex illa distinctione superioris capitis, ubi discernebamus inter certitudinem ex parte obiecti, & illā, quæ est ex parte subiecti. Argumentum aūt est huiusmodi. Certitudo fidei catholicæ cernitur nō modo ex parte subiecti, sed ex parte obiecti. Nā est assensus non solum ita firmus, in quo nulla sit formido, sed ita infallibilis, cui non possit subesse falsum: nullus autem communi lege talem pōt habere assensum, se fecisse quod debuit ad assequendam gratiam, quin possit decipi, saltem non repugnat naturæ talis assensus huiusmodi deceptio; ergo talis assensus non

Refutat cauillus.

S. Tho.

Quartū argm̄.

Quintū argm̄.

Sextum argum. potest esse fidei catholicæ. ¶ Atqui ex hinc elicitur argumentum sextum, quòd nec potest huiusmodi assensus certitudine adæquare fidem catholicam, neque uero mereri nomen aliud quàm fidei humanæ, hoc est, intensissimę opinionis. Nullum enim est medium inter fidem humanã & diuinam. Est nãque diuina fides (si de illa certissima loquamur, de qua hic disputamus) reuelatio cui assensum præbere tenemur. Nam potest esse quædam ẽt spiritussancti attestatio per indicia quędam, de qua futurus est sermo capite postremo. Citra diuinam autem reuelationem, non restat, nisi illa fides, quę probabilibus testimonijs naturalibus connititur, cui quidem non repugnat falsitas in obiecto. Qua de causa naturales philosophi nullum cognouerũt habitum infra scientiam, adeo certum, cui non possit subesse falsum. Quocirca nullum statuerũt habitum fidei medium inter scientiam, & opinionem, ut capite xi. super. 1. posteriorum disputauimus. Neque Aristo. 6. ethico. inter sex uirtutes intellectus commemorat habitum fidei, eò quòd fides humana, quacunque polleat certitudine, potest esse falsa. Ad rem igitur ut descẽdamus. Si assensus quo quisque iudicat se esse in gratia non elicitur a fide catholica, neque infunditur per speciale reuelationis priuilegium, non põt esse adeo certus, ut omnem depellat dubitationem, quia neque tali assensui repugnabit subesse falsum. Explicaturque etiãnum uis argumenti. Citra diuinam reuelationem, cui homo tenetur credere, nemo potest firmiori ac certiori assensu psuasum habere se esse in gratia, quàm ego modo habeo esse Constantinopolim, quæ quidem mihi fides est ita certa & firma, ut non sit in mea potestate non ita credere, uel quàm mihi est compertum, esse in Hispania urbem Segobiẽsem, in qua natus sum: & tamẽ huiusmodi fidei potest subesse falsum, quia nihil repugnat falso me credidisse fuisse urbem, quam non uidi, aut extare iam nunc, illam, quam olim uidi. ¶ Sed redarguebam ego præterea illos qui affirmabant, nihil prohibere, quo minus posset quis, tam fixum, firmumque habere assensum, se nõ opposuisse obicem gratiæ, quàm habetur de articulis fidei argumento, quod sit hic septimum. Nimirum, quòd huiusmodi homo, aut leuis esset, aut hęreticus. Etenim si iudicaret, nullum

Philosophi de fide.

Septimũ argum.

lum esse tam efficax medium ad persuadendum sibi, se esse in gratia, quàm est reuelatio fidei, & nihilo secius tanta firmitate & certitudine adhæreret huic, quanta articulo fidei, leuis, temerariusq; esset: utpote, qui dispari, minoriq; argumento æquam tribueret fidem, atq; reuelationi Dei. Si uero iudicaret aliud quodpiam argumentum uel coniecturã, uel authoritatem tanti esse ponderis ad id persuadendum, quanta est authoritas Dei reuelantis fidem catholicam, is plane hæreticus esset. ¶ Octauũ deniq; argumẽtum, atq; adeo postremũ, quo & prædicta patescant, & uiam aperiamus dissoluẽdi argumenta, quæ contra obiectantur, est huiusmodi. Ad hoc ut certum de se homo ferat iudicium, quòd est Deo recõciliatus, debet perspectum, exploratũq; habere proprium cor, aliquid ne ibi lateat, quod diuinæ amicitiæ obstet: hoc tamẽ non põt omnino infallibiliter percipere: ergo neq; certam ferre sentẽtiam se esse amicum Dei. Secunda propositio inde fit manifesta, q; quàmuis plurima possint esse eius rei indicia, nullũ tamen est ita euidens, quod non sit etiam commune existentibus in peccato mortali. Præcipua enim omnium testimonia sunt duo. Primum est offerre uitã pro Christo. Maiorẽ enim hac charitate nemo habet, quàm ut animã suam ponat quis pro amicis suis: & tamen hæreticus tam firmo, tamq; excelso animo dabit uitam in obsequium (ut putat) Christi, quàm legitimus christianus. Alterum testimonium est, nullam prorsus habere conscientiam peccati mortalis: & tamen neq; hoc facit tantam fidem, quãta est catholica, tum quia, ut ait Paul. Nihil mihi conscius sum, sed neq; in hoc iustificatus sum: tum etiam, quia non solum absq; conscientia peccati mortalis, uerum absq; conscientia uenialis potest esse homo, saltẽ per modicum temporis: & tamen nequit tunc certo affirmare, quòd nullum habeat peccatum, ne, iuxta sententiam Ioannis, se ipse seducat. Et per hoc respondendum est ad argumentum aliud, quod fautores certitudinis gratiæ magnum arbitrabãtur. Inter homines perspicuum est famulo quando legitime iussa facit domini, ergo potest etiam homo scire quãdo iuste obtẽperat Deo. Aliàs periculosa posuisset mandata, si nunq; nobis constare posset, quando ea iuste, ut ipse præcipit, exe-

Octauũ argtm̃.

Duo testimõia gratiæ.

1. Cor. 4.

Aliud eorũ argumẽtũ

quamur. Respõdetur, inquam, discrimen esse inter obsequiũ præstitum hominibus, & id quod debetur Deo. Nam tota obedientia, quæ debetur hominibus uersatur in opere exteriori. Deo autem necessarium est etiam intimo corde seruire: at natura cordis est, ut soli Deo pateat, nobis autem sit inscrutabile. Et ideo natura ipsa rei est, quòd non possit homini certo constare, quando habeat gratiam Dei: quam gratuita sua uoluntate per internas nostras actiones largitur nobis. Sed responsa hęc ad postremum capitulum spectant, ubi sunt obiectiones soluendæ.

Quo eadem ueritas testimonijs scripturæ & sanctorum corroboratur. cap. 12.

Rationibus ijs præmissis, perspicatiora fient testimonia scripturæ, & sanctorum, quibus eadem ueritas constabilitur. Primum, ac celeberrimũ est illud Ecclesiastes. 9. Nemo scit, an odio uel amore dignus sit. Hunc autem locum adeo Protestantes alienũ existimãt ab hoc sensu, ut nos insimulent, quòd tanꝗ inimici cõponendæ pacis eum peruertamus. Aiunt enim, intellectum illorum uerborũ nõ esse alium, ꝗ quòd ex operibus quæ extrinsecus apparent nullum sumitur argumentum illius, quæ intus est, charitatis, & iustitiæ. Quod. n. illic tractat Sapiens, est quomodo iustis mala proueniunt, quasi essent impij: atq; contra impijs bona, acsi essent iusti. Quare cum iustis & impijs promiscue accidant, & bona, & mala, nihil inde comperti habemus de internis meritis cuiusq;, sed omnia seruantᷓ incerta usq; in supremum diem. Et præterea excandescunt in nos, quomodo in hoc sensu affirmemus, neminem scire an odio uel amore dignus sit, cum neq; homines, dum actu perpetrant aliqua flagitia, apertissime sciãt odio esse dignos. Hi tamen istorum cauilli, quando litera non illis plane aduersaretur, nihil deberent imminuere sanctorum omnium authoritatem, qui in hoc semper sensu locum hunc citant: sed & quãdo sanctorum cessasset authoritas, textus ipse est planissimus. Nam primo diuersæ sunt propositiões. Nescit homo utrum odio uel amore dignus sit, & nescit homo ex operibus externis, an odio uel amore dignus sit: prima. n. est absoluta: altera

Eccl's. 9.

Lutheranorũ cauillus.

Expositio tex.

uero modo quodam restricta: & tamen Sapiens non solum secundam, sed absolute asserit primam. Quòd autem subiungit, uniuersa æque euenire iusto & impio, non est coartatio conclusionis: sed refutatio cõtrarij. Acsi dixisset. Nihil te moueant fortunæ, & euentus hominum, ut inde iudicium feras meritorum. Sunt enim illa deceptoria indicia: eo quòd citra discrimen bona eueniũt, ut iustis, ita & peccatoribus: & ideo his euentis nihil obstantibus, non solum alter de altero, uerũ neq; ipse de se homo scit, an odio uel amore dignus sit. Et cõfirmatur hic sensus ex litera ipsa, quæ sic habet. Nescit homo, utrum amore an odio dignus sit: sed omnia in futurũ seruant incerta, eo q; uniuersa ęque eueniãt iusto et impio. Ecquid est oĩa in futurũ seruari incerta? nisi q; in præsenti nulla põt esse certitudo. Nã si per fidẽ talem possemus assequi, non comparasset futurũ ad præsens, sed quæ apparent opa ad fidẽ mentis. Scilicet, quòd per opera non possemus certiores fieri, attamen possemus per fidem. Ad aliud uero argumentũ, quo tanta in nos bili inuehuntur, respondetur, quòd nemo catholicorum dixit, non posse flagitiosum hominem scire, quando sit odio dignus. Facit enim S. Tho. loco citato idem argumentum. Ad quod respondet, diuersam esse rationem cognoscendi peccatum & gratiã. Nam peccati obiectum est bonum cõmutabile, quod est nobis notissimum, principium autem est nostra sola uolũtas: gratiæ uero, & obiectum est Deus: & causa, sua gratuita uoluntas, quæ nobis non potest tanta certitudine innotescere. Quocirca non dicit Eccl's, nescire hominem an odio uel amore dignus sit: quasi par sit ratio utriusq; partis, ut neutra possit sciri. sed quòd non potest homo certo cognoscere, quando sit amore dignus. At uero quia nemo esse potest de amore dubius, qui non simul hæsitet, an sit dignus odio, in hoc sensu dictum est. Nescit homo an odio uel amore dignus sit. Maiori tamen probabilitate posset quis dicere, illud Sapiẽtis enũciatum, non esse intelligendũ, nisi de prædestinatione. Nimirum, quòd nemo scit, quo destinatus sit, scilicet, an in uitam, an uero in mortem. Sed primum inde saltem conuincuntur Lutherani, docentes, posse hominem esse certum non solum præsentis iustificationis, sed suæ perseue-

Non est eadẽ rõ cognoscẽdi pecca. et gratiam.

Tertius sensus.

rantiæ usq; in finem. Præterea cum ille qui est in gratia, etiã si non sit perseueraturus, uere sit tunc in amore Dei secundum præsentem iustitiam. & simpliciter negetur scire hominem quando amore dignus sit, non solum negatur scientia perseuerantiæ, uerum quòd scire possit homo quando sit in gratia. ¶ Secũdum testimonium aduersus certitudinem gratiæ est illud Iob. 9. Si uenerit ad me, non uidebo eum: si abierit, non intelligam. Et infra. Etiam si simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea. Et rursus. Verebar omnia opera mea, sciens, quòd non parceres delinquẽti. At uero & hunc, quàmuis manifestum, locum cauillari quoq; cõtendunt aduersarij: dicentes, quòd Iob illic id tantum confitetur, quòd iustitia nostra comparatione ad Deum non reputatur iustitia. Attamen manifestaria hæc est delusio scripturæ. Non enim unum sed duo longe distantia sunt, quæ iustus ille prædicat. Adulatus enim ei fuerat suus ille mentitus amicus commemoratione iustitiæ suæ. Nam etsi filij tui, inquit, peccauerunt Deo, & dimisit eos in manum iniquitatis suæ, tu tamen si diluculo consurrexeris ad eum, & omnipotentem fueris deprecatus: si mundus & rectus incesseris, statim euigilabit ad te, & peccatum tuum reddet habitaculum iustitiæ tuæ. Hanc Iob adulationem duplici recutit modo. Primo quòd etiam si compertissimum haberet, se esse iustum, iustitia sua tamen nulla esset, si compararetur Deo. Mox, quòd neq; ipsam qualemcunq; iustitiam, quæ in homine est per gratiam Dei, potest homo certo cognoscere, quando uel adest, uel abest. Ob idq; diuersis utitur uerbis. Sic enim ait scriptura. Respondens Iob ait. Vere scio, quòd ita sit, quòd non iustificetur homo compositus Deo. Hic non ait, ignoro, sed scio, quòd nemo est adeo iustus, ut posit contendere cum Deo. Subdit autem secundum argumentum diuersum. Si uenerit ad me non uidebo eum, si abierit, non intelligam. Eandem ergo iustitiam, quam scire dixerat non esse comparandam cũ Deo, subiungit se nescire quando ueniat, quandoue abeat. Pari modo inferius. Quantus ait ergo sum ego, ut respondeã ei, & loquar uerbis meis cum eo. Qui etiam si habuero quidpiam iustum, non respondebo, sed meum iudicem depreca-

bor. Non solum ex eo quòd licet sit in iusto aliquod bonum opus, sunt tamē multa permixta mala, uerum quòd idipsum quod in nobis iustū est, munus est diuinæ misericordiæ. Subnectit autē. Etiam si simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea. Id est, eadem ipsa iustitia, qualiscunq; esse pōt in homine, nō est usq; adeo mihi nota. Et ideo uerebar inquit, omnia opera mea, hæsitans an delicta essent: sciens, quòd nō parceres delinquenti. Vnde Grego. 9. libro moralium, cap. 10. super uerbo illo, Si uenerit ad me, non uidebo eum, Sæpe inquit, mens, dum de uirtutis suæ securitate resoluitur, insidiante aduersario, inopinatæ culpæ telo perforatur. Et capite. 18. super alia sententia. Etiam si simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea. Sunt inquit, nonnulla quæ sciri a nobis facile nequeunt. Nam sæpe recto studio contra delinquētium culpas accendimur: & cum ultra æquitatis metas per iram rapimur, hoc zelū iustæ districtionis æstimamus. Et cum prædicantis mens utiliter placere studet, ad amorem laudis propriæ turpiter defluit. Atq; ita horrendo modo unum idemq; opus culpa peragit, quod uirtus inchoauit. Hæc Gregor. Atq; hac de causa uerebatur Iob omnia opera sua. Plurimaq; in eandem sententiam subiungit eleganter, cap. 19. ubi ait, quòd humanus animus immensa cogitatione caliginosus, semetipsum etiam discutiendo non penetrat. Et iterum, Iustorum inquit, corda ad perfectum se examinare nequeunt. ¶ Tertius, præcipuusq; locus est. 1. Corin. 4. ubi ait Apostol. Mihi autem pro minimo est ut a uobis iudicer, aut ab humano die, sed neq; meipsum iudico. Nihil enim mihi conscius sum, sed neq; in hoc iustificatus sum. Qui autem iudicat me dominus est. Vbi adnotanda est gradatio Pauli. Ait enim primum, fallax esse iudicium, quod alter de altero profert. Mihi pro minimo est a uobis iudicari, uel ab humano die: id est, ab humano iudicio. Ait uero, quòd non solum aliorum de se iudicium nihili facit, sed quòd neq; idipsum, quod de semet ipse habet, certum reputat. Cum ergo suum de se iudicium conferat cum alieno, palam docet, quòd sicut non potest alius de alio infallibilem ferre sententiam, ita nemo de semetipso. Cuius causam talem annectit,

Grego.

1. Cor. 4.

Quia si quispiam posset suæ iustitiæ certior fieri, id maxime esset quando nihil sibi conscius esset: non tamen est firmũ argumentum, cum ex negatione infertur affirmatio: uidelicet nullius sum conscius peccati, ergo sum iustus. Sed Deus, inquit, est qui iudicat me. Si tunc Paul. nõ habebat suæ sanctitatis reuelationem, planus est sensus. Nempe quòd Deus solus sciebat qualis esset in conspectu suo. Si uero forte eiusmodi haberet reuelationẽ, ut suggerit nobis Amb. sensus est, quòd quãquàm sibi notus esset, non tamẽ id certo nouerat ex testimonio conscĩetiæ suæ, sed quia ita Deus sibi indicauerat. Interpretamentum autem, quo Luthe. artic. 14. hunc locum deprauauit, quodq; sui discipuli mordicus retinẽt, & absurdissimum est, & cap. iam. xi. a nobis coargutum. Aiũt. n. ex hoc loco Pauli id tantum colligi, quòd nullum sumitur argumentũ iustificatiõis ex operum qualitate, & probitate: nam delicta inquit Luther. quis intelliget. At qualiacũq;, inquit, sint opera nostra, etiã si sint peccata, sola fide efficimur certissimi, non imputari nobis. Quibus possit auribus christianus portenta hęc audire? Nempe quòd non solum peccata, rationem etiãnum culpæ retinentia non imputẽtur a iustissimo Deo (qui, ut ait Psalmista, iniquitatem odio habuit, & secũdum Iob, nõ parcit delinquenti) uerum etiam quòd dum homo conscius est peccati, certior tunc per fidem fit non sibi imputari. Hæc autẽ monstra, pręterquàm quòd supra satis expugnata sunt, his quoq; locis, quos modo tractamus, aptissime repugnant. Nam inprimis Paul. non dicit, quòd ex conscientia non sumitur aliquod argumentum iustificationis (nam gloria nostra, ait alibi, hæc est, testimonium conscientiæ nostræ) sed id tantum uult, quòd non sumitur inde testimoniũ usquequaq; certissimum. Hoc tamen irrefragabile testimonium non solum haberi non potest ex conscientia, uerũ neq; ex fide. Aliàs non adiecisset, Qui autem iudicat me dominus est: &, Nolite ante tempus iudicare donec ueniat dominus. His enim uerbis commonstrat in hac uita præsenti, nisi Deo reuelante, nõ posse usq; adeo innotescere nobis diuina gratia. Et Dauid non solum ait, Delicta quis intelliget, sed subiungit. Ab occultis meis munda me domine. Reuera qui petit ab occultis

Lutheri deprauatio.

2. Cor. 1.

mundari, non habet certitudinem fidei, quòd sit mundus. Iã uero & huc referuntur prouerbia illa Sapiẽtis cap. 20. Quis potest dicere, mũdum est cor meum: purus sum a peccato. Et cap. 28. Beatus homo qui semper est pauidus. Et Eccle. 5. De propiciatu peccatorum noli esse securus. Vbi Lyra haud cõtemnendus glossator, Peccatorum, inquit, etiã eorũ quæ sunt per pœnitentiã remissa. Sane quam nescis, fuerit ne sufficiẽs. Prou. 20

¶ Extãt præterea S. Patrum testimonia plurima. Nam præter Gregorium, quem citauimus, est Hierony. super illud Miche. 6. Dominus quærit a te utiq; facere iudicium, & diligere misericordiam, & sollicitũ ambulare cum Deo tuo, Præcipitur, inquit, ut pręparati simus ambulare cum domino Deo nostro: nulla hora dormire, nullo tẽpore securi esse debemus: sed semper expectare patremfamilias ueniẽtem, & diem formidare iudicij, & in nocte huius seculi dicere, Ego dormio, & cor meum uigilat. Et super illud Ionæ. 3. Quis scit si conuertatur, & ignoscat Deus. Ideo inquit, ambiguum ponitur & incertũ, ut dum homines dubij sunt de salute, fortius agãt pœnitentiam: & magis ad misericordiam prouocẽt Deum. Et Aug. super illud Psal. 50. Incerta, & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi. Quæ, inquit, occulta? quæ incerta? Quòd Deus ignoscit, & talibus. Nihil tam occultum, nihil tam incertum. Ad hoc incertum Niniuitæ pœnitentiã egerunt: dicentes, Quis nouit, si Deus flectat in melius sententiã suam, & misereatur? Et li. de pfect. iustitię. Quãtalibet iustitia præditus sit homo, timere debet ne aliquid occultũ lateat. Et episto. ad Probã, quæ est. 121. sup illud Pauli, Nolite ante tempus iudicare. Sicut sibi quisq;, nemo alter alteri notus est: & tamẽ nec sibi quisq; ita notus est, ut sit de sua crastina conuersatione securus. Hoc ad incertitudinem perseuerãtiæ refertur. Sequitur autem. Proinde quàmuis ex fructibus suis multi cognoscantur, tamẽ propter humanorum animorum ignota, & incerta, rectissime Apost. admonet, ut non ante tempus iudicemus. Ecce corda incerta. Et Ambro. super eodẽ loco Pauli, Nihil mihi conscius sum. Humiliat se, inquit, & loquit̃ ut homo, qui possit culpam incurrere nescius. Et Chryso. super eodem loco. Accidit & hominem in quibusdã peccare, quæ

Hiero. Aug. Ambro. Chryso.

peccata esse ignorat. Et rursus. Tribus rationibus incertum est nostrum iudicium. Prima quidem, quòd etsi nihil ipsi cõscij simus, eius tamen indigemus, qui peccata nostra certa ratione corripiat. Altera, quòd multa opera nostra nos latent. Tertia praeterea, quòd multa aliorum opera nobis bona uidentur, quae non recta fiunt sententia. Et super Matth. in imperfecto, homi. 38. super illud Prouerb. 20. Nemo inquit, est tanta firmitate suffultus, ut de iustificatione sua debeat esse securus. Bernar. autem est cuius sunt de hac re euidentiora testimonia. Licet eodem etiam teste corrupte aduersarij utantur. Nam primum contra incertitudinem perseuerantiae manifeste ait ser. 2. in octaua Pascę, quòd licet nunquàm sine testimonio electos suos deserat Deus, nouit tamen Dominus, qui sunt eius, & solus ipse scit quos elegerit a principio. Et subdit. Quis uero scit hominũ si est dignus amore uel odio. Quod si, ut certum est, certitudo nobis omnino negatur, nunquid non tanto delectabiliora erunt, si qua forte electiõis huius signa possimus inuenire. Quam enim requiẽ habere potest spiritus noster, dum praedestinationis suae nullum adhuc testimonium tenet. Est ergo nõ omnino certum, licet sint aliqua testimonia. Quod autẽ ait in calce huius sermonis, Nouum aduenisse spiritum, certissime noua conuersatio testatũ, non intelligit de certitudine fidei catholicae, sed de certitudine quae sufficit pacare humanum cor. De aduentu uero spiritus sancti ad nos loquitur super Cantica ser. 17. ubi ait. Orandus esse tantum ut custodiat corda nostra & intelligẽtias nostras: ne forte cum nõ aderit, adesse putemus: nostrumq; pro ipso sequamur sensum, deuiantes. Venit nãq; & uadit prout uult: & nemo facile scit unde uenit, aut quo uadat. Et quàmuis subiungat, quòd periculosissime ignoratur, quando ueniat, aut uadat: & ideo inuigilãdum nobis esse, ut sensum aliquem habeamus eius accessus & recessus, haud tamen intelligit, quòd illum, uel aduentantem, uel abeuntem, certa ualeamus ratione deprehendere. Idem argumentum tractat latius super eisdem Canticis sermone. 74. ubi in seipso depingit sensus intrantis & exeuntis: tandem concludens haec uerba. Ex renouatione, ac reformatione spũs mentis meae: id est,

Bernar.

interioris

interioris hominis mei, percepi utcũq; speciem decoris eius. Nota utcunq;. At uero in epist. 42. ad archiepiscopũ Senonẽsem, sic habet, Prauũ est cor hominis, et imperscrutabile: ita ut nemo sciat quæ sunt in homine, nisi spũs hominis, qui in eo est: sed nec ipse plene. Nã cum Apost. diceret, Mihi pro minimo est, ut a uobis iudicer, aut ab humano die, adiecit: sed nec ego meipsum iudico. Quare? Qm̃ non possum, ait, ratam uel ipse de me proferre sententiã. Ego. n. nihil mihi cõscius sum: non tñ in hoc iustificatus sum. Non ex toto credo me uel ipsi conscientiæ meæ: quippe cũ ne ipsa quidem queat me cõprehendere totum. Nec põt iudicare de toto, qui totũ non audit. Qui aũt iudicat me, dñs est. Dominus inquit, cuius utiq; sciẽtiã non effugit: sententiã nõ subterfugit, etiã qđ propriã latet conscientiã. Audit Deus in corde cogitãtis, qđ non audit uel ipse qui cogitat. ¶ Ex doctoribus aũt scholasticis præter unũ Ioannẽ Baconem Carmelitã, nemo est qui nõ eãdem teneat opinionẽ. Nã Alexan. de ales tertia parte, tractatu de gratia, disputans qõnem, ait, cognitione speculatiua, & certa nõ esse gratiã Dei cognoscibilẽ, sed tantũ effectiua, & expimentali, scilicet per effectus, ut quãdo homo nõ habet propositũ male agendi, quãdo frequenti meditatiõe Dei dulcedinẽ sentit & suauitatẽ, Sed est, inquit, iuxta dictũ Hippocratis, expimentũ fallax. Nã ijdem effectus esse possunt in eo qui est in pc̃tõ: saltem ubi est uincibilis ignorãtia, ut in hæretico. A lexãdrũ secutus est S. Th. in loco supra citato. Et Bonau. & Ricar. & Durã. 1. d. 17. & quotquot hanc disputant qõnem. Atq; adeo Sco. quẽ immerito nõnulli citabãt in hanc sententiã affirmatiuã. Etenim. 1. sẽ. d. 17. q. 1. omniũ apertissime ait, quòd ex nullo actu quẽ exercemus, neq; ex substãtia eius, neq; ex intensione, neq; ex delectatione, & facilitate in operando, neq; ex bonitate aut rectitudine morali eiusdem possumus cõcludere aliquem habitũ supranaturalem inesse. Et rationẽ subdit: Quia aliàs, quocũq; istorũ dato, posset quis hñs charitatem, cognoscere certitudinaliter se esse in charitate. Qđ ipse lege cõmuni reputat impossibile. Ex quo fit consequens illud qđ ait in. 3. dist. 24. scilicet, quòd charitas põt ostendi & actu interiori, quo inuenit se homo promptũ ad diligendum Deum,

Ioan. Baconis.

Alexander.

Bonauẽ.

Scot.

& exteriori, quo feruet in actibus, & exercitijs pro dilecto Deo, intelligere de ostensione coniecturali, & experimentali, quam ait Alexander sæpe fallere. ¶Igitur meritissimo, ac iure optimo S. Synodus contra assertionem de certitudine gratiæ pronunciauit sessione. 6. Primum cap. 9. confessionis sub his uerbis. Quàmuis autẽ necessarium sit credere, haud remissa unquàm fuisse peccata, nisi gratis diuina misericordia propter Christum, nemini tamen fiduciam & certitudinem remissionis peccatorum suorum iactanti, & in ea sola quiescenti, peccata dimitti, uel dimissa esse, credendum uel dicendum est. Cum apud hæreticos, & schismaticos possit esse, immo nostra tempestate sit, & magna contra ecclesiam catholicam contentione prædicetur, uana hæc & ab omni pietate remota fiducia. Sed nec illud asserendum est, oportere eos qui uere iustificati sunt, absq; ulla omnino dubitatione apud semetipsos statuere, se esse iustificatos, neminẽq; a peccatis absolui ac iustificari, nisi eum qui certo credat se absolutum & iustificatum esse, atq; hac sola fide absolutionem & iustificationem perfici: quasi qui hoc non credit, de Dei promissis, atq; mortis, & resurrectionis Christi efficacia dubitet. Nam sicut nemo pius de Dei misericordia, deq; Christi merito, deq; sacramentorum uirtute, & efficacia dubitare debet, sic quilibet dum seipsum suamq; propriam infirmitatem & indispositionem respicit, de sua gratia formidare & timere potest: cum nullus scire ualeat certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse consequutum. Mox capite. 12. condemnat eos, qui temerariam sibi arrogant certitudinem prædestinationis. Et cap. 13. eos item, qui eandem sibi promittunt securitatem perseuerantiæ. Et canone. 13. Si quis inquit, dixerit omni homini ad remissionem peccatorum assequendam necessarium esse, ut credat certo, & absq; ulla hęsitatione propriæ infirmitatis & indispositionis, peccata sibi esse remissa, anathema sit. Et canone. 14. sub Anathemate etiam condemnatur, fidei certitudinem in particulari, qua quis credit se iustificari, uel sufficere ad iustificationem, uel esse necessariam.

Synod. Triden.

Quo ad obiecta aduersæ partis respondetur. cap. 13.

Argumenta partis aduersæ plurimum ex diuersis locis sacræ scripturę desumūtur. Tametsi præter huiusmodi testimonia nonnullas quoque rationes adhibebant, qui huic sententiæ antequàm a Synodo decerneretur, obtrectabant. Atqui Lutheranorum potissimus locus est ille ad Roma. 4. Ideo ex fide, ut secundū gratiam firma sit promissio: quem capite iam undecimo dilucidauimus. Cætera uero omnia testimonia tam Lutheranorum, quàm nostrorum sinistra interpretatione peccant. Quę quidem peccata, ad tria, quatuorue rediguntur. Primo enim errant usurpantes fidem, non pro alia, quàm pro uiua fide. Exinde enim, quàm certi esse possumus nos habere fidem, certos se esse putant, habere charitatem. Vnde Luthe. arti. 14. suarum assertionum. Non contritionem inquit, sacerdos debet petere à pœnitente: quia de illa certi esse non possumus, sed fidē, quam certissime sentire potest in corde si eam habet, ut ait August. Vnde Paul. inquit. 2. Corinth. ultimo. Vosmetipsos tentate si estis in fide: ipsi uos probate. An non cognoscitis uosmetipsos, quia Christus Iesus in uobis est? nisi forte reprobi sitis. Hæc autem omnia perperam intellecta sunt. Primum confitemur cum Augustino. 13. de trinit. quod potest quis euidenter scire se habere fidem. Cuius uerba sunt. Fidem ipsam quisque uidet in corde suo, si credit: uel non esse, si non credit. Id quod & S. Tho. agnouit. 2. 2. q. 1. ar. 4. ad secundum argumentum. Etenim licet non habeam euidentiā, sed tantū credam, extare Constantinopolim, euidenter nihilominus cognosco, talē me habere credulitatē. Et pariter est mihi euidēs, me credere Deū esse trinum, licet non sit euidēs trinitas. Est mihi inquàm euidēs quod credo, siue per fidem acquisitam, siue per infusam. Quoniam nemini est euidens habere se habitum infusum: sed id tantum, quod habet credulitatem. At uero ista euidentia, est de fide secundum suam substantiam: sane quatenus est assensus mentis. An uero fides uiuat per charitatem non ita certo scio. Aliàs, si eadem esset ratio de fide, & de fide uiua, non solum haberē certitu-

Quatuor Lutheranorū peccata.

2. Cor. ultimo.

Aug.

dinem, me esse in gratia, sed certe euidẽtiam: qualem habeo, quòd credo. Vnde uerbum Apostoli. Vosmetipsos tentate si estis in fide, potius designat dubietatem, quàm certitudinem. Et ideo ut S. Tho. & omnes interpretantur, intelligendum est de fide uiua, scilicet, ut quisque se probet an sit in charitate. Atque hoc ipsum est quod subiungitur. An non cognoscitis uosmet ipsos? quia Christus Iesus in uobis est, nisi forte reprobi sitis. In illis enim in quibus certum erat existere Christum per fidem, sub dubio affirmat existere per charitatem: dicens, nisi forte reprobi sitis. Et ita Hiero. exponit, quasi Apostol. Corinthios cõmonefaceret, ut se examinarent: non quidẽ an haberent fidem, sed utrum eam haberent, charitate informatam.

Hiero.

Erasmus Quinimo Erasmus ipse quem Bucer. in exordio sui libri de uera ecclesiarum reconciliatiõe signiferum Lutheranorum ac luciferum agnoscit, ita exponit. Nisi fide utcunque incolumi, uita impura meruistis a Christo reiici. Põt ergo homo certus esse de sua fide, an uero uiuat per charitatem, nõ item. Cuius ratio discriminis manifestissima est: quoniã assensus intellectus ex nulla diuina acceptatione dependet, & ideo notissimum est unicuique persuasum habere euãgelium, gratia uero, & amicitia Dei in diuina beneuolentia & acceptationẽ cõsistit: quæ nobis est ignota.

Rõ discriminis.

¶ In contrariũ autem põt quis citare Augustinum. 8. de trin. cuius uerba sunt. Qui diligit fratrẽ magis nouit dilectionẽ, qua diligit, quàm fratrem, quem diligit. Vnde apparenter colligit, non solũ informem fidẽ, uerum ẽt formatã posse certo cognosci. Hunc autẽ locum oẽs doctores interpretantur de actu charitatis, quantũ ad substãtiam. Põt enim quis certissimã habere experiẽtiam, quòd habeat aliquem actum diligendi Deũ. An uero omnia faciat quæ Deus præcipit, & ex uero corde propter ipsum firmũ habeat propositũ nunquam peccãdi, hoc non possumus certo scire: maxime ubi est ignorantia praua. Qua de re li. 1. ca. 22. dicebamus, oẽm actũ, quo ad substantiam, qui est in amico Dei, posse esse & in peccatore. Quòd si quis rẽ etiãnũ urgẽdo hoc pacto pstrinxerit. Illa quæ Deus nobis præcipit, per fidem sunt manifesta: ergo certo scire possumus quando illa implemus. Vnde Aug. in lib. de gratia Christi cap. 13. sic inquit. Docet Deus eos qui se-

Aug.

cundum propositum uocati sunt: simul donans, & quid agāt scire, & quod sciunt, agere. Ad hāc replicationē iam supra capite proximo respondebamus, ꝙ ꝗuis in genere fides ostendat nobis legē, attamen an puro corde illā custodiamus, neq; aliqua nos teneat ignorantia, id quidē nequimus certo scire. licet talē possimus habere ꝓbabilitatē, ut pacatas habeamus consciētias. Atq; huc ꝑtinent uerba Augustini, quæ non solum loco citato, sed alijs etiā crebro inculcat. Id præcise intendens, quod in concilio Mileuitano can. 4. sancitū est. Nempe Christi gratiā non sic tantū nos adiuuare ad non peccādum, quòd ꝑ ipsam nobis reuelatur, & aperit̄ intelligentia mandatoꝝ, uerum quòd ꝑ ipsa prǣstat̄, ut quæ cognouimus, diligamus, & quæ diligimus ualeamus implere. Itaq; sensus Augustini non est, ꝙ per gratiā lege cōmuni sciat quis in particulari, id qđ facit, iuste ne & in gratia faciat: sed id qđ facit in suo genere esse bonū, iuxta reuelationē fidei. Puta orare, eleemosinas elargiri, et c. ¶ Secundū ergo peccatū istoꝝ est, ꝙ remissionem pctōrum & dona, quæ ꝑ fidem catholicā certiores facti sumus, donata esse ꝑ Christū dilectę ecclesiæ suę: id est, illis qui uere cū illo sunt charitate cōiuncti, arbitrātur ꝑ eandē fidē notū esse singulis, ꝙ talia dona reuera susceperint. Quod quidē nō est necessariū. Quia huiusmodi promissiōes (ut sæpissime hactenus diximus) nō absolute, sed sub cōditiōe, ꝓponunt̄, Qui crediderit et baptizatus fuerit. Qui diligit me, diliget̄ a patre meo. Si impius egerit pœnitētiā, et c. Per hoc documentū soluit̄ illud. 1. Corin. 2. Nos aūt nō spūm huius mundi accepimus: sed spūm qui a Deo est: ut sciamus quæ a Deo donata sunt nobis. Ad qđ rn̄det S. Tho. loco citato. 1. 2. q. 112. qđ itelligit̄ de donis glorię, quę nobis in spe data sūt: ad quę ꝑuēturi sumus ꝑ gratiā. Quæ quidē dona licet certissime cognoscimus ꝑ fidem, non tn̄ cognoscimus ꝑ certitudinē, nos habere gratiā, per quē illa possumus promereri. Hæc ille. Cū ergo ait Apost. Vt sciamus, quæ a Deo donata sūt, nō intelligit, ꝙ unusquilibet hoc de se sciat, sed quòd oēs ꝑ fidē credimus illa esse iustis ꝓposita præmia: quæ per se Deus certo offert, uniuersisq; paratissimus est elargiri, qui spiritui sancto non uo-

Interpretatio Augʋst.

Secūdū peccatū Lutheranoꝝ.

1. Cor. 2.

Tertiũ peccatũ. fuerint resistere. ¶ Tertium peccatum non solum Lutheranorum, sed & nostratium, quos redarguimus, est, quòd existimant, omne testimonium spiritus sancti facere nobis certitudinem fidei. Cum tamen nonnunquàm ita se nobis inhabitare attestetur, ut non faciat certam fidem, cui constringamur firmum assensum præbere, sicuti fidei catholicæ: sed cõiecturalẽ quandam cognitionẽ, quæ quàmuis sufficiat tranquillas reddere conscientias eorum qui omni cura & solertia student per gratiã Dei purificare corda, tamen non possumus usquequaꝗ tuti esse, huiusmodi indicia & coniecturas a spiritu sancto promanare: scientes, quòd sæpe se angelus Sathanæ transfigurat in angelum lucis. Ex quibus secundo, & tertio fundamentis liquidus elicitur sensus Pauli

Rom. 8. ad Roma. 8. quo loco Protestantes, atꝗ maxime Buce. in reconciliatione huius controuersiæ cõprimere, & prorsus euincere nos arbitratur. Ait enim Paul. Non accepistis spiritum seruitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba Pater. Paul. autem his uerbis non significat, quòd ubilibet sit spiritussanctus, omnino adimat timorem, certissimam faciens fidem suæ adsistẽtiæ, sed explicat uirtutem eius, & inclinationem. Quippe cuius munus est promouere hominem, ut non seruili metu supplicij operetur (cuius imaginem gerebat lex uetus) sed timore filiali, quo filius reueretur Patrem. An uero adsit, nemini ita certo reuelat, ut reuelata est fides catholica. Sed tamen aliqua sui exhibet indicia, maiora, aut minora, secundum diuersos hominis progressus & sanctimoniæ gradus, quibus fide per charitatem operante, promouemur. Atꝗ hoc ipsum est quod continuo subiũgit. Ipse enim spiritus testimonium reddit spiritui nostro, ꝗ sumus filij, & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi. Si tamen compatimur,

Bernar. ut conglorificemur. Huius autem mysteriũ testimonij agno-

Testimõia diuinę gratiæ. uit Bernar. sermone primo, & secũdo in octaua pascæ in illis tribus, quæ testimonium dant in terra, spiritu scilicet, aqua, et sanguine. Testimonia enim gratiæ Dei sunt, aut nullam habere conscientiam peccati post baptismum, aut lachrymarũ

fonte eorum sordes abluere: mox iugibus pœnitẽtiæ fructibus corpus affligere, & ueluti sanguinolento martyrio prauas affectiones perimere, ac denique in operibus spiritualibus exerceri. Sed tamen neque hæc sunt planissima testimonia, ut in illa epistola paulo ante citata idem ipse est author. Est & aliud testimonium auiditas audiẽdi uerbum Dei. Nam qui filius Dei est, uerba eius audit. Atque illa mentis dulcedo, de qua Apocaly.2. Vincenti dabo manna absconditum, quod nemo nouit nisi qui accipit. Hæc autem omnia sufficiũt quidem sedare conscientias, & confirmare spem, nõ tamen pertingunt usque certitudinem fidei. ¶Sed mirandum est, quàm nos Buce. perstringere arbitratur ex eo quòd in eodem capite ad Roma. subinfert Apostol. Si Deus pro nobis, quis cõtra nos? Qui etiam proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum. Quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit? Quis accusabit aduersus electos Dei? Deus qui iustificat: quis est qui condemnat? Hæc enim uerba eo audit intellectu, quòd nulla nos retroacta uita, nulli remorsus conscientiæ debent terrere. Nam etiam si opinemur, illa quę modo agimus aut cogitamus peccata esse, nihilominus sumus per fidem certi, quòd omnia nobis condonata sunt per Christum: qui cum a nostra parte pugnat, nulla nos possunt cõdemnare delicta. Sensum autem istorum uerborum quis non uideat ad certitudinem totius ecclesiæ in genere referri, & non ad certitudinem singulorum. Explicat.n. Paul. quemadmodum cuncta nobis donauerit Deus cum filio suo, his scilicet, qui membra eius efficiuntur. Qui tamen reuera membrum sit per uiuidam charitatem: hoc est, quod non possumus certo scire. Tametsi homo ita debet sanctis officijs certam facere, ut ait Petr. uocationem suam, ut possit dicere cum Paulo eodem loco, Quis ergo nos separabit a charitate Christi? Tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? Et quæ sequuntur. Hic autem Buce. sancte precatur lectorem, ut consyderet quanta manifestatione Paul. utatur ad confirmandã certitudinem gratiæ, affirmans nullam esse rem prorsus quæ possit iustum separare a charitate,

Buce.

qua Deus nos diligit. Hanc enim charitatem hic existimat Buce. significari. Porro autem nos haud tanta egemus consyderatione ad cernendum quãta isti cæcitate legant huiusmodi testimonia. Nam primum Paul. non loquitur de charitate, qua a Deo diligimur, sed qua ipse diligebat, atq; omnes deberemus diligere Deum. Amor enim diuinus, ut prior est nostro, ita neq; cessat nisi prius cessante nostro. Ob idq; nulla esse posset compositio, coaptatioq; uerborum, quòd tribulatio uel angustia nõ possent dimouere Deum ab ea, qua nos prosequitur dilectione: quia ista pericula non pugnant contra Deum, nisi quatenus nos ipsos expugnant, ac superant. At uero siue de hac, siue de illa charitate loqueretur, quis mõstrum hominis ferat, imponentis Paulo, quòd affirmauerit, non posse iustum ulla de causa separari ab amore Dei? Quãdoquidem iustitia non auferat libertatem peccandi, neq; omnes confirmet in bono, ut peccare nequeant: & ideo licet nulla per se res habeat potestatem cogẽdi nos in malum, nos ipsi ad hoc sumus liberi. Igitur Paul. uel habebat tunc reuelationem suæ confirmationis, uel, quod uerisimilius est, exaggerabat, q; ipse esset, quàmq; Romani illi quibus scribebat, atq; oẽs christiani esse deberent firmo, robustoq; animo in Deũ. Qui enim inęstimabilem amorem erga nos Dei contemplarẽtur, qui filium suum, cumq; ipso omnia nobis condonãtis, profecto ob nullam earum rerum, quas Paul. commemorat, deberent a charitate Dei semoueri. At uero licet eo usq; pectore quis ferueat, non tamen habet usq; adeo securitatẽ suæ salutis, ut falli nequeat. Præterquàm, qđ non omnes possunt tantam concipere fiduciam, sed qui imitantes Paulum omni officiorum genere operam impenderint augmento diuinæ gratię.

Quartũ peccatũ. ¶ Quartum utiq; peccatum istorum est, quòd nihil distinguunt inter fidem & fiduciam. In sacris enim literis licet iubeamur fidem habere dictis Dei, nemo tamen iubetur habere fidem: hoc est, firmam persuasionem suæ salutis, sed fiduciam, quę esse potest sine certitudine particularis fidei. Ex eo enim, quòd quis credat cupiẽtissimum esse Deum nostræ salutis, quam uniuersis recipere uolentibus offert, licet aliquo

Fides & fiducia.

modo

modo hæsitet, an aliquid a se obstiterit, nihilominus, si post uigilantē discussionē conscientiæ, nullius est conscius culpæ, cuius non pœniteat, cōfidere potest & debet in misericordia Dei, qui non pmittet eū errare, neq; despiciet cor contritum & humiliatū. Et hæc est qua debēt uti consolatione pctōres. Vnde Paul. Ephe.3. in quo habemus fiduciā & accessum p fidem eius. Et.1. Ioan.3. Charissimi, si cor nostrū non reprehē derit nos, fiduciā habemus ad Deū. Si cor, inquit, nostrū nō reprehenderit nos. Et in causa fiduciæ non solū ponit fidem, sed opera charitatis, p quæ fiducia roborat̃. Qm̃, inquit, man data eius custodimus, & ea, quę sunt placita corā eo, facimus. Et hoc est mandatū eius, ut credamus in nomine filij eius Iesu Christi, et diligamus alterutrū. Quā quidem fiduciā exigebat Christus ab Apostolis, ubi aiebat, Nolite timere pusillus grex. Atq; de hac fiducia loquunt̃ oēs sancti ubicunq; consolant̃ pœnitentiū animos. Quòd si hic de nobis, ut de calūniatoribus cōqueraṫ Buce. q iam non pseuerent dicere, fidē & fiduciā eandem rē esse, sed id tātū affirment, q fides esse nō pōt sine fiducia. Rn̄demus primum, q ubicūq; asserunt, sola nos fide iustificari, fidē accipiūt pro particulari fiducia, ut distinguit contra fidem historicā. Sunt tn̄ adeo lubrici & uarij, ut nunq̄ in eadē sententia persistant. Secundo id etiā, qd̄ modo dicūt, est aptissime falsum. Fides. n. esse pōt sine fiducia. Nā fides est mētis assēsio, qua ueras esse credimus reuelatiōes Dei, atq; adeo pmissiones ipsas. Fiducia tn̄ licet inde incipiat oriri, nō tn̄ firmat̃, nisi ex charitate & rebus gestis quibus Deus nobis præcepit iustitiā colere. Non. n. dicit scriptura, q fides foras mittit timorē, sed charitas. Ob idq; quātācūq; quis prę stiterit fidē dictis & pmissionibus Dei, si nō adhibuerit opera, fidem quidē habebit catholicā sine fiducia: at quantacūq; fuerit fiducia, nunq̄ perueniet ad certitudinē fidei in particulari assistentis gratiæ. Obijciet quis forte nobis uerbum Iacobi.1. Qui indiget sapiētia, postulet a Deo in fide nihil hæsitās Hoc aūt lib.2. ca.6. explanauimus. Loquit̃. n. Apl's de petitionibus ad iustificationē ptinentibus, quas certa fide credendū est impetrandas fore, nisi nostræ obstiterit uoluntatis obex. Sed tn̄ quia nunq̄ omnino absq; metu esse possumus eiusmo

Ephe.3.

Bucerus

charitas fo. mi. ti.

di obicis, nunquam habebimus certã persuasionem assecutos nos esse salutẽ. Possumus tñ habere fiduciã, quę pacare nos possit: iuxta uerbũ Pauli, Iustificati ergo ex fide, pacem habeamus.

Scolastici rõnes

¶ Præter hæc scripturæ testimonia fautores huius opinionis de certitudine gratiæ, excogitabãt nescio quas rõnes, quibus arbitrabant cõficere, ut saltẽ in aliquibus casibus haberi possit huiusmodi certitudo. Hę aũt profecto adeo sunt tenues, ut potuissent in præsentiarum, absque iniuria, prætermitti. Primum ex scolasticis unicus est qui huius palã fuerit opinionis, nẽpe

Ioannes baconis.

Ioãnes quidã Bacconis carmelita. Attamen, ut nihil eius authoritati detrahamus, ratio sua nihil affert probabilitatis. Ait enim, quòd cũ adultus baptizatur sine aliquo obice peccati, certitudinẽ habet fidei, se esse in gratia: per hunc syllogismum. Baptismus confert gratiã, ubi non inuenit obicẽ: ego non habeo obicẽ, & recta intẽtione suscipio baptismũ: ergo renascor filius Dei. Maior est propositio fidei: minorem aũt homo in se experit: ergo conclusio est de fide. Hic aũt syllogismus nullius est roboris, propter notã infirmitatẽ minoris. Neque enim legitimæ dispositionis, neque ueræ receptionis sacramenti tãta esse potest cognitio, quæ exæquet certitudinem fidei. At de

De dispositiõe.

dispositione fuit grande litigiũ. Arguebant enim sic. Præparatio baptismi sufficiens, est, non afferre obicem, quod tantũ dicit negationem mali propositi cum intentione suscipiẽdi baptismum: hæc aũt affectio cõpertissima habenti esse põt atque euidentissima. Quod autẽ illud solum requiratur, uidet esse opinio Scoti in. 4. sent. d. 1. et dist. 14. Et quamuis requiratur aliquis dolor, is etiã potest esse notissimus, quia, ut li. 2. ca. 15. explicatum a nobis est, non requiritur cõtritio, sed sufficit qualiscunque dolor. Vitium autem huius argumẽtationis primũ

Refutatio.

est, quod non discernit inter certitudinem fidei & probabilitatẽ opinionũ. Dispositio enim in adulto ad baptismum quæ expressa est in sacra scriptura, tanquam de fide, non est nisi pœnitẽtia, ut, Pœnitentiã agite, appropinquabit enim regnum cælorum. Quã pœnitentiã requirebat etiã Pet. in actibus Apostolorum ante baptismum: nã, Pœnitentiã, inquit, agite, et baptizetur unusquisque uestrũ, et Aug. Nemo põt nouam uitã inchoare, nisi præteritæ penituerit. Qualis aũt pœnitentia requirat

nec S. Th. nec Sco. neq; uero ullus doctorum certo scire pōt certitudine fidei, sed probabilitate suę cuiusq; opiniōis. Ob idq; licet Sco. (qd loco citato falsū mōstrauimus) uel quiuis alius crederet, q sufficeret non hēre malū propositū, & inde inferret se esse in gratia, non hēret certitudinē fidei, sed certitudinē suæ opinionis. Nā q̄uis oēs consentiāt, q baptismus confert gratiā, ubi non inuenit obicē, nō est certum certitudine fidei, qd ad tollendū obicē non requirat uera contritio, quæ sit dolor reuera propter Deū, Nec qui ita doceret, haberet hæreticus. Quicquid ergo sit de opinionibus doctorum, nemo habere pōt certitudinē fidei, q talis dispositio sit sufficiens. Secundū aūt uitium argumētationis huius, peius est. Nā q̄uo quis pōt hēre certitudinē fidei, se nō laborare aliqua ignorātia crassa, uel iuris, uel facti, uel alicuius catholicæ ueritatis, aut propter suā animositatē, aut forte negligentiā ad inuestigandā ueritatē, quæ pseuerās ignorātia est obex gratiæ. At uero præter dubitationem dispōnis, quis pōt certior omnino fieri, q ille qui baptizat habeat intētionē baptizādi? Ille quidē qui paruulū ante usum rōnis intingit, certitudinē habet fidei de salu paruuli. Nā de sua sibi constat intētione, & q in paruulo nō te fuerit obex, est manifestū. Qui aūt baptizat adultū, nō hēt scientiā dispōnis suscipiētis: sicuti neq; suscipiēs hēre pōt sciētiā intētiōis cōferētis. Licet illa credulitas sufficiat, ut maneat tutus. Sed cōtra Baptismus in uoto sufficit ad cōferendā gratiā, ut supra lib. 2. constitutū est: quinimo expressa est determinatio cōcilij sub Innocētio. 3. de presbitero nō baptizato. cap. preueniēs, scilicet q nō solū p sacramentū fidei, sed ēt p fidem sacramenti efficit quis membrū Christi: ergo qui certus est de sua dispōne certus ēt erit de gratia baptismi. Rñdet, q fides et uotū sacramenti nō sufficit ad salutē sine sacramento in re, nisi qñ adest uera et legitima contritio, q aūt sit uera cōtritio, puta dolor pter Deū, non pōt liquido constare. Si aūt contritio non est sufficiēs. q̄uis petat sacramentū, & sacerdos fingat illud administrare, si re uera non baptizat, nulla cōferet gratia, quia neq; dispositio p se sola sufficiebat, neq; ex opere (quod aiunt) operato confert. Si ergo nec de dispositiōe quæ p se sola sufficiat, neq; de sacramento primā conferente gra- De preuē nō bapt.

Ad aliorum opinionem rñsio.

tiã haberi põt certitudo fidei, fit, ut neq; haberi possit de gratia ipsa. ¶ Per hæc prodit ignorãtia alioꝝ, quos lib. 2. ca. 15. reprobauimus. Aiunt. n. q̃ quicunq; putat se fecisse, qđ in se est ad delẽdũ peccatũ, iam est in gratia: hoc aũt clarissime quisq; de se põt cognoscere, scilicet, q̃ putet se nõ habere peccatũ: ergo erit certus suę iustitiæ. Prodita inq; est inscitia istoꝝ. Sane qui existimãt non posse hic subesse ignorãtiã culpabilẽ, sicut in alijs rebus: cum tñ sit manifestissimũ, q̃ põt quis leuiter credere, fecisse sufficientẽ diligentiã, tã ad examinandũ conscientiã suam, q̃ ad explorandũ aliquam ueritatẽ, cuius ignorãtia laborat, quã tñ diligentiã non fecerit. Quinimo põt credere se habere dolorẽ propter Deũ, ut modo dicebamus, dũ nõ sit talis. Falsissimum ergo est, q̃ quicũq; putat se fecisse quod in se est, sit liber a pctõ. Nã tunc quicũq; putaret se esse in gratia, eandẽ hẽret. Et qñ hãc suã istis opinionẽ cõcederemus, nõ tñ inde inferrẽt certitudinẽ fidei catholicę: siquidẽ neq; ipsismet est nisi opinio. Responsio præterea ex his colligit̃ ad argumẽ

Caieta.

tũ Caietani. 1. q. de cõtri. cuius li. 2. ca. 16. meminimus. Negat enim eodẽ instãti quo homo per speciale auxiliũ Dei sufficiẽtissime est dispositus, infundi semp gratiã: sed Deus, inquit, spectat plus, minusue pro libito suo. Cuius totã rõnem et causã adfert, quòd alias posset esse homo certus se esse in gratia. Qm̃ de huiusmodi, inquit, sufficiẽti dispõne certitudo haberi põt. Opinio aũt hęc, ut illic dicebamus, nõ solũ uniuersis theologis aduersat̃, cõsentienter docẽtibus, eodẽ instãti cõcurrere ultimã dispõnẽ & gratiã, sed sacræ etiã scripturæ male cõsonat. Vt, Dixi cõfitebor aduersum me iustitiã meã dño, & tu

Testimonia scripturæ.

remisisti &c. Et Ezech. 33. Impietas impij non nocebit ei, in quacũq; die cõuersus fuerit, ubi Aug. & Patres semp intelligunt, in quacunq; hora, et quocunq; momẽto. Et S. Tho. 1. 2. q. 112. ubi in forma qõnẽ disputat, expresse rñdet, q̃ ex necessitate, non quidẽ coactiõis, sed tñ infallibilitatis dat̃ gratia se

Argumẽtum.

p auxiliũ Dei præparãti. Et est præterea argumẽtũ, q̃ si talis opinio esset uera, certũ esset tẽpus, quo Deus remoraret̃ pœnitentẽ. Nã dicere, q̃ aliqñ cessat plus, aliqñ minus, ridiculum esset. Si aũt in medio illius tpis intercederet mors pœnitẽtis, tunc legitime dispositus obiret absq; gratia. In summa gratis

& absq; ulla probabilitate negatur lex in opibus gratiæ, quã Deus instituit in opibus naturæ. Nẽpe, q̃ ultimã dispõnem simul comitet forma. Nec ullo pacto inde fit cõsequẽs, ut haberi possit certitudo gratiæ. Q.ñ nemo põt esse certo cõscius suæ legitimę præparatiõis ¶ Aliud argumentũ certitudinis gratiæ meditari quis posset de illo qui martyriũ patit in testimoniũ fidei. Est.n sanctorũ doctrina, ut li.2. dictũ est, quòd illic omnia cõdonant crimina. Sed tñ facile argumentũ soluit p illud documẽtum, qđ li 1.cap.20.exponebamus. Nẽpe, nullum esse actũ habentem speciẽ charitatis, qui non sit quãtum ad substantiã cõmunis illis ẽt qui sunt in peccato: præsertim qui aliqua tenent ignorãtia. Quis dubitat, quin hereticus eodem robore animi & ardore (ut putat) charitatis sese offerat martyrio, atq; uerus christianus. Ob idq; licet prægrãdẽ hẽat fiduciã martyr suæ salutis, non tñ habet fidẽ catholicã, nullũ obijcere se obstaculũ: nisi p specialẽ reuelationẽ certior fiat. Hæc aũt rñsio inde præcipue cõfirmat, quòd de uniuersis ꝑpemodum martyribus, uel legimus, uel credimus, Deũ illis peculiariter reuelasse, placere sibi eorũ sacrificium. Quę quidẽ reuelatio nõ fuisset necessaria, si actus ipse, infallibile esset testimoniũ. Sunt alia omnia argumẽta, ueluti hæc, imbecilla & frigida, in quibus idcirco pcensendis pmultum langueret oratio. De quibus ergo satis, atq; adeo de toto opere, qđ Deo authore, ad suã ipsius glĩã, hucusq; pduximus. Vtinã aliqđ ecclesiæ suę emolumentũ fecerim, ad cõciliãdas cõtrouersias, quæ trigesimum iã annum orbẽ christianũ deuexãt. Neq; solum oues Christi in diuersa symbola dispergunt, uerum in arma etiãnum cogunt. Tametsi q̃ fuerint necessaria & sancta, quæ Cæsar pro tuẽda fide induit Deus, cuius cã agit, clarissimis eius uictorijs patefecit. Faxit ipse, cuius pfecta sunt opa, ut si alia nõ est cõmodior uia, uel hac in ouile reducamur sub uno pastore, p quẽ spiritus sanctus, tum has discordias cõponere, tum ẽt turbas sedare tandẽ dignetur. Qui cum patre, & filio unus est Deus, Cui laus est sempiterna.

De martyrio.

FINIS.

Sunt preli errores nonnulli, quos, cum pœna corrigēdos cu rauimus, tum hic præcipuos duximus adnotandos.

folio 5.b.ideſt:facie ſecūda,linea. xi. a fine,nimirum.Lege:nil mirum. 15.b.l.9.a fine,cōtendit. Lege:concludit. 24.b.l.16. nemo.Le.neminē.27.b.l.8.a fine,nihil aliud &c.Lege:nihil aliud facit,ꝗ Manicheos repellere. 29.b.l.18.habeat nō eſt. Expūge,nō eſt.60.a.l.penul.alliciendū.eliciēdum. 74.b.l.ul ti.Caue. Lege:Sane. 75.a.l.12. Ea preſertim locus,Ea preſer tim,cui nullus locus. 115.b.l.7.Idē.Inde. 117.b.l.5. appellat. Le.applicat. 120.a.l.2.noſtrū. Dele.& lege.Deum.Et b.l.15. ſuimet uel ipſorꝫ.Expunge:uel. 122.a.l.5.a fine.diuerſęq; et c. Le.diuerſęq; ſunt qualitates, gradus & habitus fidei. 154.b. l.4.a fine charitatē,lege:characterē. 157.b.l.12.tunc qui licet. Le.tunc licet dolor. 165.a.l.10.a fine. Sed tñ eſt:Sed tñ nō eſt 163.a.l.9.a fine.optima cū. Le.cum optima. 171.de originali Adde:ſentire. 193.a.l.2 an præcepta.Le.an præter præcepta 195.a.l.8,præceptorꝫ. Adde:cuſtodiā. 200.b.l.3.a fine Vnde. Vide. 204.a.l.12.Dele,bona & le. opera. 208.b.l.4,molitus eſt.Adeo ut pertrahere eliciat.Le.ꝑtrahere molitus eſt.Adeo ut eliciat. 211.b.l.21.illorꝫ. Lege : illotum. 220.a.l.5.ſuperexcreſcentis,lege:ſuperexcreſcentia. 227.a l.b.l.18. diluunt:diffluunt. 230.b.l.9.a fine parum:pirus. 231.a l.penult. iuſtitiā: inſcitiam. 233.b.l.12. a fine. Expunge, miſericordiam Dei, & ſcribe: fateamur. 237.b.l.22.nos.non:

Cætera ſunt coniectu facilia

DECRETVM DE PECCATO ORIGINALI

Sacrosancti oecumenici concilij Tridentini, sessione quinta, uno Patrum consensu promulgatum.

PROLOGVS

Sacrosancta oecumenica Tridentina Synodus, in spiritu sancto legitime congregata, praesidentibus nomine Sanctissimi domini nostri Pauli, diuina prouidentia papae. 3. Reuerendiss. domini D. Ioanne maria de monte, Episcopo prenestino, & Marcello ceruino, tituli sanctae crucis in Hierusalem presbytero, & Reginaldo Polo tituli sanctae Mariae in cosmedin, Sanctae Romanae ecclesiae cardinalibus, & apostolicis de latere legatis, Etsi oportet haereses esse, ut qui probati sunt, manifesti fiant, decet tamen, ut fides catholica, sine qua impossibile est placere Deo, extirpatis erroribus uniuersis, in una synceritate integra, & illibata permaneat, quo per eam Ecclesia sancta Dei de suis hostibus, a quibus nunquàm non impetitur, gloriosissima triumphare possit. Cum igitur nostris etiam temporibus, de peccato originali, & de illius remedio, quae, uelut christianae nostrae fidei fores, omnibus citra controuersiam manifestissima esse debuerāt, serpens ille antiquus humani generis perpetuus hostis, noua certamina suscitauerit, iam tandem ad reuocandos errantes, & nutantes confirmandos, sese accingens, indeq; sumens exordium, unde & morbus coepit, ne populus christianus omni uento doctrinae circunferatur, sacrarum scripturarum, & sanctorum Patrum & probatorum conciliorum testimonia, & ipsius catholicae Ecclesiae, iudicium & consensum secuta, haec de ipso pecacato originali statuit.

CANONES.

Si quis non confitetur primum hominem Adam, cum mandatum Dei in paradiso fuisset transgressus, statim sanctitatem & iustitiam, in qua creatus fuit, amisisse, incurrisseq; per offensam huiusmodi praeuaricationis iram & indignationem Dei, atq; adeo mortē, quàm antea illi comminatus fuerat Deus, & cum morte captiuitatē sub eius potestate, qui deinde mortis habuit imperium, hoc est diaboli, totumq; Adam, per illam praeuaricationis offensam, secundum corpus & animam in deterius commutatū fuisse, anathema sit.

2 *Si quis soli Adæ, præuaricationem suam, non alias etiã & eius propagini asserit nocuisse, acceptam a Deo sanctitatem, & iustitiam, quã perdidit, non nobis, sed sibi soli perdidisse, inquinatoq; illo per inobedientiæ peccatum, mortem & pœnas corporis tantum in omne genus humanum, & secundum communem legem transfundisse, non autem & peccatum, cui pro pœna debebatur, utraq; mors, corporis, uidelicet, & animæ, anathema sit. Cum contradicat Apostolo dicenti, per unum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertrãsijt, in quo omnes peccauerunt.*

3 *Si quis morbũ huius originalis peccati, quod unũ est, & in nobis, propagatione, non imitatione diffusum residet, unicuiq; proprium, uel per humanæ naturæ uires, uel per aliud remedium asserit auferri, quàm per meritum unius domini nostri Iesu Christi qui Deo nos in sanguine suo reconciliauit. Factus nobis sanctificatio, iustitia, & redemptio: aut negat ipsum meritum nobis per fidem, & baptismi sacramentum applicari, anathema sit. Huic enim omnes prophetæ testimonium perhibent remissionem peccatorũ accipere per manum eius, omnes qui credunt in eum, neq; aliud nomẽ esse sub cœlo datũ hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri. Vnde illa uox. Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi, & illa, Quicunq; baptizati estis, Christum induistis.*

4 *Si quis paruulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat, etiam si fuerint a baptizatis parentibus orti, aut dicit in remissionem quidem peccatorum eos baptizari, sed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod regenerationis lauacro necesse sit expiari ad uitam æternam consequendam, unde fit consequens ut in eis forma baptismatis in remissionem peccatorum, non uera, sed falsa intelligatur, anathema sit. Quoniam non aliter intelligendum est, quod ait Apostolo. per unum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransijt, in quo omnes peccauerunt, nisi quemadmodum Ecclesia catholica, ubiq; diffusa, semper intellexit. Propter hãc enim regulam fidei ex traditione apostolorũ etiam paruuli, qui nihil peccatorum in semetipsis adhuc committere potuerunt, ideo in remissionem peccatorum ueraciter baptizantur, ut in eis regeneratione mundetur, quod generatiõe contraxerant. Nisi enim quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei. Hãc fidei & sanctorum Patrum normam imitando, hoc S. Synodus fatetur, ac declarat, in baptismate per Iesu Christi gratiam, quàm confert & continet, non modo remitti reatum originalis peccati, sed totum id auferri, quod ueram & propriã*

rationem peccati habet.

5 Si quis ergo per Iesu Christi Domini nostri gratiam, quæ in baptismate confertur, reatum originalis peccati, remitti negat: aut etiam asserit non tolli totum id, quod uerum, & propriam peccati rationem habet, sed illud dicit tantum radi: aut non imputari, Anathema sit. In renatum enim nihil odit Deus, quia nihil est damnationis ijs, qui uere cõsepulti sunt cum Christo, per baptisma in mortem, qui non secundum carnem ambulant, sed ueterem hominem exuentes, & nouum, qui secundum Deum creatus est, induentes: Innocentes, immaculati, puri, innoxij: ac Deo dilecti effecti sunt, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi, ita ut nihil prorsus eos ab ingressu cœli remoretur. Manere autem in baptizatis concupiscẽtiam, uel fomitem, hæc sancta Synodus fatetur, & sentit, quæ cum ad agonem relicta sit, nocere non consentientibus, & uiriliter per Christi Iesu gratiam repugnantibus non ualet, quinimo, qui legitime certauerit coronabitur. Hanc concupiscentiam, quas aliquando Apostolus peccatum appellat: sancta Synodus declarat, Ecclesiam catholicam nunquàm intellexisse peccatum appellari, quod uerè, & propriè in renatis peccatum sit, sed quia ex peccato est, & ad peccatum inclinat, Si quis autem contrarium senserit, Anathema sit.

Declarat tamen, hæc ipsa sancta Synodus non esse suæ intentionis, comprehendere in hoc Decreto, ubi de peccato originali agitur, beatam, & immaculatam uirginem Mariam, Dei genitricem: sed obseruandas esse cõstitutiones fœlicis recordationis Sixti Papæ Quarti, sub pœna in eis Cõstitutionibus contentis, quas innouat.

DECRETVM DE IVSTIFICATIONE SACROsancti œcumenici Concilij Tridentiñ, in sexta sessione, uno Patrum consensu promulgatum.

CVm hoc tempore non sine multarum animarum iactura, & graui ecclesiasticæ unitatis detrimento, erronea quædam disseminata sit de Iustificatione doctrina, ad laudem & gloriam omnipotentis Dei, Ecclesiæ tranquillitatem, & animarum salutem. Sacrosancta Oecumenia & generalis Tridentiñ. Synodus in spiritu sancto legitime congregata, præsidentibus in ea nomine sanctissimi in Christo patris, & domini nostri, Domini Pauli di-

uina prouidentia Papæ tertij, Reuerendiss. Dominis Dominis Ioanne maria Episcopo Prenestino de Monte, & Marcello cerinno tituli sanctæ Crucis in Hierusalem præsbytero, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalib. & Apostolicis de latere legatis exponere intendit omnibus Christi fidelibus ueram sanamq; doctrinam ipsius iustificationis quam sol iustitiæ Christus Iesus fidei nostræ author, & consumator docuit. Apostoli tradiderunt, & catholica Ecclesia Spiritu sancto suggerēte perpetuo retinuit: districtius inhibendo, ne deinceps audeat quisquam aliter credere, prædicare, aut docere quam præsenti decreto statuitur, ac declaratur.

De naturæ, & legis ad iustificandos homines imbecillitate. Cap. I.

Primum declarat sancta Synodus ad iustificationis doctrinam probe & sincere intelligendam oportere, ut unusquisq; agnoscat & fateatur, quod cum omnes homines in præuaricatione Adæ innocentiam perdidissent, facti immundi, & ut Apostolus inquit natura filij iræ, quemadmodum in decreto de peccato originali exposuit, usq; adeo serui erant peccati, & sub potestate diaboli & mortis, ut non modo gentes per uim naturæ, sed ne Iudæi quidem per ipsam etiam literam legis Moysi inde liberari, aut surgere possent, tametsi in eis liberum arbitrium, minime extinctum esset, uiribus licet attenuatum & inclinatum.

De dispensatione & mysterio aduentus Christi. Cap. II.

Quo factum est, ut cælestis pater, Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis Christum Iesum filium suum & ante legem, & legis tempore, multis sanctis Patribus declaratum, & promissum, cum uenit beata illa plenitudo temporis, ad homines miserit, ut & Iudæos qui sub lege erant redimeret & gentes quæ non sectabantur iustitiam, iustitiam apprehenderent, atq; omnes adoptionem filiorum reciperent, hunc proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius pro peccatis nostris, non solum autem pro nostris, sed etiam pro totius mundi.

Qui per Christum iustificantur. Cap. III.

Verum & si ille pro omnibus mortuus est, non omnes tamen mortis eius beneficium recipiunt, sed ij duntaxat, quibus meritum passionis eius communicatur. Nam sicut re uera homines nisi ex semine Adæ propagati nascerentur, non nascerentur iniusti, cum ea propagatione per ipsum dum concipiuntur propriam iniustitiam contrahant. Ita nisi in Christo renascerentur, nunquam iustificarentur, cum ea renascentia per meritum passionis eius, gratia qua iusti fiunt illis tribuatur: pro hoc beneficio Apo

stolus gratias nos semp agere hortatur patri, qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine, & eripuit de potestate tenebrarum, transtulitq; in regnum filij dilectionis suæ in quo habemus redemptionem, & remissionem peccatorum.

Insinuatur descriptio iustificationis impij & motus eius in statu gratiæ. Cap. IIII.

Quibus uerbis iustificationis impij descriptio insinuatur, ut sit translatio ab eo statu in quo homo nascitur filius primi Adæ in statū gratiæ & adoptionis filiorum Dei per secundum Adam Iesum Christum saluatorem nostrum. Quæ quidem translatio post euangelium promulgatum sine lauacro regenerationis, aut eius uoto fieri non potest, sicut scriptum est. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto non potest introire in regnum Dei.

De necessitate præparationis ad Iustificationem in adultis & unde sit. Cap. V.

Declarat præterea ipsius iustificationis exordium in Adultis a Dei per Christum Iesum præueniente gratia sumendum esse, hoc est ab eius uocatione: qua nullis eorum existentibus meritis uocantur, ut qui per peccata a Deo auersi erant per eius excitantem, atque adiuuantem gratiam, ad conuertendum se ad suam ipsorum iustificationem eidem gratiæ liberè assentiendo, & cooperando, disponantur itá, ut tangente Deo cor hominis per Spiritussancti illuminationem, neque homo ipse nihil omnino agat, inspirationem illam recipiens, quippe qui illam & abijcere potest, neque tamen sine gratia Dei mouere sed ad iustitiam coram illo libera sua uoluntate possit. Vnde in sacris literis cum dicitur. Conuertimini ad me, & ego conuertar ad uos, libertatis nostræ admonemur, cum respondemus. Conuerte nos Domine ad te, & conuertemur. Dei nos gratia præueniri confitemur.

Modus præparationis. Cap. VI.

Disponuntur autem ad ipsam iustitiam dum excitati diuina gratia, & adiuti, fidem ex auditu concipientes liberè mouentur in Deum, credentes uera esse, quæ diuinitus reuelata, & promissa sunt. Atque illud imprimis a Deo iustificari impium per gratiam eius per redemptionem, quæ est in Christo Iesu, & dum peccatores se esse intelligentes a diuinæ iustitiæ timore, quo utiliter concutiuntur ad considerandum Dei misericordiam se conuertendo in spem eriguntur fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore, illumq; tanquam omnis iustitiæ fontem diligere incipiunt, ac propterea mouentur aduersus peccata, per odium ali-

quod, & deteſtationem, hoc eſt per eam pœnitentiam, quam ante baptiſmum agi oportet. Deniq; dum proponunt ſuſcipere baptiſmum, inchoare nouam uitam, & ſeruare diuina mandata. De hac diſpoſitione ſcriptum eſt, Accedentem ad Deum oportet credere, quia eſt, & quod inquirentibus ſe remunerator ſit, &, confide fili, remittuntur tibi peccata tua, &, timor domini expellit peccatum, & pœnitentiam agite, et baptizetur unuſquiſq; ueſtrum in nomine Ieſu Chriſti, in remiſſionem peccatorum ueſtrorum, & accipietis donum Spirituſſancti. Et, euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris, & filij, & ſpirituſſancti, docentes eos ſeruare quæcunq; mandaui uobis. Deniq; præparate corda ueſtra Domino.

Quid ſit iuſtificatio impij, & quæ eius cauſæ. Cap. VII.

Hanc diſpoſitionem ſeu præparationem, iuſtificatio ipſa conſequitur, quæ non eſt ſola peccatorum remiſſio, ſed & ſanctificatio, & renouatio interioris hominis per uoluntariam ſuſceptionem gratiæ, & donorum, unde homo ex iniuſto fit iuſtus, & ex inimico amicus ut ſit heres, ſecundum ſpem uitæ æternæ. Huius iuſtificationis cauſæ ſunt finalis quidē gloria Dei & Chriſti, ac uita æterna: efficiens uero miſericors Deus, qui gratuito abluit, & ſanctificat, ſignans, & ungens ſpiritu promiſſionis ſancto, qui eſt pignus hereditatis noſtræ. Meritoria autem dilectiſſimus unigenitus ſuus Dominus noſter Ieſus Chriſtus, qui cum eſſemus inimici propter nimiam charitatem, qua dilexit nos ſua ſanctiſſima paſſione in ligno Crucis nobis iuſtificationem meruit, & pro nobis Deo patri ſatisfecit: inſtrumentalis item ſacramentum baptiſmi quod eſt ſacramentum fidei, ſine qua nulli unquam contigit iuſtificatio. Demum unica formalis cauſa eſt iuſtitia Dei, non quia ipſe iuſtus eſt, ſed qua nos iuſtos facit: qua uidelicet ab eo donati renouamur ſpiritu mentis noſtræ, & non modo reputamur, ſed uere iuſti nominamur, & ſumus, iuſtitiam in nobis recipientes unuſquiſque ſecundum ſuam menſuram, quam ſpirituſſanctus partitur ſingulis prout uult, & ſecundum propriam cuiuſq; diſpoſitionem, & cooperationem. Quanquam enim nemo poſſit eſſe iuſtus, niſi cui merita paſſionis Domini noſtri Ieſu Chriſti communicantur, id tamen in hac impij iuſtificatione fit dum eiuſdem ſanctiſſimæ paſſionis merito per Spiritum ſanctum charitas Dei diffunditur in cordibus eorum, qui iuſtificantur, atq; ipſis inhæret. Vnde in ipſa iuſtificatione, cum remiſſione peccatorum hæc omnia ſimul infuſa accipit homo per Ieſum Chriſtum, cui inſeritur, fidem, ſpem, & charitatem.

Nam fides nisi ad eam spes accedat, & charitas, neque unit perfecte eum Christo, neque corporis eius uiuum membrum efficit. Qua ratione uerissime dicitur, fidem sine operibus mortuam, & ociosam esse, & in Christo Iesu, neque circuncisionem aliquid ualere, neque preputium sed fidem, quæ per charitatem operatur. Hanc fidem ante baptismi sacramentum ex Apostolorum traditione, Cathecumini ab Ecclesia petunt, cum petunt fidem uitam æternam præstantem, quam sine spe & charitate fides præstare non potest. Vnde & statim uerbum Christi audiunt, si uis ad uitam ingredi serua mandata. Itaque ueram & christianam iustitiam accipientes, eam ceu primam stolam pro illa quam Adam sua inobedientia, sibi & nobis perdidit, per Christum Iesum illis donatam, candidam, & immaculatam iubentur statim renati conseruare, ut eam perferant ante tribunal domini nostri Iesu Christi, & habeant uitam æternam.

Quomodo intelligatur impium per fidem & gratis iustificari. Cap. VIII.

Cum uero Apostolus dicit, iustificari hominem per fidem & gratis, ea uerba in eo sensu intelligenda sunt, quem perpetuus Ecclesiæ catholicæ consensus, tenuit & expressit, ut scilicet per fidem, ideo iustificari dicamur, quia fides est humanæ salutis initium, fundamentum & radix omnis iustificationis, sine qua impossibile est placere Deo, & ad filiorum eius consortium peruenire. Gratis autem iustificari ideo dicamur, quia nihil eorum, quæ iustificationem precedunt, siue fides, siue opera, ipsam iustificationis gratia promeretur: si enim est, iam non ex operibus, alioquin, ut idem Apostolus inquit, gratia iam non est gratia.

Contra inanem hæreticorum fiduciam. Cap. IX.

Quamuis autem necessarium sit credere, neque remitti, neque remissa unquam fuisse peccata, nisi gratis diuina misericordia, propter Christum nemini tamen fiduciam, & certitudinem remissionis peccatorum suorum iactanti, & in ea sola quiescenti peccata dimitti, uel dimissa esse dicendum est, cum apud hæreticos & schismaticos possit esse, imò nostra tempestate sit, & magna contra Ecclesiam Catholicam contentione prædicetur, uana hæc & ab omni pietate remota fiducia: sed neque illud asserendum est oportere eos, qui uere iustificati sunt, absque ulla omnino dubitatione apud semetipsos statuere se esse iustificatos, neminemq; a peccatis absolui, ac iustificari, nisi eum qui certo & firmis-

ſime credat ſe abſolutum & iuſtificatum eſſe, atque hac ſola fide, abſolutionem, & iuſtificationem perfici, quaſi qui hoc non credit de Dei promiſſis, deq; mortis, & reſurrectionis Chriſti efficacia dubitet. Cum uelut nemo pius, de Dei miſericordia, de Chriſti merito, deq; ſacramentorum uirtute, & efficacia dubitare debet, ſic quilibet, dum ſeipſum, ſuamq; propriam infirmitatem, & indiſpoſitionem reſpicit de ſua gratia formidare & timere poteſt. Cum nullus ſcire ualeat certitudine fidei cui non poteſt ſubeſſe falſum ſe gratiam Dei eſſe conſecutum.

De accepto iuſtificationis incremento. Cap. X.

Sic ergo iuſtificati, & amici Dei, ac domeſtici facti, euntes de uirtute in uirtutem renouantur (ut Apoſtolus inquit) de die in diem, hoc eſt mortificando membra carnis ſuæ, & exhibendo ea arma iuſtitiæ in ſanctificationem per obſeruationem mandatorum Dei, & Eccleſiæ in ipſa iuſtitia per Chriſti gratiam accepta, cooperante fide bonis operibus creſcunt, atq; magis iuſtificãtur, ſicut ſcriptum eſt. Qui iuſtus eſt, iuſtificetur adhuc, & iterum, ne uerearis uſque ad mortem iuſtificari, & rurſus. Videtis quoniam ex operibus iuſtificatur homo, & non ex fide tantum. Hoc uero iuſtitiæ incrementum petit ſancta Eccleſia cum orat. Da nobis domine fidei, ſpei, & charitatis augmentum.

De obſeruatione mandatorum Dei, deq; illius neceſſitate, & poſſibilitate. Cap. XI.

Nemo autem quantum uis iuſtificatus, liberum ſe eſſe ab obſeruatione mandatorum putare debet. Nemo temeraria illa, & à patribus ſub anathemate prohibita uoce uti. Dei præcepta homini iuſtificato ad obſeruandum eſſe impoſſibilia: Nam Deus impoſſibilia non iubet, ſed iubendo monet, & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis, & adiuuat ut poſſis, cuius mandata, grauia non ſunt, cuius iugum ſuaue eſt, & onus leue. Qui enim ſunt filij Dei, Chriſtum diligunt, qui autem diligunt eum, (ut ipſemet teſtatur) ſeruant ſermones eius, quod utique, cum diuino auxilio præſtare poſſunt, licet enim in hac mortali uita, quantum uis ſancti & iuſti, in leuia ſaltem, & quotidiana, quæ etiam uenialia dicuntur peccata, quandoque cadant: non propterea deſinunt eſſe iuſti. Nam & iuſtorum illa uox eſt, & humilis, & uerax, dimitte nobis debita noſtra, quo fit ut iuſti ipſi eo magis ſe obligatos ad ambulandum in uia iuſtitiæ ſentire debeant, quo liberati iam a peccato ſerui autem facti Deo, ſobrie, iuſte, & pie uiuentes perficere poſſunt per Chriſtum Ieſum, per quem acceſſum habuerunt in gratiam iſtam. Deus nanque ſua gratia ſemel iuſtificatos non deſerit, niſi ab eis prius deſeratur, itaque nemo ſibi in ſola fi-

de blandiri debet putans fide sola se heredem esse constitutum, hereditatemq; consecuturum, etiamsi Christo non compatiatur, ut & conglorificetur: nam & Christus ipse (ut inquit Apostolus) cum esset filius Dei didicit ex his quæ passus est obedientiam, & consumatus: factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis eternæ. Propterea Apostolus ipse monet iustificatos dicens, Nescitis quod hi qui in stadio currunt omnes quidem currunt sed unus accipit brauium, sic currite ut comprehendatis, ego igitur sic curro, non quasi in incertum, sic pugno, non quasi aerem uerberans, sed castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne forte cum alijs prædicauerim ipse reprobus efficiar. Item princeps apostolorum Petrus. Satagite ut per bona opera certam uestram uocationem, & electionem faciatis. Hæc enim facientes non peccabitis, aliquandò: unde constat eos orthodoxæ religionis doctrinæ aduersari, qui dicunt iustum in omni bono opere saltem uenialiter peccare, aut (quod intollerabilius est) pœnas æternas mœreri. Atque etiam eos qui statuunt in omnibus operibus iustos peccare si in illis suam ipsorum socordiam excitando, & sese ad currendum in stadio cohortando, cum hoc ut in primis glorificetur Deus, mercedem quoque intuentur æternam, cum scriptum sit. Inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes tuas propter retributionem, & de Mose dicat Apostolus, quòd aspiciebat in remuneratione.

Prædestinationis temerariam præsumptionem cauendam esse. Cap. XII.

Nemo quoque quamdiu in hac mortalitate uiuitur de arcano diuinæ prædestinationis mysterio usque adeò præsumere debet, ut certo statuat se omnino esse in numero prædestinatorum, quasi uerū esset quod iustificatus aut amplius peccare non possit, aut si peccauerit certam sibi resipiscentiam promittere debeat. Nam nisi ex speciali reuelatione sciri non potest, quos Deus sibi elegerit.

De perseuerantiæ munere. Cap. XIII.

Similiter de perseuerantiæ munere de quo scriptum est. Qui perseuerauerit usque in finem, hic saluus erit (quod quidem aliunde haberi non potest nisi ab eo, qui potens est eum, qui stat statuere ut perseueranter stet, & eum qui cadit restituere) nemo sibi certi aliquid absoluta certitudine polliceatur. Tametsi in Dei auxilio firmissimam spem collocare, & reponere omnes debent. Deus enim nisi ipsi illius gratiæ defuerint sicut cepit opus bonum ita perficiet operans uelle, & perficere. Verū tamen, qui se existimant stare, uideant ne cadāt, & cum timore ac tremore

salutem suam operentur in laboribus, in uigilijs, in elemosynis, in oratio tionibus, & oblationibus, in ieiunijs, in castitate. Formidare enim debent scientes, quòd in spem gloriæ, & nondum in gloria renati sunt, de pugna quæ superest cum carne, cum mundo, cum diabolo, in qua uictores esse non possunt, nisi cum Dei gratia Apostolo obtemperent dicenti. Debitores sumus, non carni, ut secundum carnem uiuamus, si enim secundum carnem uixeritis, moriemini, si autem spiritu facta carnis mortificaueritis, uiuetis.

De lapsis, & eorum reparatione. Cap. XIIII.

Qui uero ab accepta iustificationis gratia per peccatum exciderunt, rursus iustificari poterunt, cum excitante Deo per pœnitentiæ sacramentum merito Christi amissam gratiam recuperare procurauerint. Hic enim iustificationis modus est lapsi reparatio, quam secundam post naufragium deperditæ gratiæ tabulam sancti patres aptè nuncuparunt. Etenim pro his, qui post baptismum in peccata labuntur. Christus Iesus sacramentum instituit pœnitentiæ, cum dixit. Accipite spiritum sanctum quorum remiseritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt. Vnde docendum est Christiani hominis pœnitentiam post lapsum multo aliam esse a baptismali, eaq; contineri non modo cessationem a peccatis, & eorum detestationem, aut cor contritum & humiliatum, uerum etiam eorundem sacramentalem confessionem saltem in uoto, & suo tempore faciendam, & sacerdotalem absolutionem, itemq; satisfactionem per ieiunia, elemosynas, orationes, & alia pia spiritualis uitæ exercitia, non quidem pro pœna æterna, quæ uel sacramento, uel sacramenti uoto, una cum culpa remittitur, sed pro pœna temporali, quæ (ut sacræ literæ docent) non tota semper, ut in baptismo fit, dimittitur illis, qui gratiæ Dei, quam acceperunt ingrati Spiritum sanctum contristauerunt, & templum Dei uiolare non sunt ueriti. De qua pœnitentia scriptum est, memor esto unde excideris age pœnitentiam, & prima opera fac, & iterum quæ secundum Deum tristitia est pœnitentiam in salutem stabilem operatur, & rursus. Pœnitentiam agite, & facite fructus dignos pœnitentiæ.

Quolibet peccato mortali amitti gratiam, sed non fidem. Cap. XV.

Aduersus etiam hominum quorundam callida ingenia, qui per dulces sermones, & benedictiones seducunt corda innocentium, asserendum est non modo infidelitate, per quam & ipsa fides amittitur, sed etiam quocunque alio mortali peccato quamuis non amittantur fides, acceptam

iustificationis

iustificationis gratiam amitti, diuinæ legis doctrinam defendendo, quæ a regno Dei, non solum infideles excludit, sed & fideles quoque fornicarios, adulteros, molles, masculorum cõcubitores, fures, auaros, ebriosos, maledicos, rapaces, cæterosq; omnes, qui lætalia committunt peccata, a quibus cum diuinæ gratiæ adiumento abstinere possunt, & pro quibus a Christi gratia separantur.

De fructu iustificationis, hoc est de merito bonorum operum, deq; ipsius meriti ratione. Cap. XVI.

Hac igitur ratione iustificatis hominibus, siue acceptam gratiam perpetuo conseruauerint, siue amissam recuperauerint, proponenda sunt Apostoli uerba, Abundate in omni opere bono scientes quod labor uester, non est inanis in Domino. Non enim iniustus est Deus, ut obliuiscatur operis uestri, & dilectionis quam ostendistis in nomine ipsius, & nolite amittere confidentiam uestram, quæ magnam habet remunerationem. Atque ideo bene operantibus usque in finem, & in Deo sperantibus proponenda est uita æterna, & tanquam gratia filijs Dei per Christum Iesum, misericorditer promissa, & tanquã merces ex ipsius Dei promissione, bonis ipsorum operibus, & meritis fideliter reddenda. Hæc est enim illa corona iustitiæ, quam post suum certamen & cursum repositam sibi esse aiebat Apostolus a iusto iudice sibi reddendam. Non solum autem sibi, sed & omnibus qui diligunt aduentum eius. Cum enim ille ipse Christus Iesus tanquam caput in membra, & tanquam uitis in palmites in ipsos iustificatos iugiter uirtutem influat, quæ uirtus bona eorum opera semper antecedit comitatur & subsequitur, & sine qua nullo pacto Deo grata & meritoria esse possent nihil ipsis iustificatis amplius deesse credendum est, quo minus plene illis quidem operibus, quæ in Deo sunt facta diuinæ legi pro huius uitæ statu satis fecisse, & uitam æternam suo etiam tempore (si tamen in gratia decesserint) consequendam, uere promeruisse censeantur, cum Christus Saluator noster dicat, si quis biberit ex aqua quam ego dabo ei non sitiet in æternum. Sed fiet in eo fons aquæ uiuæ salientis in uitam æternam. Ita neq; propria nostra iustitia, tanquam ex nobis propria statuitur, neque ignoratur aut repudiatur iustitia Dei, quæ enim iustitia nostra dicitur, quia per eam nobis inhærentem iustificamur, illa eadem Dei est, quia a Deo nobis infunditur per Christi meritum, neque uero illud omittendum est, quod licet bonis operibus in sacris literis usque adeo tribuatur, ut etiam, qui uni ex minimis suis potum aquæ frigidæ dederit, promittat Christus eum non esse sua mercede cariturum, & Apostolus testetur id quod

in presenti est momentaneum & leue tribulationis nostræ supra modum in sublimitate, æternum gloriæ pondus operari in nobis. Absit tamen, ut Christianus homo in seipso uel confidat, uel glorietur, & non in Domino, cuius tanta est erga omnes homines bonitas, ut eorum uelit esse merita quæ sunt ipsius dona. Et quia in multis offendimus omnes, unusquisq; sicut misericordiam, & bonitatem: ita se ueritatem, & iudicium ante oculos habere debet, neq; se ipsum aliquis etiam si nihil sibi conscius fuerit iudicare, quoniam omnis hominum uita, non humano iudicio examinanda, & iudicanda est, sed Dei: qui illuminabit abscondita tenebrarum & manifestabit concilia cordium, & tunc laus erit unicuiq; a Deo, qui (ut scriptum est) reddet unicuiq; secundum opera sua.

Post hanc catholicam de iustificatione doctrinam, quam nisi quisque fideliter, firmiterq; receperit iustificari non poterit. Placuit sanctæ Synodo hos canones subiungere, ut omnes sciant, non solum quid tenere, & sequi, sed etiam quid uitare, & fugere debeant.

CANONES.

1 Si quis dixerit hominem suis operibus, quæ uel per humanæ naturæ uires, uel per legis doctrinam fiant, absque diuina per Christũ Iesum gratia posse iustificari coram Deo. Anathema sit.

2 Si quis dixerit ad hoc solum diuinam gratiam per Christum Iesum dari, ut facilius homo iuste uiuere, ac uitam æternam, promereri possit, quasi per liberum arbitrium sine gratia utrunque, sed ægre tamen & difficulter possit. Anathema sit.

3 Si quis dixerit sine præueniente Spiritus sancti inspiratione, atque eius adiutorio hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse sicut oportet ut ei iustificationis gratia conferatur. Anathema sit.

4 Si quis dixerit liberum hominis arbitrium a Deo motum & excitatum, nihil cooperari assentiendo Deo excitanti, atque uocanti, quo ad obtinendam iustificationis gratiam, se disponat ac preparet, neque posse dissentire si uelit, sed uelut inanime quoddam nihil omnino agere, mereq; passiue se habere. Anathema sit.

5 Si quis liberum hominis arbitrium post Adæ peccatum amissum, & extinctum, esse dixerit, aut rem esse de solo titulo, imo titulum sine re figmentum denique, a sathana inuectum in Ecclesiam. Anathema sit.

6 Si quis dixerit non esse in potestate hominis uias suas malas facere, sed mala opera, ita ut bona Deum operari, non permissiue solum, sed etiam propriæ, & per se, adeò ut sit eius proprium opus, non minus proditio Iudæ, quam uocatio Pauli. Anathema sit.

7 Si quis dixerit opera omnia quæ ante iustificationem fiunt quacunque ratione facta sint, uere esse peccata, uel odium Dei mereri, aut quãto uehementius quis nititur se disponere ad gratiam, tanto eum grauius peccare. Anathema sit.

8 Si quis dixerit gehennæ metum per quem ad misericordiam Dei de peccatis dolendo cõfugimus, uel a peccando abstinemus, peccatum esse, aut peccatores peiores facere. Anathema sit.

9 Si quis dixerit sola fide impium iustificari, ita, ut intelligat nihil aliud requiri quod ad iustificationis gratiam consequendam cooperetur, & nulla ex parte necesse esse, eum suæ uoluntatis motu præparari, atque disponi. Anathema sit.

10 Si quis dixerit homines sine Christi iustitia per quam nobis meruit iustificari, aut per eam ipsam formaliter iustos esse. Anathema sit.

11 Si quis dixerit hominem iustificari, uel sola imputatione iustitiæ Christi, uel sola peccatorum remissione exclusa gratia, & charitate, quæ in cordibus eorum per spiritum sanctum diffundantur, atq; illis inhæreat, aut etiam gratiam, qua iustificamur, esse tantum fauorem Dei. Anathema sit.

12 Si quis dixerit fidem iustificantem nihil aliud esse, quam fiduciam diuinæ misericordiæ peccata remittentis propter Christum, uel eam fiduciam solam esse qua iustificamur. Anathema sit.

13 Si quis dixerit omni homini ad remissionem peccatorum assequendam necessarium esse, ut credat certo, & absque ulla hæsitatione propriæ infirmitatis, & indispositionis peccata sibi esse remissa. Anathema sit.

14 Si quis dixerit hominẽ a peccatis absolui ac iustificari, ex eo quod se absolui, ac iustificari certo credat, aut neminem uere esse iustificatum, nisi qui credit se esse iustificatum, & hac sola fide absolutionẽ, & iustificationem perfici. Anathema sit.

15 Si quis dixerit hominem renatum, & iustificatum teneri ex fide ad credendum se certo esse in numero prædestinatorũ. Anathema sit.

16 Si quis magnum illud usque in finem perseuerantiæ donum, se certo habiturum, absoluta, & infallibili certitudine dixerit, nisi hoc ex speciali reuelatione didicerit. Anathema sit.

17 *Si quis iustificationis gratiam, non nisi prædestinatis ad uitam contingere dixerit, reliquos uero omnes, qui uocantur, uocari quidem, sed gratiam non accipere, utpote diuina potestate prædestinatos ad malum.* Anathema *sit.*

18 *Si quis dixerit* Dei *præcepta homini etiam iustificato, & sub gratia constituto esse ad obseruandum impossibilia.* Anathema *sit.*

19 *Si quis dixerit nihil præceptum esse in euangelio, præter fidem, cætera esse indifferentia, neque præcepta, neque prohibita sed libera, aut decem præcepta nihil pertinere ad* Christianos. Anathema *sit.*

20 *Si quis hominem iustificatum, & quantumlibet perfectum dixerit non teneri ad obseruantiam mandatorum* Dei, *&* Ecclesiæ, *sed tantum ad credendum quasi uerum euangelium sit nuda, & absoluta promissio uitæ æternæ sine conditione obseruationis mandatorum,* Anathema *sit.*

21 *Si quis dixerit Christum* Iesum *a* Deo *hominibus datum fuisse, ut redemptorem cui fidant, non etiam ut legislatorem cui obediant.* Anathema *sit.*

22 *Si quis dixerit iustificatum uel sine speciali auxilio* Dei *in accepta iustitia perseuerare posse, uel cum eo non posse.* Anathema *sit.*

23 *Si quis hominem semel iustificatum dixerit amplius peccare non posse, neque gratiam amittere, atque ideo eum qui labitur & peccat nunquam uere fuisse iustificatum, aut contra posse, in tota uita, peccata omnia, etiã uenialia uitare, nisi ex speciali* Dei *priuilegio, quemadmodum de beata* Virgine *tenet* Ecclesia. Anathema *sit.*

24 *Si quis dixerit iustitiam acceptam non conseruari, atque etiam non augeri coram* Deo *per bona opera: sed opera ipsa fructus solummodo, & signa esse iustificationis adeptæ, non etiam ipsius augendæ causam.* Anathema *sit.*

25 *Si quis in quolibet bono opere iustum, saltem uenialiter peccare dixerit: aut quod intollerabilius est, mortaliter: atque ideo pœnas æternas mereri, tantumq; ob id damnari, quia* Deus *ea opera non imputet ad damnationem.* Anathema *sit.*

26 *Si quis dixerit iustos non debere pro bonis operibus, quæ in* Deo *fuerint facta, expectare, & sperare æternam retributionem a* Deo *per eius misericordiam, &* Iesu *Christi meritum: si bene agendo, & diuina mandata custodiendo usque in finem perseuerauerint.* Anathema *sit.*

27 *Si quis dixerit nullum esse mortale peccatum, nisi infidelitatis: aut nullo alio quantumuis graui, & enormi preterquam infidelitatis peccato, semel acceptam gratiam amitti. Anathema sit.*

28 *Si quis dixerit amissa per peccatum gratia simul, & fidem semper amitti: aut fidem, quæ remanet, non esse ueram fidem, licet non sit uiua, aut eum qui fidem sine charitate habet non esse Christianum. Anathema sit.*

29 *Si quis dixerit eum qui post baptismum lapsus est, non posse per Dei gratiam resurgere: aut posse quidem: sed sola fide, amissam iustitiam recuperare, sine sacramento pœnitentiæ: prout sancta Romana, & uniuersalis Ecclesia a Christo domino, & eius Apostolis edocta hucusque professa est, seruauit & docuit. Anathema sit.*

30 *Si quis post acceptam iustificationis gratiam cuilibet peccatori pœnitenti ita culpam remitti, & reatum æternæ pœnæ deleri dixerit: ut nullus remaneat reatus pœnæ temporalis exoluendæ: uel in hoc seculo, uel in futuro in purgatorio, antequam ad regna cœlorum aditus patere possit. Anathema sit.*

31 *Si quis dixerit iustificatum peccare dum intuitu æternæ mercedis, bene operatur. Anathema sit.*

32 *Si quis dixerit, hominis iustificati bona opera ita esse dona Dei, ut non sint etiam bona ipsius iustificati merita. Aut ipsum iustificatum bonis operibus quæ ab eo per Dei gratiam, & Iesu Christi meritum (cuius uiuum membrum est) fiunt: non uere mœreri augmentum gratiæ, uitam æternam, & ipsius uitæ æternæ (si tamen in gratia decesserit) consecutionem: atque gloriæ etiam augmentum. Anathema sit.*

33 *Si quis dixerit per hanc doctrinam catholicam de iustificatione a sancta Synodo hoc presenti decreto expressam, aliqua ex parte gloriæ Dei uel meritis Iesu Christi Domini nostri derogari: & non potius ueritatem fidei nostræ, Dei denique, ac Christi Iesu gloriam illustrari. Anathema sit.*

LAVS DEO.

REGISTRVM.

* ** A B C D E F G H I K L M N O P Q
R S T V X Y Z AA BB CC DD EE FF GG
HH II KK LL MM NN OO PP QQ RR SS
TT VV XX YY ZZ AAa BBb CCc DDd
EEe FFf GGg HHh IIi KKk LLl MMm
NNn OOo PPp QQq RRr SSs TTt VVu

Omnes sunt Duerni.

Venetijs expensis hæredum Lucæ Antonij Iuntæ.
Anno domini. M D XLVII.
Mense Iunio.